Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

EX BIBLIOTHECA
P. P. C. LAMMENS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

KW
235
B 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

IOH. CLAVBERGII

*In Publico Teutoburgenſi ad Rhenum Athenæo Profeſſoris*

# DEFENSIO CARTESIANA,

*Adverſus*

IACOBVM REVIVM
Theologum Leidenſem,

*Et*

CYRIACVM LENTVLVM
Profeſſorem Herbornenſem:

*Pars prior*

## EXOTERICA,

In qua

*Renati Carteſii Diſſertatio de Methodo vindicatur, ſimul illuſtria Carteſianæ Logicæ & Philoſophiæ Specimina exhibentur.*

*AMSTELODAMI,*
Apud Ludovicum Elzevirium.
CIↃ IↃC LII.

Bibliotheca Waerschootana

Koninklijke Bibliotheek te 's Hage.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

# PRÆFATIO
# AD LECTOREM.

QVanquam, amice Lector, animus meus à polemicis concertationibus, hodierna die nimis prô dolor inter doctos uſitatis, ſemper abhorruit, cauſæ tamen ſunt graviſſimæ, quæ ad ejuſmodi ſcribendi genus ſpe & opinione citiùs invitum hoc tempore impulerunt. Herbornæ Philoſophiam tranquillè docebam, cùm Cyriacus Lentulus ſucceſſibus invidens, Profeſſoribus pleriſque inſciis, librum prelo daret, hunc præ ſe ferentem titulum: *Nova Renati des Cartes Sapientia, faciliori quàm antehac methodo detecta*. Simulac in conſpectum meum prodiit, venit in mentem quod Philoſophus ille ad Demodocum: (vide Plat. in Theag.) *pulchrum ô Demodoce filio nomen impoſuiſti*. Evolvo librum, nihil minus quàm Renati des Cartes ſapientiam invenio. Agnovi Socraticum ſchema, quo indutus in theatrum eruditorum ſe faciliùs irrepturum ſperavit author. Inquiro, num alteri inſcriptionis parti tractatio reſpondeat, h. e. an faciliori quàm antehac methodo novus Sapiens Carteſii errores detexerit; quod palmam aliis prærepturus ſeriò



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ſibi propoſuerat. At nihil præter ſtylum, quo calumniæ colorantur, boni, nihil in conceptibus ſani reperio. Me verò jam ſub diſcipuli Carteſiani, jam ſub ſectatoris Carteſii aliiſque appellationibus, jam ſub initialibus nominis mei & cognominis literis I. CL. immeritò vellicatum eſſe deprehendo. Summum virum, cujus me diſcipulum non pudet profiteri, non rationibus oppugnari, ſed indignis adeò convitiis proſcindi ægerrimè fero. Famoſum libellum, exiguo ære parabilem, in eorum manus venturum prævideo, qui Carteſiana majoris pretii monumenta non legerunt, eorum nonnullos, ſtultam opinionem ſecutos, hoc pacto ab illis ſibi comparandis, id quod in veritatis detrimentum cederet, abſterreri poſſe. Abjecti nimis animi videbatur, cum homine tantùm fingendi artem edocto de veritate & ſapientia diſceptare. Opportunè igitur hortabantur amici atque inſtabant, ut eâdem operâ ab inſultibus Iacobi Revii, Theologiæ Doctoris & Collegii Ill. Ordd. Hollandiæ & Weſtfriſiæ præfecti, Philoſophiam noſtram liberarem, ita me cum eo cui nomen aliquod eſſet inter philoſophos acturum. Vulgavit ille tres libellos. Primum vocavit *Methodi Carteſianæ Conſiderationem Theologicam*, ſecundum *Abſterſionem Calumniarum*, quem nunquam conſpexi,

ſpexi, ut neſciam, an contra Carteſium, an verò contra alium ſcriptus fuerit. Video ſaltem, priorem huic à Revio longe præferri. Ita enim in fine ſtateræ ſuæ loquitur: *quomodo auderes vel attingere prius illud ſcriptum* (Conſiderationem) *poſteriori hoc* (Abſterſione) *multò & nervoſius & accuratius*? Paulò antè reſponderat adverſario, à Philoſopho vel etiam à ſemetipſo Conſiderationem facilè refutari poſſe dicenti, hunc in modum: *de Philoſopho quod gloriaris, toto cœlo erras, nihil ille nec auſus, nec potuit. De te multò magis. quid enim tu infelix puer poſſes quod ille non potuit? ſi ſecus arbitraris, quid ceſſas? an tibi Mavors ventoſa in lingua pedibuſque fugacibus iſtis ſemper erit?* Vnde apparet, quanti faciat illum fœtum parens Revius: at quanti eum veritatis ſtudioſi æſtimare debeant, hæc noſtra oſtendet lucubratio. Tertium librum Revius nominat *Stateram Philoſophiæ Carteſianæ*. Hic mole ſuperat primum, in cæteris ei ſimilis eſt, ſcriptore antiquum obtinente. Equidem centies mallem è Carteſio roſas, ut feci hactenus, quàm illorum ſpinas colligere. Sed quoniam tam atroces accuſationes adverſus innocentem in publicum edunt, multò mihi honorificentius fore confido, pro veritate, naturali lumine monſtrata, Carteſiano acumine inventa,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

defenſionem meditari, quod bella defenſiva offenſivis honeſtiora Politici omnes arbitrentur. Et non parum me conſolatur, quod aut primus tempore, aut certè inter primos prodeam, qui deſideratæ ab omni ævo Philoſophiæ, qualem Carteſianam eſſe contendo, publicis ſcriptis defenſionem ſuſcipiunt. Non ignoro eſſe quàm plurimos, qui illius cognitione me longiſſimè antecellunt, per univerſam Europam diſperſos: Verùm illis dum pacatè philoſophari divina ſorte datum, ego infelicior ejus, qui collega fuit, invidia & livore (ut omnes teſtabuntur qui ſuperiori anno Herbornæ vixere) in ſapientiæ ſtudio turbatus ad ingratum certamen provocor. Supereſt, ut quem ordinem in Defenſione Carteſiana tenere decreverim, in gratiam lectoris doceam. Dicam paucis, me non vaga illorum hominum veſtigia, ſed Carteſianorum librorum, ſectionum, articulorum, paragraphorum ſeriem quantum poſſum obſervaturum, quæque apud eos paſſim disjecta invenero, ad ſuas ſingula ſedes relaturum. Ratio una eſt, quia non putavi hoc dandum eſſe adverſariis ut pro ſuo lubitu vagarentur, methodum ſibi fingerent, ſcripta diverſo tempore & conſilio edita miſcerent, revocandos potiùs omnibus modis ad lineas à Carteſio deſignatas. Altera, quia ad lecto-

rum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

rum uſum illud accommodatius judico, ut invitentur ad faciliorem authoris lectionem, ipſius methodo adſueſcant, in collegiis privatis hoc velut elencticum ſcriptum authoris didactico ſine labore conjungant, neque tractationis multiplici varietate confundantur. Diviſi Defenſionem in duas partes, quarum poſterior, *acroamatica* magis, Philoſophiam in Meditationibus Metaphyſicis & Principiis Philoſophiæ comprehenſam, prior ferè *exoterica* diſſertationem de Methodo rectè regendæ rationis ab opprobriis vindicabit. Neque in hac parte reſpondebo tantùm adverſariis, unde minus utilitatis ac voluptatis queat percipi; ſed inſuper præparabo lectorum animos paulatimque eos in veram Philoſophiam introducere conabor, datis non ſolùm Carteſianæ Logicæ & philoſophandi modi, verùm ipſius etiam Philoſophiæ haud adſpernandis ſpeciminibus. Authores aliquot præter morem meum ad partes advocabo, non ut iis probentur Carteſiana dogmata, utpote quæ ſolo rationis fulcro nituntur; ſed ut oſtendam illis multijugæ lectionis famam ambientibus, in quibus authorem noſtrum injurioſe traducunt, viros jure laudatos conſentire. Hac vice ſolam priorem partem publici juris facio, quam ne quidem ſatis polire licuit, tum propter domicilii &

 ha-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

habitationis mutationem, tum propter multiplices (novâ vocatione dudum ſuſceptâ) afflictiones ante ingreſſum iter ob innocentem Philoſophiam perpeſſas, tum denique propter ipſius tædioſi laboris moleſtiam. Poſteriorem partem accuratiorem dabo, ubi accepero, publico tractationem ejuſmodi elencticam non ingratam fore, aut ſupereſſe adhuc, quos Reviana & Lentulana molimina in Philoſophia amplectenda remorentur. Tandem publicè hoc loco proteſtor coram orbe literato, ſi Revius ac Lentulus calumniis & convitiis certare pergant, me nihil ipſis deinceps repoſiturum, ne & in meipſum & in rempublicam ſim injurius, dum negligo meliora: ſin rationibus, ceu viros honeſtos & veri cupidos decet, Philoſophiæ noſtræ pretium expendere inſtituant, habituros in quibus aberrârint modeſtum adverſarium, in quibus veriora monſtraverint, gratum adſtipulatorem. Vale lector candide. Teutoburgi Clivorum. Menſe Februario. Anno 1652.

# INDEX CAPITUM.

I. *Brevis in Diſſertationem de Methodo introductio.* pag. 1
II. *De Iudicii ſive bonæ mentis æqualitate, methodi neceſſitate, Carteſii occupatione.* 7
III. *De Modeſtia Carteſii in modo loquendi.* 17
IV. *Carteſii adoleſcentis de diſciplinis & ſtudiis literarum ad ſe relatis judicium.* 30
V. *Quomodo ſe geſſerit Carteſius in rebus Theologicis.* 44
VI. *Iudicium Carteſii adoleſcentis de Philoſophia & ſcientiis ab ea principia ſua mutuantibus.* 60
VII. *De peregrinatione Carteſii & ſtudio ejus, tam in Mundi volumine, quàm in ſeipſo.* 71
VIII. *Prima Carteſii peregrinantis ſimulque in ſe ipſo ſtudentis cogitatio:* opera quibus diverſi artifices, inter ſe non conſentientes, manum adhibuere, rarò tam perfecta eſſe, quàm illa quæ ab uno abſoluta ſunt. 76
IX. *Carteſii per novem peregrinationis annos dubitatio, veritatis inventioni deſtinata.* 88
X. *Carteſii ſtudium in quærenda Methodo. Ejuſdem de Dialectica judicium.* 107
XI. *De Methodi Carteſianæ præcepto primo generatim, & ſpeciatim de præcipitantia in judicando fugienda.* 122
XII. *De anticipatis opinionibus in judicando fugiendis.* 138
XIII. *Non eſſe plus judicandum, quàm perceperis.* 150
XIV. *De Methodi Carteſianæ præcepto ſecundo:* ut difficultates examinandæ in tot partes dividantur, quot expedit ad illas commodiùs reſolvendas. 157

XV. *De*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

XV. *De Methodi Carteſianæ præcepto tertio:* ut cogitationes omnes, quæ veritati quærendæ impenduntur, certo ſemper ordine promoveantur: incipiendo ſcil. à rebus ſimpliciſſimis & cognitu facillimis & paulatim & quaſi per gradus ad difficiliorum & magis compoſitarum cognitionem adſcendendo, in aliquem etiam ordinem illas mente diſponendo, quæ ſe mutuò ex natura ſua non præcedunt. 168

XVI. *De Methodi Carteſianæ præcepto quarto:* ut tum in quærendis mediis, tum in difficultatum partibus percurrendis, tam perfectè ſingula enumerentur & ad omnia circumſpiciatur, ut nihil omitti ſimus certi. 180

XVII. *Generalia quædam Superiorum conſectaria: 1. de Methodi Carteſianæ gradibus & partibus. 2. de præceptorum ejus novitate. 3. generalitate. 4. paucitate. 5. ſufficientia.* 190

XVIII. *Applicatio Methodi in ſtudio Mathematico & Carteſiana Mathematicorum in philoſophando imitatio.* 198

XIX. *Ad tertiam Diſſertationis ſectionem in genere, & in ſpecie ad regulam Moralem primam & ſecundam.* 212

XX. *De tertia regula Ethica, ubi de poteſtate quam habemus in proprias cogitationes.* 220

XXI. *Concluſio Ethicæ Carteſianæ: ubi de hujus perfectione, de vitæ contemplativæ præſtantia deque converſatione cum hominibus & ſolitudine.* 235

XXII. *De Metaphyſicis, ad ſectionem quartam.* 241

XXIII. *Ad ſectionis quintæ initium,* 251

XXIV. *Ad*

XXIV. *Ad ſectionis ſextæ initium, ubi de opinione circa motum terræ.* 258
XXV. *Ad* §. 2. *de Methodi Carteſianæ uſu, de Philoſophiæ principiis, Phyſicæ utilitatibus in dominio rerum naturalium acquirendo, ſanitate tuenda* &c. 264
XXVI. *Ad* §. 3. Quin etiam de experientiis &c. *De Philoſophiæ Carteſianæ principiis, & experimentis ad Phyſicam perficiendam neceſſariis.* 297
XXVII. *Ad* §. 4. Sed ab illo. *&* 5. Objici quidem poteſt. *Vbi de mutatione ſententiæ, progreſſu in ſcientiis, errore, diſputatione.* 312
XXVIII. *Ad* §. 6. Quod ad utilitatem &c. *Vbi de perfectione operis ab alio inchoati, de propriæ inventionis prærogativa, quòd verum ſimplex & facile, quomodo noſtra ſint quæ ab aliis didicimus, de vulgaris Philoſophiæ & Carteſianæ utilitate & perfectione.* 325
XXIX. *Ad* §. 9. Et putavi &c. *uſque ad finem Diſſertationis, ubi de Carteſii deliberatione, controverſiarum fuga, objectionum petitione, ſcriptorum edendorum fine, hypotheſibus, ingeniorum diverſitate* &c. 339
XXX. *De iis quæ Revius contra poſtremam ſectionem protulit.* 354
XXXI. *De Fontium origine & Aquis.* 374
XXXII. *De Cauſis imperfectionum humanæ mentis in rebus cognoſcendis. De Infantiæ Præjudiciis diſſertatio prima generalis.* 391
XXXIII. *De Præjudiciis Infantiæ diſſertatio ſecunda, in qua univerſæ Phyſicæ fundamentum ponitur, dum vera ſententia de natura ſeu eſſentia rei corporeæ à præjudiciis vindicatur.* 447

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

XXXIV. *De Præjudiciis Infantiæ diſſertatio tertia, in qua errores aliquot in cognoſcendo & colendo Deo commiſſi, quatenus à præjudiciis procedunt, deteguntur ac refutantur.* 513
XXXV. *Diſſertatio de illo effato Philoſophico:* oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt. 556
XXXVI. *De illo:* omnis natura eſt conſervatrix ſui, *ſeu, nihil tendit ad ſui ipſius deſtructionem.* 572
XXXVII. *De illo:* plura requiruntur ad eſſe quàm ad non-eſſe, *ſeu, plura deſiderantur ad rei conſtitutionem quàm ad deſtructionem.* 602

---

NB. In citanda Diſſertatione de Methodo ſequor editionem Elzevirianam an. 1644. In citandis Meditationibus, Objectionibus, Reſponſionibus, Epiſtola ad Dinetum, Epiſtola ad Voëtium *&c.* ſequor editionem tertiam Elzevir. an. 1650. in Quarto. In Principiis, Dioptricis, Meteoris non paginas, ſed libros, capita & articulos cito: v.g. P. II. 16. id eſt, Principiorum parte ſecunda, articulo decimo ſexto. Dioptr. IV. 3. id eſt Dioptrices capite quarto, articulo tertio *&c.*

☞ NB. De Philoſophia Carteſiana amplectenda *ambigendi cauſas impellentes* initio ſuæ Novæ Sapientiæ Lentulus profert octo, quas non in limine, ſed ſuis poſtea locis refutatas Lector deprehendet.

IOH.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

# IOH. CLAUBERGII
# DEFENSIO CARTESIANA.

## CAP. I.

## *In quo brevis traditur in Diſſertationem de Methodo introductio.*

1. LIbri Ariſtotelici in Acroamaticos & Exotericos diſtribui ſolent. *Acroamatici* dicuntur, qui limatiores & ſubtiliores, nec omnium æquè intelligentiæ ſunt obvii, ſed à paucioribus, iis præſertim, qui ſtudioſè diſciplinas tractant & aliquamdiu præceptores docentes audivêre, percipiuntur. *Exoterici* appellantur, qui populariter ſcripti facilè patent lectoribus ſine auſcultationis opera. Vide Gellium lib. 20. cap. 4.

2. Hanc differentiam in Carteſianis quoque ſcriptis obſervare licet, ita ut Diſſerta-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

tio de Methodo, verbi causâ, maximè ſit exoterica, Meditationes autem de prima Philoſophia maximè acroamaticæ. Hinc initio ſectionis quartæ diſſert. de Meth. author ait, non libenter ſe *hîc*, id eſt, in hoc ſcripto populari, referre primas cogitationes, quibus animum applicuit, quia ſint *valde Metaphyſica & à communi uſu remota.* Item Meditationum præfat. ad lect. teſtatur, diſſertationem de Methodo eſſe ſcriptum paſſim ab omnibus legendum, in quo noluerit de Deo & mente humana accuratè agere; Meditationes autem, utpote à vulgari captu alienas, nullam lectorum frequentiam exſpectare. Ideo ſcriptum de prima Philoſophia *Meditationum*, non diſputationum &c. nomine inſignivit, uti docet in fine ſecundd. reſpp. Tractationem verò de Methodo appellavit *Diſſertationem*, Gall. *diſcours de la Methode.*

3. Diſſertationem igitur de Meth. ſcriptum eſſe exotericum, populare minuſque accuratum ex dictis liquet, & clariùs adhuc liquebit, ſi materiam circa quam verſatur & tractandi modum contemplemur.

4. Quantum enim ad *materiam* attinet, conſtat ex pag. 3. totaque tractatione, in hoc libello nihil aliud ferè contineri, quàm quod pertineat ad delineationem ſtudiorum, peregrinationis, vitæ & conſiliorum Carteſii;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

teſii; atque adeo, ſicut plurium Authorum alii libri hiſtorici, alii ſunt dogmatici, ita hunc librum, ut *hiſtoricum*, à Meditationibus & Principiis, ut *dogmaticis*, eſſe diſtinguendum, non, ut Revius facit ſtat. pag. 246. ſq. cum iis confundendum.

5. In ſcriptis ejuſmodi exotericis uſum habent (id quod de *tractandi modo* imprimis obſervari velim) ſententiæ probabiles, quæ rectæ videntur aut omnibus, aut pluribus, aut ſaltem ſapientibus, quemadmodum ex Logicis notum eſt. Et cùm ejuſce generis ſententiæ plures in hac diſſertatione occurrant, ut rationi conſentaneum eſt & patebit in ſequentibus, ridiculè lentulus lib. ſui pag. 20. æternæ veritatis axiomata flagitat, quando ſcribit: *quàm ſint æternæ veritatis omnia oracula tua, multis in locis deprehendimus.*

6. Liber hic vel ideo lectu utilis eſt, quia nobis demonſtrat, quia ratione Carteſius Philoſophiam ſuam invenerit, quomodo in tales cogitationes inciderit, quales in iis progreſſus fecerit. Multum enim prodeſt ad rem intelligendam, ſi & inventorem ejus & modum inventionis teneamus: quæ cùm Carteſius, ſecus ac alii fecerunt philoſophi, nobis patefecerit, magnas eapſe de cauſa ei gratias debemus.

7. Refutatur hinc Lent. p. 44. ita ſcri-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

bens: *unicuique ſuus fœtus bellatulus, etiam ſimiarum & cercopithecarum. Quem & ipſum omnibus cum applauſu contemplandum proponere licet. Exemplarium tantus acervus erit, ut quid quis imitetur, dubia ſemper mente rapiatur*. Reſpondetur enim, exemplarium non fore tantum acervum, quoniam qui Philoſophiam invenerint, totque abſtruſas veritates detexerint, non ſunt multi. Plures thyrſigeros, paucos eſt cernere Bacchos.

8. Cùm ergo ſcriptum hoc populare ſit, & modum quo hæc Philoſophia inventa fuit aperiat, duplici jure illius lectio præmittitur, ne tirones illico ad ipſius Philoſophiæ jubar oculos convertentes fortè excœcentur, ex ignorantiæ tenebris primùm egreſſi, Verùm ſubſiſtant aliquantiſper in hac diſſertatione, ut à minori luce deinceps pedetentim ad majorem procedant.

9. Iudicium de hac diſſertatione hujuſmodi tulit Vir in Anglia doctiſſimus D. Henricus More in literis ante triennium ad Carteſium Cantabrigiâ exaratis: *in Methodo tua, luſorio quodam, ſed eleganti modeſtiæ genere, talem te exhibes Virum, ut nihil indole genioque tuo ſuavius & amabilius, nihil excelſius & generoſius fingi poſſit vel expeti.* Quod verum eſſe vel ipſa calumniarum manifeſtabit refutatio.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

10. Liber hic Gallicè primùm conſcriptus eſt ab authore Gallo, poſtea ab amico ejus in linguam Latinam verſus. Nec ſolùm Carteſius verſionem illam multis in locis mutavit, ſed etiam ſenſum ſuum emendare ſtuduit, uti teſtatur in præfatiuncula ad lectorem. Hoc notato patet injuriam fieri tam Interpreti quàm Carteſio à Iacobo Revio, quando in Conſideratione Theologica paſſim de illius fide queritur, & hujus mentem eſſe negat, quam editio Latina monſtrat.

11. Dum verò in eadem præfat. Carteſius fatetur, ſe forſan etiam alia multa prætermiſiſſe, item, interpretis verba non emendâſſe, facilè intelligimus fieri potuiſſe ut vocabula quædam, quorum minor eſt cura Philoſopho quàm rerum, manſerint incorrecta. Proinde non debebant Carteſio dehoneſtamenta linguæ Latinæ & grammaticationem tam falſe objicere Revius ſtat. p. 73. Lent. p. 215.

12. Mirum autem videri alicui poſſit, cur adverſus hanc diſſertationem tela ſua imprimis, dirigant adverſarii. Nam ſi Carteſiana ſcripta cum Revianis & Lentulanis conferamus, apparebit hos plura contra hunc tractatum, quàm contra ipſa Philoſophiæ Principia aut Meditationes ſcripſiſſe, cujus rei cauſas conſiderare operæ pretium eſt.

13. Primò, quia Diſſertatio populare ſcriptum eſt, citiùs poteſt impugnari quàm quæ

accurata ſunt. Nam in probabilibus facilè inſtantiæ occurrunt, in neceſſariis contrà, modò intelligantur, mens nihil ultra requirere poteſt. Deinde minori negotio poſſunt vincere Carteſium adoleſcentem quàm virum. Principiis enim & Meditationibus ea continentur quæ vir judicavit: hæc diſſertatio adoleſcentis plerumque & juvenis judicia commemorat. Ex quibus adverſariorum elucet aſtutia & calliditas.

14. Sed intelligitur inde etiam eorundem aut ruditas aut perverſitas, dum neſcientes aut nolentes inter tractationem acroamaticam & exotericam diſcernere, populariter dicta tanquam philoſophica dogmata accipiunt & tali cum rigore, qualem in acroamaticis adhibere ſolùm convenit, diſſertationem exotericam exagitant.

15. Sciant vero nihil ſe aliud tali inſectatione, quàm laureolam in muſtaceo quærere. Nam 1. nil præclari facit qui populare ſcriptum & infirmioris ætatis judicia impugnat: contra Meditationes & Principia fortius inſurgant ſi quid poſſunt. 2. Sit ita, ut Diſſertationem ex parte refutent, nihil ideo decedet Philoſophiæ Carteſianæ. Nam ſi quis in quærendo theſauro ambages ſecutus, alicubi lapſus fuerit, quædam fruſtra tentârit, nihil id derogat theſauro jam invento. Nec ſicubi adoleſcens nondum repertâ philoſo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

loſophiâ erravit, idcirco vir maturæ ætatis in ipſa philoſopia erraviſſe dicendus.

16. Quamvis autem ob cauſas allatas tam facile oppugnatu ſit hoc ſcriptum, quàm propugnatu difficile, clariſſimè tamen vel ſimpliciſſimis ingeniis rudi ſermonis genere oſtendere conabor, nihil à Revio in Conſideratione & ſtatera, nihil à Lentulo in Nova Sapientia eſſe allatum, quod non facillimè ſolvi poſſit ac refelli.

## CAP. II.

### *De judicii ſive bonæ mentis æqualitate, methodi neceſſitate, Carteſii occupatione.*

1. CArteſius diſſertationem de Methodo ab hoc enunciato incipit: *nulla res æquabilius inter homines eſt diſtributa, quàm Bona mens. Bonæ mentis* nomine intelligit judicium, ſicut ipſe explicat in parentheſi, *vim incorruptè judicandi*(Gall. la puiſſance de bien juger) *& verum à falſo diſtinguendi propriè bonam mentem appellari* dicens, bonamque mentem & *rectam rationem* pro iiſdem accipiens. Recta enim ratio judicium deſignat, ut vel ex artis & prudentiæ vulgatis definitionibus conſtat, quando illa habitus cum recta ratione effectivus, hæc habitus cum recta ratione activus deſcribi-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

tur. Et in eadem ſignificatione Philoſophi morales rectæ rationis vocabulum ſumunt. Vnde Hornejus lib. 2. civ. doct. cap. 2. §. .docet, rectam rationem nihil aliud eſſe quàm verum judicium de rebus, quæ ex naturalibus principiis cognoſcuntur, atque ita vocem eam tum Scripturam ipſam, tum Eccleſiæ etiam doctores uſurpare Hæc plenius, quia hîc ſtatim in limine pleriq; impingunt.

2. Id quod contigit etiam Cyriaco Lentulo, qui ad prima Carteſii verba jam poſita & expoſita annotat: *omnes homines æquali virtutum & recti de rebus judicii menſura cumulantur (id enim per bonam mentem intelligo.* Vbi fraus Lentuli aperta eſt, aliam bonæ mentis definitionem adferentis, eam quam Carteſius dederat negligentis. Notatu enim dignum eſt, quòd Carteſii verba referens ea præciſe omittat, quibus quid bonæ mentis nomine intelligat perſpicuè docet. Longè verò aliud eſt judicandi facultatem in omnibus æqualem pronunciare, aliud æquali virtutum & recti de rebus judicii menſura cunctos donare. Aliud eſt judicium ſi potentiam, aliud ſi actum notat. Ego æquè judicare poſſum pro modulo perceptionis meæ, ac tu pro tuæ. Inde autem non ſequitur quòd æquè rectè judicemus ambo, quandoquidem non æquè rectè percipimus. Si forte contendat Lentulus ſuam, non Carteſianam

bonæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

bonæ mentis deſcriptionem valere, litem de voce tantùm movebit, eamque Interpreti potiùs quàm Carteſio. Hic enim Gallicè ſcripſerat, le bon ſens. Senſus autem ducitur à ſentio, unde ſententia, id eſt, judicium, quod quis ſentit, id eſt, judicat.

3. Quod judicio ſive ſententias ferendi aptitudine æquales ſint homines, Carteſius inde colligit, quòd cùm in aliis rebus majora & meliora ſoleant optare, (ut ipſe in fine hujus pag. majorem cogitandi celeritatem, imaginandi facilitatem, memoriæ capacitatem) omnes tamen judicio ita ſe abundare putent, ut melius non deſiderent. Res tota reſolvitur in vulgata iſta proverbia: ſuum cuique pulchrum, quot homines tot ſententiæ, quot capita tot ſenſus. Etenim quòd ſuo quiſque judicio abundat ex eo proficiſcitur, quòd exiſtimat ſe judicandi facultate facilè parem eſſe aliis omnibus. Hæc quoque cauſa eſt, cur omnes, etiam idiotæ, quodammodo utantur dialecticâ & tentativâ, quemadmodum Ariſt. cap. 11. de ſophiſt. elench. teſtatur. *Omnes* enim, ſic addit ibid. Ariſt. *aliquo modo conantur judicium ferre de iis qui aliquid profitentur.*

4. Non opus eſt, ut iſta ſubtiliùs excutiantur hoc in loco, quia ut populari diſſertationi probabile effatum: ita probabili effato veriſimile ſufficit argumentum. Videamus

igitur Lentuli ratiocinationes, quarum profectò conſequentiam ſolus ipſe videt.

5. Nam 1. ex argumento Carteſii jam declarato infert, *principium & fundamentum rerum omnium Carteſio eſſe opinionem*, quaſi hoc loco de fundamento rerum aut Philoſophiæ principio ageretur. 2. ait *hoc argumento ſtultiſſimum quemque fore ſapientiſſimum, cùm quò quis ingenio & eruditione inter eruditos minus pollet, eò plura ſibi ferè tribuat*, quaſi argumentum à communi omnium hominum opinione ductum, quo tanquam probabili utitur Carteſius, idem ſit cum eo quod à ſtulti alicujus opinione pendet.

6. Quòd ſi ergo judicandi vis in omnibus naturâ eſt æqualis, quæri poteſt, quî fiat quod non idem omnes judicent, ſed opinionibus adeo diſſideant. Reſpondet Carteſius, id inde provenire, quòd 1. *cogitationem non per eaſdem vias ducant. 2. non ad eaſdem res attendant.*

7. Ad quæ Lentulus primò: *atqui æqualitas bonæ mentis in eo maximè conſiſtit, ut quid ſequendum ſit, quid fugiendum, videat, viſum abſque cunctatione eligat.* Vbi iterum patet, Carteſio de alliis loquente, de cæpis verba facere Lentulum. Nam ſi τὸ videre quid ſequendum aut fugiendum ab electione ipſa (quâ hic nihil aliud quàm judicium denotari poteſt) diſtinguatur, uti Lentulus hîc diſtin-

ſtinguit, manifeſtum eſt illud videre non ad judicandi potentiam, ſed ad perceptionem intellectus pertinere, cujus magna eſt inæqualitas. Vide epiſt. ad Eliſabeth. principem.

8. Porrò quærit Lent. *unde igitur ea rectæ viæ ſelectio?* Reſp. à majori intellectus perſpicacia, diſtinctè imaginandi facilitate, præceptorum fideli admonitione, exercitio, diligentia, attentione. Tertiò notat: *quid monſtri foveas in ipſo libri veſtibulo declaras, nimirum ut Dei ductu excluſo, omnia in arbitrii noſtri facultate poſita eſſe contendas*, quæ manifeſta calumnia eſt, nam qui affectus alicujus cauſam ſecundam adfert & proximam, non ideo excludit primam & remotam. Ita non ſequitur, bona methodus nos ducit ad rerum notitiam, ergo Dei ductus abeſt.

9. Quoniam igitur plurimum in eo ſitum eſt, ut debitas cogitandi vias unuſquiſque ſequatur, ideo ne quis ingenio ſuo nimium fidat, ſed ad rectam Methodum inveſtigandam animum applicet, pergit Carteſius: *ingenio pollere haud ſufficit, ſed eodem rectè uti palmarium eſt.* Cauſam attexit: *excelſiores animæ, ut majorum virtutum, ita & vitiorum capaces ſunt.* Nempe majorum virtutum intellectualium capaces ſunt, ſi rectis judicandi viis inſiſtentes ad res debito modo attendant, vitiorum, ſi ſecus.

10. Ad hæc Lent. *atqui paulò antè nega-*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*gaveras animas alias aliis eſſe excelſiores, æqualitatem bonæ mentis omnibus hominibus tribuendo. an hæc ſunt animi ſibi conſtantis? Et quem locum hæc ſententia, Italorum ſcriptis emendicata, quæſo habet, dum de captanda via agis, & ad alacritatem à naturæ æqualitate adhortari.*

11. ℞. judicii æqualitatem Cartes tribuerat omnibus, non animarum, nam præter judicandi vim alia ſunt in anima multa, quorum ratione alia humilis, alia excelſa perhibetur. 2. quod aliena huic loco non ſit ſententia, §. 9. monſtrato nexu indicavi. 3. ſi ab Italis hanc deſumſit, nemo vitio verterit. Simile ſuis in ſcriptis facit Lentulus, cujus hîc mores notari poſſunt, quando quæ refutare nequit rationibus, jam emendicandi verbere affligit, jam dicteriis proſcindit, ut dum pag. ſq. illud: *claudus in via antevertit curſorem extra viam*, dicterium vocat, quo illuſtris Bacon de Verulamio tanquam proverbio utitur Novi org. lib. 1. aph. 61. ubi eleganter addit: *etiam illud manifeſtò liquet, currenti extra viam, quò habilior ſit & velocior, eò majorem contingere aberrationem.* Eodem proverbio Auguſtinus aliique Theologi in rebus ſacris utuntur. Calvin. Inſt. Theolog. lib. 3. cap. 14. ſect. 4. *bellè idem ipſe* (Auguſtinus) *alibi, dum talium hominum* (quorum fidei luce carentium præ-

clara facinora memorantur, Scipionis, Catonis &c.) *ſtudium erroneo curſui comparat. Quò enim magis ſtrenuè currit quis extra viam, eò longiùs à ſcopo recedit, ideoque fit miſerior. Quare melius eſſe contendit in via claudicare, quàm extra viam currere.*

12. Eodem dicto reſponderi poteſt Lentulo, quando ex Carteſio quærit p. 21. *qua via quos æquare deſperabas, infinitis paſſibus ſuperaſti?* Sin diſcipuli, quem vocat, reſponſum adſpernatur, audiat magiſtrum explicatiùs reſpondentem epiſt. ad Dinet. pag. 151. fin. *reſpondeo me quidem mihi nihil arrogare, nec profiteri me plus videre quàm cæteros; ſed hoc fortè mihi profuiſſe, quòd cùm proprio ingenio non multum fidam, planas tantùm & faciles vias ſim ſecutus. Nam ſi quis per ipſas magis promoveat, quàm alii multò majori ingenio præditi per ſalebroſas & impenetrabiles illas quas ſequuntur, non eſt mirandum.*

13. Quæ præterea hîc inſpergit Lent. quòd Cartes, cùm *cogitandi celeritatem* diſtinguat ab *imaginandi facilitate*, non poſſit à cogitatione *eſſentiam animæ* (exiſtentiam debuit dicere) *probare*, quòd ſubitam in omne genus hominum literaturæ dictaturam ſumat, &c. ut nimis inepta & falſa prætereo, dum vel rationis umbram Cenſor adferat, quibus ea comprobet. Sed unum non poſſum omittere, in quo ubi intoleran-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

dam maledicendi libedinem demonſtravero ; finem hujus capitis faciam.

14. Verba Cart. ſunt : *Iam enim ex ea* (Methodo) *tales fructus percepi , ut quamvis de meipſo ſatis demiſsè ſentire conſueverim ; & dum varias hominum curas oculo philoſophico intueor , vix ullæ unquam occurrunt quæ non vanæ & inutiles videantur ; non poſſim quin dicam, me ex progreſſu quem in veritatis indagatione jam feciſſe arbitror, ſumma voluptate perfundi ; talemque de iis quæ mihi quærenda reſtant ſpem concepiſſe, ut ſi inter occupationes eorum qui meri homines ſunt , quædam ſolidè bona & ſeria detur, credere auſim illam eandem eſſe quam elegi.*

15. Ad quæ Lent. *Vanas & inutiles eſſe hominum curas , & omnia quæ ſub ſole fiunt vanitate laborare, à ſapientiſſimo regum Hebræorum docemur. Te verò ab illa vanitate eximi , & à* MERIS *hominibus ad* θεανθρώπους *collocari , id verò eſt , quod indignè ferimus ; non quòd felicitati cujuſquam invideamus , ſed quod divinitatis majeſtatem cum homuncione communicandam eſſe alienum judicemus. Vanarum curarum participem & Salomo ſe eſſe quiritatur. Num te eum eſſe tua Putandi licentia cogitas, de quo Salvator noſter :* ECCE MAIOR SALOMONE HIC? *Quò tandem abripiet ho-*

*minem ſumma, qua perfuſum ſe eſſe gloriatur, liberè cogitandi & αὐθαδείας voluptas?*

16. ℞. Per *meros homines* Cartes intelligit homines naturales, quatenus non ſunt peculiari gratia à Deo illuminati; vel, qui ſupra vulgarium hominum ſortem non ſunt poſiti, ut pag. 7. de Theologia agens loquitur. Confer utrobique editionem Gallicam. *Occupationes* vocat curas & ſtudia quibus in hac vita homines vacant. Confer. p. 25. ubi Ethicam ſuam concludit, pro ſe optimum eſſe ratus, ut totum vitæ tempus in ratione ſua excolenda & veritate inveſtiganda conſumeret. Evidens itaque eſt hujus loci ſenſus, nimirum 1. ſuam occupationem, quæ eſt cultura ingenii & veritatis methodica inveſtigatio, annumerat iis, quæ pertinent ad meros homines: piè & modeſtè. 2. agnoſcit cum Salomone vanas ferè & inutiles eſſe hominum curas. 3. ſi tamen in hac mortalitate quædam occupatio, ad meros homines pertinens, ſolidè bona & ſeria detur, dicit, non quod audenter credat (ut Revius Conſiderat. p. 6. verba pervertit) ſed in modo potentiali, credere auſit, illam eandem eſſe quam elegit & ex qua ſummam voluptatem percepit, ut ſolent veritatis ſtudioſi, quotieſcunque nova cognitionis luce mentem illuſtrari ſentiunt.

17. Miretur igitur mecum Lector calu-

lumniatoris impudentiam, qui clara authoris verba ipſe inſpexit, exſcripſit & ſuis inſeruit, & tamen Carteſio improperat quod prorſus dictis ipſius omnique rationi adverſatur, quod *ſe à meris hominibus ad θεανθρώπους collocari velit*, & Servatoris noſtri inſtar, ſe *majorem Salomone* profiteatur. Et hîc, ut alibi eadem de cauſa, ad impunè calumniandum utitur Interrogationis ſchemate. Scilicet non tenetur præſtare quod non affirmat, atque interim lectori illud æquè poteſt perſuadere quod ſic interrogat, ac ſi verum eſſe dixiſſet. Tandem Revium imitatus ſtat. p. 119. exclamat: *quo tandem*, &c.

18. Velim autem Lectores attendere verba Lentuli, quibus mendacis Sapientiæ p. 271. pueritiam ſuam deſcribit: *memini me ſex annorum puerum, de ſeculorum æternitate, nec initium nec finem habitura, de mundi & quæ extra mundum finguntur ſpatia, nulla his de rebus prævia doctrina, tam profundas habuiſſe cogitationes, ut cum ætate accreſcente, accedente variorum caſuum & hominum frequentatione, carni magis & ſeculo affixus quàm in tenella ætate videar. Septuennis de omnibus Chriſti actionibus, beneficiis, myſteriis cum gravibus ætate viris domi diſſerebam.* Cogitent deinde Chriſtum duodecim annorum puerum in templo Hieroſolymitano in medio magiſtrorum ſediſſe audien-

tem

tem eos atque interrogantem, ut eſt apud Luc. cap. 2. v. 42. 46. Qualia Chriſtus fecit cum duodecim annorum eſſet, talia puer Lens poterat ſeptuennis, ut ſi eadem exclamandi licentia vellemus uti, affirmare de eo poſſemus non modò, *ecce major Salomone hic!* ſed etiam: *ecce major eo qui fuit Salomone major!* Sed abſit, ut cum profano homine ſacris eum in modum abutamur literis.

## CAP. III.

### *De modeſtia Carteſii in modo loquendi.*

1. QVa modeſtia diſſertationem ſuam cœperat Carteſius, bonæ mentis æqualitatem omnibus tribuendo, ſibi minùs ingenii, memoriæ, quàm quibuſdam aliis adſcribendo, ſuam occupationem ad meros homines referendo, eadem pergit, & quod de ſolida occupationis ſuæ bonitate (quamvis id cum conditione tantùm protuliſſet) invidis dictum videri potuiſſet arrogantius, maxima animi ſubmiſſione correcturus, *me verò*, inquit, *fortaſſe fallit opinio, nec aliud eſt quàm orichalcum & vitrum, quod pro auro & gemmis hìc vendito. Novi quàm proclives ſimus in errorem cùm de nobis ipſis judicamus, & quàm ſuſpecta etiam eſſe debeant amicorum teſtimonia, cùm nobis favent.*

2. Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

2. Ad hæc Revius Conſid. p. 6. *rogo ut conſiderent Lectores, quàm parum conveniat, audenter credere, ſolidè bona eſſe ea, de quibus ambigas an ſint aurea an ærea, an ſint vitrum an margaritum. Et quis merces haſce audebit emere, quas ipſe mercator pro ſinceris venditare non audet? qui ita inſaniverit, audiet illud Horatii: prudens emiſti vitioſum.* Lentulus ad eadem: *Facilè hîc ſententiæ tuæ accedo, nec verus verbum ullum elocutus videris. Quanta vis veritatis, &c.*

3. ℞. Mirum à viris Gallicæ linguæ & morum non ignaris, cùm ſcirent hunc librum Gallicè à Gallo conſcriptum fuiſſe, talia chartis illini potuiſſe. Non vult pro auro venditare Carteſius quàm diu non probaverat aliis, eſſe aurum, mercatoris inſtar ſe gerens (ut Revianum ſimile rectiùs applicem) qui non ut circumforaneus merces ſuas ad cœlum uſque extollit, ſed emtorem eas cognoſcere atque explorare jubet. Nec ſolet Philoſophus noſter initio ſcriptorum ſuorum audacter loqui, ne examinandi facultatem lectoribus eripere aut ulli quicquam obtrudere velle videatur.

4. Perſiſtit in eodem modeſtiæ genere, & poſtquam dixiſſet, ſe in hoc libello vitam duntaxat ſuam velle delineare, neutiquam verò præcepta aliis dare aut methodum omni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

omnibus imitandam præſcribere, ſubjungit: *cùm autem hîc nihil aliud promittam quàm hiſtoriæ, vel, ſi malitis, fabulæ narrationem, quæ inter nonnullas res, quas non inutile erit imitari, plures aliæ fortaſſe erunt quæ fugiendæ videbuntur; ſpero illam aliquibus ita profuturam, ut nemini interim nocere poſſit, & omnes aliquam ingenuitati meæ gratiam ſint habituri.*

5. Ad ea Lent. *cur igitur fabulæ narratio Methodi nomine venditatur? cur Methodi accuratiori Ariſtotelis aut Rami aut Keckermanni Methodo præferendæ? pudet tam ſecum repugnantibus immorari.* ℞. Et me pudet cavillationibus tuis immorari, quaſi fabula à fando nuncupata nunquam veram narrationem denotaret? Quo ſenſu Cartes p. 26. Comœdiarum nomen uſurpat de actionibus aliorum differens, eodem de ſuis loquens hoc loco fabulæ vocem adhibet. *Vitam eſſe fabulam quandam civilem*, item *fabulam Philoſopho dignam* Maxim. Tyrius ſerm. 37. docet.

6. Tu verò triplicis falſitatis reum te agis, nam 1. fingis illud abſolutè & ex ſuo judicio Carteſium dicere, quod humanitatis ergo lectorum arbitrio relinquit, verbis, *ſi malitis.* 2. fingis fabulæ narrationem Methodi nomine venditari, cùm Diſſertationis tantùm nomine inſigniatur, quæ

à po-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

à potiori quidem parte de Methodo ſcripta dicitur, ſed ab aliis partibus etiam de vita, ſtudiis, peregrinationibus Carteſii inſcribi potuit. Quo argumento diſſertatio de methodo tibi idem eſt quod methodus, eodem ſermo tuus p. 34. de umbra aſini erit umbra aſini. 5. fingis aliorum methodo hanc præferri, cùm expreſsè contrarium fiat. Nam Ariſtoteles, Ramus, Keckermannus præcepta dedêre, Carteſius hoc loco non dat: illi methodum aliis præcepêre, hic ſuam duntaxat narrat, non præſcribit. Vt inſignis calumnia ſit, quando Lent. ait: *ut nimirum vitam tuam quaſi certiſſimam vitæ regulam ſequamur? quo enim alio fine diſſertatione de methodo inſtitutæ?* Vide ſupra cap. 1. §. 6. Cætera quâ facilitate hîc à Lent. aſſeruntur, eadem rejiciuntur: attamen de iis ſuo loco.

7. Quoniam hoc capite propoſitum nobis eſt Carteſiani ſermonis modeſtiam tueri, quam alibi ſæpè arrodunt adverſarii, ut ſemel hac opera defungar, alium Revii locum producam, quem quidem in hac materia præcipuum potui obſervare. Is eſt Stateræ p. 19. ubi ſic ſcribit: *ad incertum & lubricum opinionum Carteſianarum ſpectant modi loquendi quibus eas aſtruit* v. g. Hæc mihi methodus in eo præ-

cipuè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

cipuè placebat, quod per illam VIDERER eſſe certus in omnibus me uti ratione, ſi non perfectè, ſaltem quàm optimè ipſe poſſem *Meth. p.* 19. putandum eſt *Princ. p.* 209. *meteor. p.* 249. putemus *princ. p.* 259. Videtur *p.* 267. ſi natura ejus ſit talis *p.* 294. nihil aliud eſſe, vel ſaltem non à nobis deprehendi. *p.* 304. vix poſſe contingere, ut tam multa ſimul cohærerent, ſi falſa eſſent. *p.* 309. In numerum eorum quæ abſolutè vera ſunt fortaſſis hæc ſua recipienda eſſe 16. *& ſeq.* quæ de mundo & terra ſcripſit, ſaltem generaliora, vix aliter quàm à ſe explicata ſint intelligi poſſe videri. *ib. ac denique*, nihil ſe affirmare. *Quod unquam mendicabulum precatum eſt tam multa ſibi gratis dari, quàm hic homo? Et quis unquam tam magnifica pollicitus eſt, qui tandem* NIHIL *dederit, ut ipſe? Et tamen hæc, quæ nihil aliud habent quàm* ſi, *&* ſaltem, *&* vix, *&* fortè, *&* ſupponi, *&* videri, *&* putari, *& tandem nihil pro oraculis habentur.* Hæc Revius.

8. ℞. Exempla ſingula ſi opus fuerit ſuis locis ſpeciatim vindicabo, hîc tantùm generatim dicam, ex ejuſmodi loquendi modis incertum & lubricum opinionum Carteſianarum adſtrui non poſſe. Nam ſi tali ratione liceret argumentari, Iuſtitiæ ſacerdotes, quibus familiaris eſt iſta loquendi for-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

di formula per τὸ *videri* &c. in jure dicendo incerta pronunciarent, imò plurimæ Iuris regulæ forent lubricæ. Inſpiciamus enim tit. de reg. Iuris, inveniemus ibi ſequentes: velle non *creditur*, qui obſequitur imperio patris vel domini. Non *videtur* cepiſſe qui per exceptionem à petitione removetur. Is qui actionem habet ad rem recuperandam, ipſam rem habere *videtur*. Servitutem mortalitati *ferè* comparamus. Nullius *videtur* dolo facere, qui ſuo jure utitur. Non *videntur* qui errant conſentire. Non *videntur* rem amittere quibus propria non fuit. Non poteſt deſiiſſe *videri* habere qui nunquam habuit. Nulla *intelligitur* mora ibi fieri, ubi nulla petitio eſt. Pupillus pati poſſe non *intelligitur*. Ubi Hippolytus à Collibus in comment. quia nec ſcire, nec velle, nec nolle ſine tutoris authoritate *putatur*.

9. Mitto plures alias, ex his enim ſatis perſpicit Lector, *credi, videri, intelligi, putari* in rebus etiam certis pro ſynonymis uſurpari. Caveat ſibi Revius à Iureconſultis, ſi regulas iſtiuſmodi omnes ob tales efferendi modos eſſe lubricas, & non potiùs moleſtè enunciatas, clamitet.

10. Fortiùs verò prememus Revium, ſi ipſius Ariſtotelis exemplum adduxerimus. De eo M. Balthaſar Cellarius (ne fortè noſtram

ſtram fidem ſuſpectam habeat) in ſua ex Ariſtotele potiſſimùm eruta Politica li. 1. ca. 1. th. 14. *ubi non eſt, ut aliquis Ariſtotelem hac de ſententia dubitaſſe opinetur, cùm paulò ſuperius de eadem re ſermonem habens utatur, verbo δοκεῖν, quod dubitandi verbum eſſe ipſe Ariſtoteles innuit l. Elench. Soph. cap. 17. quando reſpondentem, qui paradoxum dicere cogitur, jubet, ut verbum δοκεῖν reſponſioni ſuæ adjungat. Nam qui in lectione Ariſtotelis paululum verſati ſunt* (NB) *illos non latere poteſt, verbum δοκεῖν ſeu videri ſæpiſſime non ἐνδυασμοῦ ſeu dubitationis, ſed βεβαιώσεως ſeu aſſeverationis modeſtæ ac philoſophicæ ſignificationem habere. Giphan. in comment. ad l. 1. Eth. c. 1. ait: ego animadverti, Ariſtotelem tribus hiſce verbis: δοκεῖ ſeu δόξειεν ἴσως & φαίνεται etiam in rebus certiſſimis mille locis uti, crede modeſtiæ cauſa, aut etiam elegantiæ, Idem de particula ἴσως trahit Neldel. in diſp. de ord. Doctr. in diſcip.* Quid petit amplius noſter Revius? Nunquam certè aſperitate & moroſitate ſua eam laudem conſequetur, quam Carteſius modeſtia meruit, ut monumento ejus inſcriberetur: QVÆ VERA SCIVIT, VERECVNDE AFFIRMAVIT.

11. Audiamus etiam Baconis de Verulamio verba quæ exſtant in primo de augm. ſcient. libro: *ſimilis error ſe oſtendit in modo tra-*

*tradendi doctrinam, qui ut plurimum eſt imperioſus & magiſtralis, non ingenuus & liberalis, ita demum compoſitus ut fidem potiùs imperet, quàm examini ſubjiciatur.* Paulò antè dixerat: *illam credulitatem, quæ certos ſcientiarum authores dictatoria quadam poteſtate munivit ut edicant, non ſenatoria ut conſulant, ingens damnum ſcientiis intuliſſe.* Ideo in præfat. Novi org. reprehendit, quòd *omnis traditio & ſucceſſio diſciplinarum repræſentet & exhibeat perſonas magiſtri & auditoris, non inventoris, & ejus qui inventis aliquid eximium adjiciat.*

12. Ex quo intelligimus modum illum loquendi ac ſcribendi non tantùm ad authoris facere commendationem, verùm etiam ad auditorum Lectorumque uſum. Nam ſi ille qui doctrinam proponit audacter omnia affirmet ac pro ſua authoritate decernat, auditorum plerique deſinunt ſuum judicium adhibere, id ratum illico habentes, quod ab eo quem probant ac reverentur, judicatum ac pronunciatum vident. Adeo ut illi præceptores qui ſua diſcipulis tanquam oracula aut prætoria edicta obtrudunt, immodica ubique aſſeveratione utentes, non modò ſuam patefaciant ſuperbiam, at ſervilia etiam diſcipulorum reddant ingenia.

13. Carteſius itaque in ſcriptis ſuis paſſim repræſentat non perſonam prætoris edicentis, ſed ſenatoris conſulentis, non magiſtri cum authoritate præcepta dantis, ſed inventoris augeri ſcientiam à ſucceſſoribus cupientis. Ideo *Principiorum* nomine Philoſophiam ſuam inſignivit, ut ex iis plura concludenda eſſe indicaret. Ideo talem docendi viam in Meditationibus præſertim elegit, quæ modum quo res inventa eſt tradit & diſcere cupientium animos lenitate demonſtrationis potiùs explet, quàm ut à pertinaci aſſenſum vi extorqueat, uti monet circa fin. ſecundd. reſpp. Quantò autem hoc ſatius ſit, quàm ſi cum Hipparcho diſcipulus dicere cogatur, *coëgit certè ô Socrates me magis quàm perſuaſit* (Plato in fine Hipparchi) teſtentur omnes qui id in ſapientiæ ſtudio ſunt experti.

14. Hinc fluunt didactica illa præcepta, quæ in Linguarum Methodo Noviſſima Comenius tradit agens de jucunditate ſtudiis neceſſaria, ubi inter alia hæc habet cap. 10. §. 140. *natura humana libera eſt, ſpontaneïtatem amat, coactionem horret. Ideo quò tendit, duci vult; trahi, trudi, cogi non vult. Vnde eſt ut moroſi, imperioſi plagoſique Præceptores, inimici ſint humanæ naturæ, & ad dejiciendum ac perdendum ingenia, non verò erigendum & expoliendum, nati apti.*

15. Neque primus hæc Comenius, qui Lentulo propter novitatem duriùs vapulat, ſed plurimis antè ſeculis Plato 7 de Repub. docuit: *is docendi modus accipiendus eſt quo minimè coacti ad diſcendum eſſe videantur. Cur iſtud? Quoniam non decet liberum hominem cum ſervitute diſciplinam aliquam diſcere. Quippe ingentes labores corporis vi ſuſcepti, nihilo deterius corpus efficiunt. Nulla verò animæ violenta diſciplina eſt ſtabilis. Vera loqueris. Ergo non tanquam coactos pueros in diſciplinis ô Vir optime, ſed quaſi ludentes enutrias, ut & magis ad quod quiſque natura ſit aptus, poſſis agnoſcere.*

16. Hæc ut pleniùs ediſſererem occaſionem dedêre adverſarii, ex quibus abundè intelligitur, id maximæ laudi ducendum eſſe Carteſio, quod ipſi vitio vertunt, nequaquam verò concluſionum certitudinem iſta ratione labefactari. Quin imò ſi verè dixit Marſilius, *Platonicos ludos atque jocos graviores eſſe quàm ſeria Stoïcorum*, dicere non verebor, Carteſianum *fortè* aliorum *certè* ſæpè verius eſſe ac gravius.

17. Nec tamen interim negamus, ut in Ariſtotele, ſic in Carteſio voces *videri, fortè* & ſimiles dubitationis interdum eſſe notas, præſertim in ſcriptis exotericis: ſic in dedicat. ad Sorbon. Cart. ait, quòd per hæc verba Apoſtoli Rom. 1. *quod notum eſt Dei*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*manifeſtum eſt in illis*, *videamur* admoneri ea omnia quæ de Deo ſciri poſſunt, rationibus non aliunde petitis quàm ab ipſamet noſtra mente poſſe oſtendi. Quin etiam in acroamaticis ob intellectus infirmitatem rerumq; difficultatem pro certis demonſtrationibus rationes quandoque veriſimiles amplecti tenemur, ut, ſi non expleatur cognitione veri, ſaltem non planè vacuus relinquatur intellectus. Itaque Scalig. ex. 1. ſect. 3. *demonſtrationibus neceſſariis quia ſemper ſcientiæ uti nequeunt, probabilibus argumentis eſt commodus atque utilis relictus locus. Id quod etiam ex Platonis Parmenide obſervare licet.* Confer Ontoſophiam meam par. 3. §. 104. ſqq.

18. Et hoc ſine dubio innuere voluit Gallus Principiorum Carteſianorum interpres, quando articuli penult. partis quartæ poſtrema verba (*his enim admiſſis, cætera omnia, ſaltem generaliora quæ de Mundo & Terra ſcripſi, vix aliter quàm à me explicata ſunt, intelligi poſſe videntur*) ita Gallicè reddit: en ſorte que ce ſeul point (aſſavoir que les cieux ſont fluides) eſtant reconnu pour ſuffiſamment demonſtré par tous les effets de la lumiere & la ſuite de toutes les autres choſes que j'ay expliquées, je penſe qu'on doit auſſi reconnoiſtre que j'ay prouvé par demonſtration Mathemati-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

que toutes les choſes que j'ay eſcrites, au moins les plus generales, qui concernent la fabrique du ciel & de la terre, & *en la façon que ie les ay eſcrites, car j'ay eu ſoin de propoſer comme douteuſes toutes celles que j'ay penſé l'eſtre.*

19. Pauca adhuc adjiciam de vocabulo *Putandi* Carteſio familiari, quod Lentulus valde exagitat, v. g. p. 18. principium & fundamentum rerum omnium Carteſio eſt *opinio*. Sum quia cogito. Cogito quia cogitare me *puto*. Omnes homines æquali virtutum &c. quia omnes abundare ea ſe *putant*. ibid. ita ad principium tuum *Putandi* relaberis. p. 22. tua *Putandi* licentia. p. 37. *putare* tibi licet, ſed mihi tua *opinatione* fidem adſtringendam non imponis.

20. Potuiſſes autem, magne Philologe, Calepinum conſulere, cujus mentionem injicis p. 36. Hic te docuiſſet, bonis authoribus præeuntibus, *putare* idem eſſe quod cogitare, conſiderare, animo revolvere, quia cogitando reſecamus mente, quæ falſa & inutilia ſunt, & quod verum ac bonum eſt, huic cogitando hæremus, quæ Calepinus ex Perotto, diſſimulato ejus nomine deprompſit, ſicut hic ex Gellio, qui lib. 6. c. 5. *Verbum puto non ſignat profectò aliud, quàm id agere nos in re dubia obſcuraque, ut deciſis amputatiſq; falſis opinionibus, quod videatur eſſe verum &*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*& integrum, & incorruptum, retineamus.* Si ita putat Carteſius, rectè putat, & nos libenter cum eo putamus. Tu ſi nolis iſto modo putare, cave ne putes te ſapientem fore, quotquot etiam Novas Sapientias adornes.

21. Si fortè Calepinum faſtidis, tanquam ad tirones pertinentem, Matth. Martinium audi (cujus Lexico philologico Danhawero in Idea bon. Interp. p. 1. ſect. 3. art. 6. judice vix aliud viſum eſt eruditius) PUTO, *exiſtimo, cogito, conſidero, eſt* 1 *affirmo, ſed cum hæſitatione.* 2 *aliquando etiam judico & ſtatuo certò: quod nonnunquam modeſtiæ* (NB) *vel reprehenſionis cauſa dicitur.*

22. Si Calepini, Perotti, Martinii, atque etiam Gellii teſtimonia ſpernis, non puto te Sacrarum literarum authoritatem velle defugere. Ioh. v. 39. ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς, ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν αὐταῖς ζωὴν αἰώνιον ἔχειν. 1. Cor. VII. 40. δοκῶ δὲ κἀγὼ πνεῦμα θεοῦ ἔχειν. Puto te & Iudæorum judicium rectum & Apoſtoli perſuaſionem certam arbitrari. Salomon Glaſſius Philologiæ ſacræ lib. 3. tract. 3. can. 18. docet in ſacris literis *exiſtimationis ſeu reputationis* verba nonnunquam ipſam rei veritatem denotare: eodem libro tract. 5. can. 25. oſtendit, *dubitandi adverbia* non ſemper incertitudinem directè importare, ſed vel rei difficultatem exprimere, vel propter aliam rationem emphaticè

ticè adhiberi. Quæ omnia ſuperioribus firmandis inſerviunt.

23. Quare, ad authorem noſtrum ut revertamur, Carteſius vocabulo putandi crebrò utitur pro cogitare, conſiderare, judicare etiam certò. Et ſicut ſententias ſuas *opiniones* vocando Meth. p. 62. 68. non ideo dubias & incertas inſinuat: ita etiam quod putat, non ideo pro certo & ambiguo habet. Exempla ſunt P. II. 6. *non putabit.* P. III. 147. ſeq. ubi indiſcriminatim utitur vocibus: *judicabimus, putabimus.* 136. medio, *putandum eſt radios ſolis.* 132. med. *rationi valdè conſentaneum eſt, primò ut putemus* &c. *ſecundò ut putemus* &c. 130. *qui putandi ſunt non longè abeſſe.* 129. *putandumque eſt.* IV. 166. *me non putare.* Dioptr. cap. 6. art. 16. *cognitione ſeu opinione,* it. *cognitionem ſeu opinionem.*

## CAP. IV.

### *Carteſii adoleſcentis de diſciplinis & ſtudiis literarum ad ſe relatis judicium.*

1. INcipit Carteſius quam in hoc libro promiſerat vitæ ſuæ deſcriptionem à prima ætate initium faciendo p. 3. parag. *ab ineunte ætate* &c. & hinc ad finem uſque ſectionis primæ nondum exponit methodum ſuam (quam poſt medium ſectionis ſecun-

dæ

dæ quatuor præceptis demum exhibet) ſed occaſiones & cogitationes varias recenſet, quibus paulatim ad methodum perductus fuit, cujusmodi ſunt agnitio propriæ ignorantiæ, judicium de uſu & valore ſcientiarum quas didicerat, peregrinatio &c.

2. Hîc primò Revianæ Conſiderationis caput ſecundum perſtringendum eſt, cujus inſcriptio ita habet: *primus Methodi gradus: Carteſius omnia quæ in ſcholis docentur didicit* &c. ℞. Falſum hoc eſſe jam monuimus, nondum enim hîc agitur de Methodo. Rectiùs Revio ſapuit qui in ſecundo Platonis Dialogo *plurima diſcere Philoſophiam eſſe* putavit, quamvis nec illud ſatis rectè.

3. Deinde, Carteſium omnes artes & linguas didiciſſe, omnes libros evolviſſe falſitatis conatur convincere, tum à temporis in Academia exacti brevitate; tum ex ipſius Carteſii teſtimonio legendis Philoſophorum libris ſe nunquam valde multum temporis impendiſſe, ſe rerum forenſium ignarum eſſe profitentis; tum denique ex eo quòd in Chaldæa, Arabica &c. linguis ſpecimen exhibere nequeat p. 10. 11. 12.

4. ℞. 1. Carteſius non aſſerit ſe perdidiciſſe omnia, verùm ſe iis utcunque tinctum fuiſſe pag. 4. 2. & ne quidem omnibus ſcientiis ſimpliciter ſe tinctum ait, ſed iis



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

quibus alii in eadem ſchola imbuebantur. 3. nec omnes ſimpliciter libros legiſſe, ſed quotquot in manus inciderunt, unde patet 4. voculam OMNE, quam urget Revius, non collectivè, ſed diſtributivè pro libris & ſcientiis cujuſcunque generis accipiendam eſſe. 5. quantum ad linguas, probare tenetur Revius, iis non utcunque tinctum fuiſſe Carteſium adoleſcentem, quæ in ſchola quam frequentabat, docebantur.

5. Addit Revius p. 12. Carteſium, dum bonum eſſe ait omnes ſcientias examinâſſe, etiam ſuperſtitioſas & falſas, rem impoſſibilem præſcribere, quòd hoc non obiter debeat fieri, ſed accuratè, ut quis rite de iis judicare poſſit, ad hoc autem totam hominis vitam non ſufficere.

6. ℞. 1. Carteſius id ſibi adoleſcenti bonum judicavit, non præſcripſit aliis. 2. dicit ſatis eſſe *aliquam iis ſcientiis operam dediſſe* eaſque *deguſtaſſe* pag. 5. 8. eum in finem, *ſaltem ut poſſimus quid valeant judicare & non facilè ab ulla fallamur*. Ejuſmodi finis *privato* homini ſufficit, nec alium ſibi Carteſius propoſuit, cujus aſſequendi gratiâ ut ulli mali libri accuratè cognoſcantur, minimè eſt neceſſe. Ita enim Cart. P. I. 34. *non autem requiritur* (*ſaltem ad quomodocunque judicandum*) *integra & omnimoda rei perceptio*; *multis enim*

*poſſu-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*poſſumus aſſentiri, quæ non niſi perobſcurè & confusè cognoſcimus.* 3. quid autem de lectione librorum malorum aliis permittat, imprimis iis qui in *publico* officio ſunt conſtituti, ex ejus ad Voet. epiſtola cernere licet, ubi initio quartæ partis ita ſcribit: *non etiam dico Theologis aliiſve nunquam utile eſſe malos libros videre, cùm ſcilicet eorum officium eſt illos refutare vel emendare* &c.

7. Apponamus & verba Verulamii ex ſecundo de Augm. ſcient. cap. 2. *neque verò præceperim, ut ex hiſtoria iſta mirabilium, ſuperſtitioſæ narrationes, de maleficiis, faſcinationibus, incantationibus, ſomniis, divinationibus & ſimilibus, prorſus excludantur, ubi de facto & re geſta liquidò conſtet. Nondum enim innotuit, quibus in rebus & quouſque effectus ſuperſtitioni attributi, ex cauſis naturalibus participent. Ideoque licet hujuſmodi artium uſum & praxim meritò damnandum cenſeamus, tamen à ſpeculatione & conſideratione ipſarum (ſi ſtrenuè excutiantur) notitiam haud inutilem conſequemur, non ſolùm ad delicta in hoc genere reorum ritè dijudicanda; ſed etiam ad naturæ ſecreta ulteriùs rimanda. Neque certè hæſitandum de ingreſſu & penetratione intra hujuſmodi antra & receſſus, ſi quis ſibi unicam veritatis inquiſitionem proponat; quod*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*& Majeſtas tua exemplo proprio confirmavit. Tu enim duobus illis clariſſimis & acutiſſimis religionis & naturalis Philoſophiæ oculis, tales umbras prudenter & perſpicaciter perluſtrâſti; ut te ſoli ſimilimum probaveris, qui polluta loca ingreditur, nec tamen inquinatur.* Referrem etiam quod Iudæi tradunt de Senatu Sanhedrim, ſenatores illos Magiam apprimè caluiſſe, ut præſtigiatores faciliùs convincerent, niſi illam opinionem jam rejectam viderem à P. Cunæo de repub. Hebr. cap. 12. lib. 1.

8. Pergit Revius p. 12. *rem ſuæ methodo exitialem comminiſcitur, qui enim uſque ad vitæ ſuæ periodum examinandis omnibus ſcientiis & libris occupatur, ei nihil temporis ſupererit ad cognoſcendam methodum Carteſianam.* ℟. iterum ſupponit Revius, quod probare nequit & ad quod ſuprà reſponſum, aliquid hîc præſcribi Carteſii diſcipulis, omnes omnino libros legendos, methodum hîc tradi Carteſianam. Tantum verò abeſt ut Carteſius ficticiam Revii methodum ſuorum ſcriptorum lectoribus commendet, ut planè contrariam viam ingrediendam iis eſſe oſtendat Princip. præfat. Gall. his verbis: *ſicut viatores dum terga obvertunt loco ad quem tendunt, tantò longiùs ab illo recedunt quò diutiùs & velo-*

*cius*

*cius progrediuntur, adeo ut licet poſtea in veram viam reducantur, non tamen æquè citò ac ſi quieviſſent ad deſtinatum locum pervenire poſſint: ita & illi qui falſis vtuntur principiis, quò ea magis excolunt majorique cum cura varias conſequentias inde deducunt, ſe bene philoſophari exiſtimantes, eò longiùs à veritatis & ſapientiæ notitia abeunt. Vnde concludendum eſt* (NB) *eos qui quàm minimum didicerunt illorum omnium quæ hactenus nomine Philoſophiæ inſigniri ſolent, ad veram percipiendam quàm maximè eſſe idoneos.* Et aliquantò pòſt: *dicere potuiſſem eos qui opinionibus meis ſunt imbuti multò minori cum negotio aliorum ſcripta intelligere, eorumque verum pretium æſtimare, quàm qui imbuti illis non ſunt: prorſus contrà, ut ſuprà dixi, quàm accidit illis qui ab antiqua Philoſophia initium fecerunt, eos videlicet quò plus in ea deſudârunt tantò ſolere ad veram percipiendam ineptiores eſſe.*

9. Ampliùs ait Revius: *in ſacras literas incurrit atque ideo Theologis hac in parte ſequendus non eſt: ea enim ex verbis verè ſapientium ſcientiam quærendam docent, non ex lectione omnium ſine diſcrimine librorum.* ℞. 1. Sacræ literæ jubent ut caveamus à pſeudoprophetis, & ut poſſimus cavere, ex fructibus eos cognoſcamus,

omnia probemus, quod bonum eſt retineamus, caveamus ne quis nos ſeducat per falſam philoſophiam &c. Ergo non prohibent ut cognoſcamus falſa & mala, eatenus ſaltem ut poſſimus fugere. Nihil enim vitare aut fugere poteſt voluntas, quod non aliquo modo apprehendat intellectus. Atqui hoc unicum vult Carteſius, qui tamen 2. nihil hîc proponit quod Theologis ſequendum dicat. 3. nec uſpiam aſſerit ex cujuſcunque farinæ libris ſapientiam eſſe quærendam, ſed planè contrarium. Audi eum in epiſt. ad Voet. p. 22. *talem eruditionem* (qua ingenium & mores perpoliuntur) *non promiſcua quorumlibet librorum, ſed ſola optimorum lectione, eaque iterata & frequente, itemque colloquiis eorum qui jam ſunt eruditi, quando iis frui nobis licet, ac denique aſſidua virtutum contemplatione atque inveſtigatione veritatis comparari mihi perſuadeo?*

10. Tandem Revius jam iracundior p. 13. *ſibi ipſi os batuit, nam epiſt. ad Voet. p. 47. & ſq.* malorum librorum nimis frequentem lectionem, non minùs quàm malorum hominum conſortium, noxiam eſſe *ait. inter eos recenſet libros improbos, nugaces, contentioſos, Atheorum, Libertinorum, Cabaliſtarum, magorum aliorumve impoſtorum, quos contagioſos eſſe rectè aſſerit, &*

*adver-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*adverſario ſuo acerbe exprobrat, quod eos videri velit perlegiſſe. qua fronte? cum hæc ſit prima pars Methodi, ab ipſo inventa, & aliis, ut vidimus, commendata? & quid hoc eſt aliud, quàm ſtudioſæ juventuti commendare malorum hominum (ne dicam diabolorum) conſortium, eo prætextu, ut tantò poſtea melius ſibi ab illorum dolis cavere poſſint?*

II. ℞. I. ſi contradicit ſibi Carteſius, bene habet, ea amplectamur quæ vir, quæ philoſophus, quæ abſolutè & generatim eſt elocutus, relinquamus autem ipſi quæ adoleſcens, nondum philoſophus, reſpectu ſui ipſius dixit aut cogitavit. 2. non ſibi os batuit, nam ſi in illa epiſtola *nimis frequentem* malorum librorum lectionem improbat, non ideo omnem damnat, non talem, de qua in hac diſſertatione & alibi loqui illum oſtendimus. Quamvis enim malorum hominum conſortium noxium ſit, (& ſimilis ratio eſt nimis frequentis malorum librorum lectionis) utile tamen eſt, in tantum eos noſſe, ut à bonis diſtinguantur. Hic Plato in Minoe: *diligenter cavere decet quoties virum aliquem laudaturus aut vituperaturus es ne aberres. Atque hujus gratiâ inprimis curandum eſt, ut bonos ac malos homines dignoſcamus. Deus quippe nimium*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*indignatur, quoties quiſpiam illius ſimilem improbat, aut probat diſſimilem. Dei verò ſimilis eſt vir bonus.* Quod utile Platonis monitum in gratiam Revii ac Lentuli, ad vituperandum bonos viros adeò proclivium, adjicere debui.

12. Obſervet lector 3. Carteſium in diſſertatione de Methodo inter libros à ſe lectos non referre Atheorum, Libertinorum &c. ſed in epiſtola Voetio eorum frequentem lectionem exprobrare. 4. librorum ejuſmodi lectionem eſſe primam partem methodi à Carteſio inventæ & aliis commendatæ calumnia eſt ſatis in præcedentibus confutata. At inquis ex Rev. p. 10. Cartes bonum eſſe ait omnes ſcientias examinâſſe. ℞. dicit operam illis aliquam dediſſe, non eſſe inutile, quia ipſe hoc jam fecerat, ex quo malè infertur, quod ſuadeat aliis, ut iis operam dent: ſicut p. 3. dum ex ſtudiorum ſuorum curriculo abſoluto teſtatur ſe hunc uſum percepiſſe, quòd ignorantiam ſuam agnoverit, non ideo ſuadet aliis ut ſimile ſtudiorum curriculum ingrediantur. Quod refert ſibi adoleſcenti bonum viſum, non iccirco commendat omnibus.

13. Iam fuſiùs explicemus, quid valere, quem ſibi uſum præbere literarum ſtudia Carteſius adoleſcens judicârit. Generatim fatetur in fine p. 3. *diſcendi conatum in eo ſibi pro-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*profuiſſe, quòd ignorantiam ſuam magis magiſque detexiſſet.* Haud adſpernanda profectò utilitas, quoniam nil invenis, niſi quæras, nil quæris, niſi ignorare te putaveris, ut Plato in Alcibiade. 1. docet, & Platonicus, Marſ. Ficinus, in argumento Alcib. 2. *purgabit* (ſcil. animum) *cùm ſeipſum legitimæ Philoſophiæ dediderit. Tradet, cùm ſuam ignorantiam recognoverit.*

14. Speciatim de ſingulis diſciplinis judicium juventutis ſuæ enarrare incipit p. ſq. *Non tamen idcirco ſtudia omnia, quibus operam dederam in ſcholis, negligebam; fatebar enim linguarum peritiam quæ ibi acquiritur ad veterum ſcripta intelligenda requiri.* Hîc Lentulus ſui lib. p. 24. ſine ulla veri ſpecie fingit, Carteſium laudem ſtudiis aliquam attribuere, ut majori poſtea authoritate omnia eorum genera evertat. Tum, quaſi ad maledicendum mercede conductus eſſet, iſta de Carteſio ſubjungit: *fortè & hic ad ſe pertinere putat illud dictum Apoſtoli Act.* 14. qui præteritis ætatibus ſivit omnes gentes ipſarum viis incedere. *Omnes ante Carteſium in omnibus erraverunt. Solus cum diſcipulis ſuis præjudicia hominum & errores novo ſapientiæ lumine convertit.* In eo quod præjudiciorum & hîc & alibi per ludibrium mentionem injicit, me mordet. Tres enim de *præ-*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*judiciis infantia* & errorum cauſis diſputationes jam tum Herbornæ publicè habueram, quæ tales ſunt, ut eas notis illuſtratas huic ſcripto annectere publicæque cenſuræ ſubmittere non erubuerim.

15. Cart. *Theologiam Cœlo potiundi rationem docere: Philoſophiam Veriſimiliter de omnibus diſſerendi copiam dare, & non parvam ſui admirationem apud ſimpliciores excitare.* Ad quæ Lent. *Callidè Theologorum judicia à ſcriptorum ſuorum cenſura amovet. Illos una cœli potiundi meta circumſcribit: ſuis de omnibus rebus diſſerendi copiam impertit. Theologos à Philoſophiæ cognitione excludit: ſibi liberam vagandi & arcana Theologica vellicandi poteſtatem reſervat.*

16. R. Nihil pejus fingere poterat poëta mendaciſſimus. Nam 1. author finem Theologiæ innuens nulla ratione Theologorum judicia à ſuorum ſcriptorum cenſura amovet. Sua adoleſcentis judicia refert. Nulla tum ſcripta vulgarat. Quæ poſtea edidit, Theologorum judiciis ſubjecit. 2. non loquitur de ſua philoſophia, utpote cujus nondum particulam ullam invenerat, quæ verè demonſtrat, non veriſimiliter diſſerit & admirationem ſui non apud ſimpliciores, ſed apud ſapientes excitat; Verùm de philoſophia vulgari, quam deſeruit, ut Vaniſſimæ Lentuli calumniæ ſint: *ſuis* de omnibus

rebus

rebus &c. ſibi liberam vagandi &c. 3. non aliter intelligi poteſt, Philoſophiam de c- mnibus diſſerere, quam de omnibus de quibus agit, quæ objecti philoſophici termino circumſcribuntur, qualia non ſunt arcana Theologica.

17. Carteſius vulgarem Verſum reſpiciens: dat Galenus opes, dat Iuſtinianus honores, ita loquitur *Iuriſprudentiam, Medicinam & ſcientiarum reliquos honores & divitias in cultores ſuos congerere.* Ad quæ Lent. *faſtam Gallorum nobilitatis imitatus Iuriſprudentiam & Medicinam à cenſu liberalium artium ad ſordidas, quæſtuoſas & quas mechaniques idiomate ſuo appellant, relegat; ut qui nec quicquam ingenii habeant, & in lucro captando totæ occupentur.* ℞. Meram hanc eſſe calumniam quivis agnoſcit. Et ſi Carteſius ad ſordidas artes haſce diſciplinas relegaret, quî poſſit affirmare, quòd honores in cultores ſuos congerant?

18. Cartes modicam antiquitatis &c. cognitionem utilem ait, nimis verò curioſam inutilem §. *Verùm jam ſatis temporis* &c. Vbi ocularis inſpectio docet, non vellicari antiquitatis ſtudium, Lent. p. 26. cavillatur, ſed modum in eo ſtatuendum eſſe pronunciari, quod faciendum ipſe cenſor ibidem concedit. Ita quando noſter author

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

author dicit, ſe Eloquentiam & Poëſin inter naturæ dona *potiùs*, quàm inter diſciplinas numerâſſe, Lent. hoc ita detorquet, quaſi ſolius naturæ dona eſſe dixiſſet, exclusâ omni doctrinâ, unde quærit: *ergone Horatius & Virgilius diſciplinæ Poëticæ expertes?* Statim verò ipſe naturæ potiores partes tribuit his verbis: *ea quidem Poëſeos eſt præ cæteris artibus excellentia, ut ſi omnes ingenii nervos intenderis, natura refragante nunquam ſis evaſurus Poëta.* In quo Carteſio conſentit.

19. Vbi Carteſius Matheſeos mentionem facit, ita inſurgit adverſarius: *tuis te terminis continere debebas* qualia repetit p. 57. fine. Verbis Lentuli Lentulo reſpondeo: eam cantilenam tibi occine. Non ſutor ultra crepidam, nec Poëta ultra figmenta. Quàm enim nihil præter fingendi artem didiceris hoc tuum ſcriptum, *ſcilicet Philoſophicum*, luculenter oſtendit, in quo ineptiſſimas opiniones affingis Carteſio & cum cerebri tui monſtris duntaxat luctaris. Verùm de Carteſio, quaſi extra circinum & regulam non ſciverit quicquam, non antè perſuadebis, qui Carteſiana ſcripta ex manibus & memoria cunctorum in orbe hominum ſuſtuleris. Quando porrò mones, cum injuria Archimedis & aliorum veterum mirari Carteſium, fundamentis Mathematicis nihil

nil præſtantius eſſe ſuperſtructum, non conſideras *adoleſcentem* id miratum fuiſſe, qui Mathematicarum diſciplinarum *præcipuum uſum nondum agnoſcebat*, ut ipſe de ſe hoc loco fatetur. Ex quo diſcis quòd diſſertationem hanc ſcribens majorem Matheſeos uſum agnoverit. Scias etiam, quòd ea quæ Archimedes fundamentis Mathematicis ſuperſtruxit, valdè pauca ſint reſpectu eorum, quæ per Principia Carteſiana partim ſuperſtructa iiſdem fuêre, partim ſuperſtrui adhuc poſſunt.

20. Adverſus ea quæ de moralibus veterum Ethnicorum ſcriptis habet Cartes, hæc Lent. *Hîc Ethices præcepta vapulant.* ℞. Duplicem imprimis Moralis Philoſophiæ tradendæ modum tenuêre Veteres: priorem, qui rectis de vita inſtituenda ſententiis animum imbuit, *dogmaticum*; poſteriorem, quo voluntas atque appetitus ad honeſta excitantur, *paræneticum* vocârunt. Hunc debita laude ornat Carteſius, verbis: *virtutes ſummis laudibus in cœlum tollunt, eaſque cæteris omnibus rebus longè anteponendas eſſe rectè contendunt*; illum minùs obſervatum indica, dum addit: *ſed non ſatis explicant quidnam pro virtute ſit habendum, & ſæpe quod tam illuſtri nomine dignantur, immanitas potius & durities, vel ſuperbia, vel deſperatio, vel parricidium*

dici

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*dici debet.* Ex quibus claret, quòd Philoſophus ſtoïcus hîc reſpiciat, qui hominem jam ſenſu privare, jam Deo æquare ſuis dogmatis annituntur.

## CAP. V.

### *Quomodo ſe geſſerit Carteſius in rebus Theologicis.*

1. QVanquam ea quæ nunc aggredimur ad præcedens caput ſpectabant, ſeparanda tamen exiſtimavi, tum ne illud nimis excreſceret, tum quia maximam ratione Theologiæ Carteſio invidiam apud pios conflare ſtudent adverſarii, ut defenſione opus ſit uberiore. Primò autem vexatum illum parag. *Theologiam noſtram* &c. vindicabo, deinde ad alia, quæ in hac materia Carteſio objiciuntur, reſpondebo.

2. *Theologiam noſtram reverebar* inquit Cartes. Hîc Rev. & Lent. exprobrant, quòd illa Theologia ſit Pontificia. Iniquè, cùm Platoni & Ariſtoteli non objiciant quod fuerint Ethnici, nec ullos libros philoſophicos ideo rejiciant, quòd ſint à ſcriptoribus quantum ad religionem heterodoxis exarati.

3. Addit Lent. *atque hic mirari ſubeat, cur, cùm Ieſuitæ fidiſſima Ariſtotelis mancipia ſint, hanc hominis novationem connivendo ferant. Nimirum è re ipſorum eſt,*

*nova*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*nova doctrinæ ſemina in Eccleſiam reformatam, cujus ille umbram commorationi delegit, ſpargi. quibus non tantùm diſſidia in ipſa, ſed & religionis Pontificiæ fundamenta plantentur. Majorem hanc gratiam à tribulibus ſuis inire non poterat, ut ut cæteris in rebus baſin Criſtianæ pietatis concuſſiſſet.* Eadem jam protulerat p. 16. ac tertiò profert p. 75. Nempe tam pulchra quæ ſunt bis terque repetenda.

4. ℞. Mihi longè aliud de Patribus illius Societatis compertum eſt, qui in Collegio Claremontano, quod eſt Pariſiis, cum eo contuli qui Philoſophi noſtri fuerat olim condiſcipulus. Sunt qui Philoſophiam amplectantur. Reliqui quieſcere malunt quàm prælium in quo ſuccumbant inire. Lege epiſt. ad Voet. p. 9. in fine, epiſtolam item libello de paſſionibus præmiſſam circa medium, illæ quod ſatis eſt docebunt. Tu ſi Ieſuitas imitatus tacuiſſes, vir prudens habere re, nunc ignorantiam tuam, incredibili maledicentiæ junctam, toti orbi deridendam propinâſti. Non turbarum, ſed pacis & concordiæ mater eſt Philoſophia noſtra, hujus enim *clara perceptio omnem dubitandi ac diſputandi materiam tollit* epiſt. ad Dinet. p. 153. *Veritates quas continet, cùm ſint evidentiſſimæ ac certiſſimæ, animos ad manſuetudinem diſponunt, contrà quàm faciunt ſcholarum*

*rum*

*rum controverſiæ, quæ illos qui ſe in iis exercuerunt ſenſim & ſine ſenſu magis rixoſos ac pertinaces reddentes, prima fortè cauſa ſunt hæreſium & diſſenſionum quibus mundus etiamnum vexatur*, uti ex vero Philoſophus in præfat. Principp. Gallica. Tu quidem, quâ polles calumniandi audaciâ, turbas Carteſii defenſoribus p. 16. & alibi tanquam authoribus tribuis, quas ipſe, graviſſimè offendendo, publicè privatimque concitâſti, haud aliter ac lupus agno turbationem aquæ apud Æſopum objicit.

6. Porrò Carteſius ſe veritum inquit, *ne in temeritatis crimen incideret, ſi veritates à Deo revelatas imbecillæ rationis ſuæ examini ſubjiceret*, quibus verbis indicat, non quòd iſtas veritates voluerit ignorare, explodere, abdicare (ut Revius p. 16. Conſiderationis loquitur: nam 1. *reverebatur Theologiam* h. l. 2. *beatitudinis æternæ non minùs quàm quivis alius compos fieri exoptabat* h. l. 3. *res fidei ſemper apud eum potiſſimæ fuerunt* p. 26. 4. *ſtudioſè omnia quæ ad pietatem ſpectant à dubiorum abdicatione excepit.* Reſpp. ſept. lit. 1.) Verùm quòd eas noluerit talibus ratiociniis ſubjicere, qualibus in Matheſi & aliis ſcientiis poſtea uſus fuit, credere voluit ut Chriſtianus, non Scholaſticorum Theologorum more examinare, denique noluit ſe *Theologiæ controver-*

*verſiis* Epiſt. Dinet. p. 161. fin. aut *Theologicis ſtudiis immiſcere, niſi in quantum ad privatam ſuam inſtitutionem conferebant.* Reſpp. *ſext.* 159. *nec fuit profeſſione Theologus, nec de ullis unquam ex iſtis controverſiis, quæ Chriſtianos in diverſas ſectas diviſerunt* (exemplum eſt Medd. 104. initio) *diſputavit*, epiſt. Voet. p. 53. fine.

7. Hujus inſtituti rationes tres adfert, quarum prima eſt: *quia pro certo acceperat iter quod ad cœlum ducit doctis non magis patere quàm indoctis.* Per indoctos intelligit ſimplices idiotas & ruſticos pios, non autem fide & notitia Dei deſtitutos (ut Revio placet.) Nam ſi talibus regnum cœlorum patere credidiſſet, nulla fuiſſet ratio, cur Theologiam eſſet reveritus, res fidei ut potiſſimas ſemper reſervâſſet, nunquam abdicâſſet, ut paulò antè vidimus. Ac deinde, in oppoſitione doctorum & indoctorum (quos Gallicè vocat les plus ignorans & les plus doctes) fideles ex adverſo poni infidelibus à communi loquendi conſuetudine prorſus abhorret.

8. Secunda ratio eſt: *quia veritates à Deo revelatæ humani ingenii captum excedunt*, quatenus nimirum intimas earum cauſas, nexus, conſequentias penetrare non poſſumus. Nam de τῷ διότι hæc eſſe capienda patet, quia veritates revelatas nolebat illis

illis ratiociniis ſubjicere, quibus ſubjecit naturales ex §. Præcedente 6. Ejuſmodi autem ratiocinia ſunt demonſtrationes à priori. Nec proinde negat τὸ ὅτι cœleſtium veritatum eſſe cognoſcendum vel ipſo Revio teſte qui p. 17. ita habet: *hoc pulcrè explicat ipſe Carteſius Princip. p. 33. ubi ait:* ea quæ nobis à Deo revelata ſunt, ut omnium certiſſima eſſe credenda; & quamvis fortè lumen rationis, quàm maximè clarum & evidens, aliud quid nobis ſuggerere videretur, ſoli tamen auctoritati divinæ potius, quàm proprio noſtro judicio, fidem eſſe adhibendam. *Optimè.*

9. Tertia ratio eſt: *quicunque iis recognoſcendis atque interpretandis* (pro quo alibi, examinandis) *vacare audent, peculiari Dei gratia* quelque extraordinaire aſſiſtance du ciel) *indigere ac ſupra vulgarium hominum ſortem poſiti eſſe debere* (eſtre plus qu'hommes) *mihi videbantur.* Talem autem gratiam cùm in ſe non experiretur, non putavit ſe ad illa ſacra vocatum eſſe, uti teſtatur Reſpp. ſext. p. 159.

10. His obſervatis, quæ Revius toto Conſiderationis tertio capite habet ſponte corruunt univerſa. Nam primò injuriam facit Carteſio, quando primam ejus rationem ita proponit, *quòd citra ſalutis periculum ignorare Theologiam liceat* p. 18. & illud

igno-

ignorare exponit, ſine fide eſſe & Deum ignorare p. 16. *porrò falſiſſimum.* Nota autem, aliud eſſe Theologiam ignorare, quatenus à doctoribus per modum diſciplinæ in ordinatum ſyſtema redacta Theologiæ candidatis proponitur; aliud, Theologiam ignorare, quantum ad veritates revelatas & ad ſalutem ſcitu neceſſarias, quas ex verbo Dei vel ore Miniſtrorum populus Chriſtianus haurit. Priorem ignorantiam cœlo excludere negat Carteſius, non poſteriorem, quod Revius per calumniam ei imputat.

11. Adhæc injuriam facit interpreti p. 18. 19. quem vult ab authoris mente aberrâſſe, de induſtria totum paragraphum involviſſe. Iam enim ſuprà, in præfatiuncula hujus de Meth. Diſſertationis ad Lectorem, Carteſium audivimus dicentem, *fidum interpretem verbum verbo reddere conatum, ſe verò ſententias ipſas ſæpe mutâſſe, & non ejus verba, ſed ſuum ſenſum emendare ubique ſtuduiſſe.* Ergo fruſtra toties clamat Revius, ſe Gallicum textum, qui authoris ſit, ſequi. Latinus enim, quantum ad ſenſum, etiam authoris eſt, ut modò vidimus. Et ſicubi in Gallico, nil mali ſuſpicans candidus animus, non ita ſe expreſſerat, ut Zoïlorum dentes evitaret, in Latino id corrigere laboravit.

12. Speciatim Revius ſine omni ratione



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

pertendit, aliud Carteſio notare meros homines, aliud, vulgares homines, vide ſuprà cap. 2. §. 16. item, aliud eſſe auxilium cœli extraordinarium, ut eſt in editione Gallica; aliud, peculiarem Dei gratiam, ut eſt in Latina. Nam τὸ *Extraordinaire* Gallis eſt quod non commune, non vulgare, hors du commun, hors du vulgaire. At quod commune non eſt, peculiare eſt. Quod initio tertii capitis Rev. dicit, *ut primus methodi gradus fuit omnia diſcere, ita ſecundum gradum eſſe omnia examinare,* id quarti noſtri capitis initio eſt exploſum, & poſtea initio capitis 17. adhuc abundantiùs refutabitur.

13. Capiti Revianæ Conſiderationis tertio ita ſatisfecimus, nunc videamus quid Lentulus adferat, qui quoniam dum Herbornæ novam Sapientiam commentaretur, diſſertationem Gallicam non habuit, minùs hac in parte nobis faceſſit negotii. Is igitur p.29. ad rationes Carteſii à me paulò antè expoſitas ita annotat: *Theologiæ ſtudium vivacitate ingenii Carteſiani indignum erat, ſive ut mitiùs loquamur, materiam innovandi ſine nota hæreſios non præbiturum erat. Sacerdotibus igitur, monachis & mulierculis id relinquebat* &c. ℞. non tantùm divinæ gratiæ in ſe ſenſit Carteſius, ad Theologiam docendam vocatum ſe eſſe ut putaret,

ret, non omnia poſſumus omnes. Tu ſi culpæ tibi non ducis quòd profeſſione Politicum aut potiùs Poëtam agas, non Theologum, imò verò quod politicam prudentiam opponas exactæ pietati p.62. quid alios culpas quòd Philoſophiam, Theologiæ ſubordinatam, ſectentur: Non opinor te omnes literis operam navantes reprehenſurum, quòd animum ad Theologiam non applicent, niſi juſtiſſimam Iureconſultorum & Medicorum reprehenſionem velis incurrere. 2. Non ſprevit Carteſius Theologiam ut ſe indignam & ad mulierculas relegandam, ſed contrà ſuam tenuitatem profeſſus Theologos ſupra vulgarium hominum ſortem collocavit. 3. Quæ deinde de familiari tuo addis, facilè lectores omnes judicabunt, ſi quomodo Carteſium hactenus tractaveris expenderint, eſſe omnium quæ de eo fingere potuiſti longè peſſima.

14. Sequitur ut ad ea breviter reſpondeamus, quibus adverſarii probare nituntur, Carteſium rebus Theologicis, contra ſuam in hac Diſſertatione factam atque alibi repetitam proteſtationem, falcem ſuam immittere, Theologos vexare, quid credendum ſit nec ne, eos velle docere &c.

15. Revius itaque ſtateræ p. 198. ſic ſcribit: *ut appareat lectori, eos qui Theologos tanquam profanos à ſuis ſacris exeſſe jubent,*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*bent, omnium audaciſſimè in Theologiæ, quam ignorant, penetralia ſe ingerere, age alios textus nonnullos, haud melius quàm eos quos citavimus à Carteſio exceptos ad examen vocemus.* Tum profert ex epiſtola dedicatoria Meditationum duo Scripturæ loca Carteſio citata, alterum ex libro Sapientiæ, alterum ex epiſt. Pauli ad Rom. Denique annotat. 1. *qui è principiis quàm maximè communibus & ubivis receptis omnia ſua deducit, à S. Scriptura manum abſtinere debebat, quæ à magna hominum parte non recipitur. 2. qui Scripturam citare vult, talem librum afferre non debebat, quem nec Iudæi in ſuo canone agnoſcunt, nec antiquiores Chriſtiani pro canonico admittunt &c.*

16. ℞. Nihil tam eſt commune ac tritum, quàm ut ille qui loquitur aliis, cauſam ſuam commendet argumentis apud eos potiſſimùm valentibus: adeo ut ipſe Paulus apud Athenienſes Græci poëtæ uſus ſit teſtimonio Act. XVII. 28. Itaque cùm Carteſius ſcriberet ad Sorbonicos Theologiæ Doctores, non fuit adeo Rhetoricæ ignarus, ut cauſam ſuam aliquo Scripturæ dicto apud ipſos commendare negligeret. Nec malè ex tali libro teſtimonium protulit, qui ab illis Doctoribus, quibus Meditationes dicabat, eſt approbatus. Cumque nihil ſit vulgatius, quàm ut Philoſophi in dedicationibus

bus utantur SS. literarum teſtimoniis ad ſua commendanda, etiam apud eos qui non ſunt Theologi, dici non poteſt Carteſium ſe audaciſſimè in Theologiæ penetralia ingeſſiſſe, dum ad Theologos ſcribens Scripturam citavit. Interim in ipſa Philoſophia, quæ non Theologis, non Chriſtianis tantùm, ſed omnibus omnino hominibus eſt accommodata, à Scriptura Philoſophus manum abſtinuit, ſolis naturæ lumine notis principiis nixus.

17. Deinde adducit Revius loca Scripturæ ad quæ Carteſius reſpondet in ſextis Reſpp. Sed notandum eſt injuriâ affici Philoſophum, ſi dicatur, ſe audaciſſimè in Theologiæ penetralia ingerere, quando reſpondet ſolùm ad loca ab Opponentibus allata. Theologo ad argumenta Philoſophica reſpondere ſitne neceſſarium, an verò duntaxat honeſtum, diſputant inter alios Scheiblerus in prooemio Metaph. cap. 6. & Dannhawerus idea boni diſp. ſect. 1. art. 6. Sed nullus unquam dubitavit, quin philoſophus Chriſtianus reſpondere teneatur Scripturæ ſacræ dictis adverſus doctrinam quam profitetur allatis, & uſus hoc probat omnium. Quanta autem hîc fiat injuria Carteſio, perſpicuum eſt ex verbis ſequentibus, quibus primò quidem amolitur, deinde verò aggreditur reſponſionem ad objecta loca Reſpp.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ſextis §. 5. *Quantum autem ad loca ſcripturæ, non exiſtimo meum eſſe ad ipſa reſpondere, niſi quando videantur adverſari alicui opinioni quæ mihi ſit peculiaris; cùm enim tantùm afferuntur in illas quæ apud omnes Chriſtianos ſunt vulgares, quales ſunt eæ quæ hîc impugnantur, nempe quòd aliquid ſciri poſſit & quod animæ humanæ non ſint ſimiles iis jumentorum, vererer crimen arrogantiæ ſi non mallem reſponſionibus ab aliis jam inventis contentus eſſe, quàm novas excogitare, quia nunquam me Theologicis ſtudiis immiſcui, niſi in quantum ad privatam meam inſtitutionem conferebant, nec tantum in me divinæ gratiæ experior, ut ad illa ſacra vocatum putem. Itaque profiteor me nihil in poſterum de talibus reſponſurum; ſed nondum id ſervabo hac vice, ne fortè aliquibus occaſionem præbeam exiſtimandi me ideo tacere, quòd loca propoſita non ſatis commodè poſſim explicare.*

18. Præterea Revius, ut probet Carteſium ſe audaciſſimè in Theologiæ penetralia ingerere, ex Meditatione tertia & quarta nonnulla citat. Verba initio quartæ (de tertia ſuo loco videbimus) hæc ſunt: *jamque videre videor aliquam viam per quam ab iſta contemplatione veri Dei, in quo nempe ſunt omnes theſauri ſcientiarum & ſapientiæ abſconditi, ad cæterarum*

*rerum*

*verum cognitionem deveniatur*. Lentulus p. 120. adſtipulans Revio Carteſium hîc abuſum eſſe Scripturæ loco & graviter impingere arbitratur. ℞. Facilè ipſa Meditationum inſpectio oſtendet, Carteſium non citâſſe aut interpretatum fuiſſe ullum ſcripturæ dictum, ſed uſum tantùm ſcripturæ dictione ad ſuum inſtitutum accommodata. Quid autem frequentius quàm ut ſcriptores pii tum ſimplicibus vocabulis, tum phraſibus SS. literarum utantur? quis unquam illud vituperavit, ſi fiat in ſermone de rebus honeſtis & utilibus, ſine profanatione nominis aut verbi divini? Conſulantur Belgæ Interpretes Hebr. II. 6. notar. num. 15. it. Rom. X. 18. num. 44. Ipſe Revius ſub finem dedicationis ſtateræ Triglandium compellans illa adhibet: *adſcende mecum in ſortem meam: viciſſim ibo ego quoque tecum in ſortem tuam.* Quibus verbis longè aliud volebat qui primus illa protulit Iudic. I. 3. Vti autem Revium nemo propter ejuſmodi ſacrorum verborum uſum, dummodò ſors ipſius honeſtate non careat, jure culpaverit: ita nec ipſe Carteſium in pia cauſa cum ſcriptura loquentem niſi ſummâ injuriâ reprehendit. Lentulus verò verbi Dei & Apoſtolorum Symbolo ad maledicendum & calumniandum horrendis modis abuſus



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

haudquaquam effugiet omnium piorum indignationem.

19. Reſtat unus locus, à quo cenſuram Revii iniquiorem debemus amoliri. Is eſt in fine quart. Reſpp. *Quapropter, ſi verum hîc ſine invidia ſcribere licet, auſim ſperare venturum tempus aliquando, quo illa opinio quæ ponit accidentia realia, ut à ratione aliena & incomprehenſibilis, & parum tuta in fide, à Theologis explodetur, & mea in ejus locum, ut certa & indubitata recipietur. Quod hîc diſſimulandum eſſe non putavi, ut, quantum in me eſt, occurram eorum calumniis, qui, quoniam aliis doctiores videri volunt, nihil ægrius ferunt quàm ſi quid novi in ſcientiis, quod ſibi priùs cognitum fuiſſe fingere non poſſint, afferatur. Et ſæpe in illud eò acriùs invehuntur, quò verius & majoris momenti eſſe putant; Quodque rationibus refutare non valent, ſacris ſcripturis ac veritatibus fidei adverſari abſque ulla ratione affirmant. Impii certè hac in parte, quod authoritate Eccleſiæ uti velint ad evertendam veritatem. Sed provoco ab iſtis ad pios & orthodoxos Theologos, quorum me judiciis & cenſuræ libentiſſimè ſubmitto.* Ad ea Rev. ſtat. p. 93. fin. & initio ſq. *Quid iſto homine arrogantius, qui nec profeſſione Theologus, nec multum, ut ipſe fatetur,*

in

*in Theologicis exercitatus, omnes tam ſuarum quàm noſtrarum partium Theologos quid in fide tutum, quid ſecus, docere vult, & diſſentientes à ſe impietatis & heterodoxiæ tam impudenter inſimulare audet, auctoritate etiam Eccleſiæ ſuæ inſuper habitâ?*

20. ℞. 1. Nullius arrogantiæ eſt, negare adverſari veritatibus fidei, quod clariſſime ſcias eſſe verum, cùm verum vero non contradicat. 2. nec arrogantiæ ſed modeſtiæ eſt quòd ſe Theologorum cenſuræ ſubjicit. 3. dum ſperat fore, ut Theologi olim ſuam de accidentibus ſententiam (de qua ſuo loco uberrimè agemus) recipiant, non ideo omnes Theologos arroganter docere contendit quid in fide tutum ſit, quid ſecus. 4. ſed quid ni poſſit etiam Philoſophus dicere, quod dogma Philoſophicum imprimis cum rebus fidei conſentiat? 5. impietatis inſimulat non à ſe diſſentientes, ut Revius fingit; ſed authoritate Eccleſiæ ad evertendam veritatem abutentes & abſque ratione ſe condemnantes, in quibus eſt Cyriacus Lentulus, qui p. 17. gemitum Eccleſiæ & Paſtorum & p. 364. Symbolum Apoſtolicum contra Carteſii Philoſophiam adducit & alibi Scripturæ dicta perverſiſſimè detorquet.

21. Summatim, Carteſiana circa res



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

Theologicas modeſtia ac pietas in his conſiſtit 1. quod Profeſſionem Theologicam rem adeo ſublimem & arduam eſſe credidit, ut illa tenuitatem ſuam longè inferiorem exiſtimârit, ex hujus cap. §. 6. 8. 9. 2. quòd in rebus Deum concernentibus Dei verba adaptavit §. 18. ut & P. II. 36. *Deum* ipſum, qui materiam ſimul cum motu & quiete *in principio creavit*, ut Gen. I. 1, 3. quòd in rebus ad Deum & Animam humanam pertinentibus Theologorum patrocinium expetiverit eorumque ſe cenſuris ſubjecerit, ut patet ex dedicat. Meditationum; item ex objectionibus, quarum authores rogatu Carteſii plerique ſunt Theologi (vide finem præfat. ad Lectorem, nec non præfationem typographi ad lect. quintar. object.) porrò ex epiſtola ad Dinetum, ex clauſula reſpp. quart. jam citata, ex clauſula Principiorum &c. 4. quòd non modò Theologorum judiciis ſe ſubmiſit, ſed etiam ex illorum arbitrio quædam emendavit & eorum conſiliis obtemperavit: exemplum Medd. p. 118. collata cum 135. fine. 5. quòd ſummæ ipſi curæ fuit cavere, ne vel minimum ſcriberet, quod meritò Theologi reprehenderent. Medd. p. 134. 6. quòd eas quæſtiones de Deo & Anima humana, quæ diverſa ratione ad Theologiam, diverſa ad Philoſophiam

per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

pertinent Philoſophicè tractando votis ac monitis Theologorum ſatisfecit. Confer Medd. p. 182. cum initio dedicationis ad Sorbonam. 7. quòd non modò ſuæ, verum etiam alterius religionis Theologos & Paſtores maximi fecit.

22. Eximius ad poſtremum hoc probandum locus exſtat p. 81. Epiſt. Voet. *Quippe ut eos magis honoramus, quos ex veſtium forma & coloribus Principis domeſticos putamus, quàm alios ipſorum æquales qui tales veſtes non gerunt: ita ego omnes Theologos tanquam Dei domeſticos obſervo, etiam illos qui ſunt diverſæ à me religionis, quia colimus omnes eundem Deum.* Et in Epiſt. ad Dinet. p. 161. *Neminem unquam ideo contempſi, quod alia quàm ego ſentiret, præſertim circa res fidei, novi enim fidem eſſe donum Dei; quin & multos, qui eandem quam ille religionem profitentur, etiam Theologos, etiam Concionatores colo & diligo.* Ecce in Epiſtolis ad diverſæ religionis Theologos idem teſtatur, quod non feciſſet, niſi fuiſſet veriſſimum. Et vivunt adhuc in Belgio plures & inſigniores Theologi quibus arcta cum Carteſio amicitia interceſſit, ex quibus & mihi favent Heidanus & Mareſius Theologiæ, ille Leidæ, hic Groningæ, Profeſſores celeberrimi, quos ho-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

noris causâ nomino. Addo D. Franciſcum Burmannum Eccleſiæ Hanovienſis Belgicæ Miniſtrum, Virum integerrimum ac doctiſſimum.

23. Quantum ad ea quibus adverſarii conantur evincere, quòd iniquè Theologos aliquos vellicaverit noſter Philoſophus, ſciendum eſt, quod non niſi ſummis injuriis laceſſitus de ipſis conqueſtus fuerit, nec aliter quam juſtiſſimè ſe ſuaque defenderit, ut abundantiſſimè tum Reſponſiones ſeptimæ cum epiſt. ad Dinetum, tum epiſtola ad Voëtium demonſtrant. Lentulus verò Lectorem decipit, quando Spanhemium, cui nulla unquam cum Carteſio contentio fuit, Voëtio & Revio conjungit, Carteſianæ Philoſophiæ hoſtibus acerrimis.

## CAP. VI.

### *Iudicium Carteſii adoleſcentis de Philoſophia & ſcientiis ab ea principia ſua mutuantibus.*

1. CAput hoc à quarto divellere præcedentis coëgit interpoſitio. De Philoſophia hìc loquitur author non intelligendo Mathematicam aut Moralem, utpote de quibus dixerat in præcedentibus; ſed imprimis *Phyſicam*, in rebus enim Metaphyſicis

quàm plurimis maximus inter omnes eſt conſenſus, contrà in Phyſicis maxima opinionum diverſitas Med. 73. & quam pag. 55. de Meth. Phyſicam appellat, paulò poſt vocat Philoſophiam. Et Phyſicam quidem intelligit Peripateticam & Scholaſticam, eam quippe ſolum in Scholis tum didicerat. De hac judicavit: *nihil adhuc in ea reperiri, de quo non in utramque partem diſputetur, hoc eſt, quod non ſit dubium & incertum.* Quod proprie accipiendum eſt de iis quæ Phyſicæ Peripateticæ peculiaria ſunt. Nam quatenus Phyſica nititur experientia omnibus hominibus communi, vel figuras & motus quæ Mathematicorum ſunt conſiderat, vel denique ex communibus Metaphyſicæ notionibus procedit, eatenus ut non eſt ſtrictè Peripatetica, ita certi aliquid habere poteſt. Quatenus autem nititur formis ſubſtantialibus humanæ animæ ſimilibus, qualitatibus realibus à magnitudine, figura, motu & quiete reâpſe diſtinctis, commenticiarum diſtinctionum terminis &c. nullas quæſtiones rectè in ea explicatas teſtatur. Vide epiſt. Dinet. p. 152.

2. Lent. p. 30. ita annotat: *Philoſophiam altercationibus diſtrahi, & in varias hinc diſcedi opinionum ſectas non negamus. Demus etiam, id quod veſtrates crepant,*

*Philoſophiam Scholaſticam ſuperfluis quibuſdam ſcatere nugis. quid hoc ad tua methodi infallibilitatem?* Ubi fingit vanus poëta, Carteſium ex eo quod adoleſcens de Phyſica judicavit Methodi ſuæ infallibilitatem velle exſculpere.

3. Revius majori cum probabilitatis ſpecie Conſiderationis cap. quarto: *ſi hæc conſequentia procedit 1. nihil erit certi in tota rerum natura, cùm nihil ſit de quo non diſputetur aut diſputari poſſit. 2 nihil certi erit in Theologia Scholaſtica, nam tota diſputatur. 3. nec in S. Scriptura aut Theologia orthodoxa, nam contra utramque diſputatur. 4 nec in Philoſophia Carteſiana, nam de illa acerrimè jam diſputatur.*

4. ℞. Aliam eſſe diſputationem de ſenſu orationis, aliam de veritate ſententiarum. Non diſputatur inter Chriſtianos de veritate ſententiarum à Deo revelatarum, verùm de ſenſu earum & intellectu. Ita nemo negat verum eſſe quod Chriſtus dixit: *hoc eſt corpus meum*; at qua ratione verba hæc intelligenda ſint diſceptari ſolet. Revera etiam in Philoſophia Carteſiana non diſputatur, niſi in pauciſſimis fortè & levioris momenti capitibus, de veritate ſententiarum philoſophicarum; ſed de ſenſu tantùm: v. g. non diſputatur an ſit abnegandus

gandus Deus, an vita deneganda brutis, nec ne, ſed an Carteſius uſpiam doceat, Deum eſſe abnegandum, beſtias vitæ eſſe expertes &c. Etenim pernegamus Philoſophum hoc ſentire quod adverſarii pertendunt. Ex adverſo in vulgari Phyſica non de ſenſu duntaxat Ariſtotelis, Thomæ &c. Verùm de ipſa opinionum omnium veritate diſceptatur inter ómnes, nec modò de rebus exigui momenti, ſed de præcipuis dogmatis atque ipſis adeo principiis, materia prima, forma, privatione.

5. Deinde, diſputatio illa quæ de ſenſu verborum eſt, vel à Scriptoris oritur vitio, vel à Lectoris interpretandi media non adhibentis cœcitate aut perverſitate. Dico itaque clarè Philoſophum loqui, evidenter ſententiam ſuam explicare legere atque intelligere volentibus; ſed ab invidis atque æmulis verba detorqueri, perverti, in ſiniſtrum ſenſum trahi, cùm nihil tam bene dici poſſit, ut non nemo ait, quin malè interpretando poſſit depravarier.

6. Adhæc diſtinguendum inter diſputationem quæ fit *in utramque partem:* (de qua ſola loquitur Cart.) ubi propter rationum æquilibrium attentus Lector incertus abit, utri parti debeat aſſentiri, cujus generis diſputatio eſt in vulgari Philoſophia; interque diſputationem qua ſophiſticè tantùm

oppu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

oppugnatur veritas, quales ſunt omnes contra ſacras Literas machinationes, qualis etiam in genere ſcriptorum humanorum Philoſophiæ Carteſianæ eſt oppugnatio. Nam quemadmodum in Geometria, percepta demonſtratione, omnis ceſſat diſputatio: ita Carteſiana ferè omnia evidentibus adeo fulciuntur argumentis, ut opus tantùm ſit ea intelligere ad aſſentiendum, Diſſ. de Meth. 61.

7. Pergit Revius: *ſi dubium & incertum eſt omne illud de quo diſputatur, oportet etiam ea quæ à Deo revelantur incerta reddi ac dubia ſimul ac rationis lumen contrarium videtur ſuggerere.* ℞. 1. etiam illa dubia ſunt cùm infidelibus, tum quandoque etiam fidelibus imbecillioribus ac petentibus *Domine, auge nobis fidem.* Adi tuum Admirandæ Methodi Authorem pag. 248. ſeq. 2. lumen rationis clarum atque evidens nunquam revera adverſatur ſupernæ revelationi, & Carteſiii locus qui hîc citatur ex fine partis primæ Princip. conditionalis tantùm eſt.

8. Porrò Revius ea quæ de bonorum librorum lectione pag. 4. dixerat Carteſius, opponit iis quæ de dubia Philoſophia hic aſſerit: *ſequeretur*, inquit, *optima & præſtantiſſima totius antiquitatis ingenia, in præmeditatis ſuis, optimis & ſelectiſſimis cogitationibus, nihil unquam niſi dubium & incer-*

*tum*

*tum protuliſſe.* R. 1. non omnes libri conſcripti ſunt de Phyſica Peripatetica, de qua hîc agit Cartes, ſed de rebus aliis exſtant infiniti. 2. interdum etiam ſcriptor quiſpiam diu meditando nihil tamen aliud protulit quàm dubium. Simonides quantò diutius cogitabat de Deo, quid eſſet, tantò reddebatur incertior. Et quò ſententiæ à vero ſunt remotiores, eò ſæpè plus ingenii atque induſtriæ ad eas veriſimiles reddendas illarum author impendere cogitur Diſſert. de Meth. p. 8. Quæ Revius annectit de ſolutionibus quæſtionum ab experientia, figuris &c. deſumtis, ex capitis hujus initio diſſolvuntur.

9. Liquet è dictis nec ſententiam, nec ſequelam Carteſii jure potuiſſe impugnari. Iam quod non ipſe ſolus, ſed alii etiam cætera diſſentientes idem in hac materia ſenſerint, oſtendo ex Gerh. de Neufville, cujus in præfat. Phyſiolog. ad Lect. verba ſunt: *Naturalis ſcientia, uti quidem communiter tradi ſolet, magna ex parte incerta eſt ac fragilibus admodum fundamentis nititur: id quod diſſentientes ubique de rebus phyſicis Philoſophorum opiniones & controverſiæ; quæ vacillantis ubique veritatis certiſſimum teſtimonium perhibent, ſatis ſuperq; comprobant.* Idipſum idem author ex comparatione ſcientiarum mathematicarum artiumque mechanicarum ibid. clarè evincit.

10. Ad-

10. Addamus Chriſtoph. Clavium prolegomenis in Euclid. Elem. ſic ſcribentem: *Mathematicæ diſciplinæ demonſtrant omnia, de quibus ſuſcipiunt diſputationem, firmiſſimis rationibus, confirmantque, ita ut verè ſcientiam in auditoris animo gignant, omnemque prorſus dubitationem tollant: id quod aliis ſcientiis vix tribuere poſſumus, cùm in eis ſæpenumero intellectus multitudine opinionum ac ſententiarum varietate in veritate concluſionum judicanda ſuſpenſus hæreat atque incertus. Hujus rei fidem apertè faciunt tot Peripateticorum ſectæ (ut alios interim Philoſophos ſilentio involvam) quæ ab Ariſtotele, veluti rami è trunco aliquo, exortæ, adeo & inter ſe, & nonnunquam à fonte ipſo Ariſtotele diſſident, ut prorſus ignores, quidnam ſibi velit Ariſtoteles, num de nominibus, an de rebus potiùs diſputationem inſtituat. Hinc fit, ut pars interpretes Græcos, pars Latinos, alii Arabes, alii Nominales, alii denique Reales quos vocant (qui omnes tamen Peripateticos ſe eſſe gloriantur) tanquam ductores ſequantur. Quod quàm longè à Mathematicis demonſtrationibus abſit, neminem latere exiſtimo.*

11. Accedat ſapiens Iudæus Rabbi Moſes Majemonides, qui more Nevochim p. 1. c. 31. *de nulla re, quæ demonſtrari poteſt, controverſia eſt vel diſſenſio: neque illi quiſ-*

*quam ſe opponit & contradicit, niſi ignorans & imperitus, quæ contradictio vocatur demonſtrativa. Sic inveniuntur homines, qui controverſiam movent de rotunditate terræ &c.* Et cap. 72. in fine: *ejuſmodi rebus contra quas nemo vel mutire audeat, niſi vel rerum omnium ignarus; quemadmodum Arithmeticæ & Geometriæ imperitus multa negat, quæ luce meridiana clariores habent demonſtrationes: vel præconcepta aliqua opinione laborans, ita ut ſibi pertinaciter propoſuerit, receptam aliquam ſententiam mordicus defendere.* Et p. 2. cap. 1. *atque hæc demonſtratio talis eſt, ut à nemine in dubium vel controverſiam vocari poſſit, niſi fortè ab homine imperito & naturæ demonſtrationis ignaro.* Vix meliùs deſcribi poſſunt illi, qui contra Carteſiana Principia ac demonſtrationes diſputant, quibus aliàs nemo intelligens feriò contradixerit.

12. Adhuc ad poſtrema hujus paragr. verba: *quicquid ut probabile tantùm adfertur propemodum pro falſo habendum eſſe exiſtimabam*, obſervetur quod in epiſtola lib. de Paſſionibus præmiſſa legitur: *Omnes eruditi ſat nôrunt nihil in Phyſica Scholaſtica eſſe quod non ſit dubium, nec neſciunt in illis materiis dubium non valde à falſo diſtare; quia ſcientia certa eſſe debet & demonſtrativa; adeo ut mirari non*

debeant

*debeant quod affirmaveris Phyſicam ipſorum nullius quæſtionis veram ſolutionem continere; Nihil enim aliud id ſignificat, niſi quod non contineat demonſtrationem alicujus veritatis quam ignorant alii.* Ex quo loco primò ſuperiùs dicta probantur & explicantur, deinde intelligitur, probabile ferme pro falſo haberi in ſcientiis acroamaticis, non verò in diſſertationibus exotericis quod hîc tenere oportet propter ea quæ cap. 1. §. 5. aſſerta fuêre.

13. Per cæteras ſcientias, de quibus Cartes §. *quod ad cæteras.* intelligit Medicinam & ſimiles, quæ à Phyſica, de qua præced. §. dixerat principia ſua mutuantur. Has judicavit incertas eſſe, quia incertis fundamentis ſunt ſuperſtructæ. Ubi ſi vel tritum illud conſideraſſet Revius, *ubi Phyſica deſinit, Medicina incipit*, non fuiſſet admiratus, quomodo ſcientiæ *non veræ* dicerentur quæ à Phyſica dependent. Dependent enim proximè non ex generalibus principiis de figuris & motibus & communibus notionibus, ſed è ſpecialis Phyſicæ documentis. Addit Cart. ſe nec gloria nec lucro quod promittunt ad illarum cultum fuiſſe impulſum. Quomodo autem ex eo, quod de ſcientiis iſtis ad ſe relatis ita adoleſcens judicaverit Carteſius, inferatur quod Philoſophus earum dignitatem & uſum ab-
ſolutè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ſolutè neget & *ſuperbè inſultet non tantùm omnibus Academiarum Profeſſoribus, ſed & ſupremi in Gallia ſenatus magnifico conventui, imò & regibus & imperatoribus, quibus officii ratione incumbit Politicæ & Iuriſprudentiæ ſtudium non ignorare*, ſolus videt lynceus Lentzius. Quanti aliàs Medicinam faciat noſter Philoſophus, in abſtracto, non in concreto ſpectatam, patebit ex hujus diſſert. p. 56.

14. Lent. adjungit: *quod ſi lucrum adeo aſpernaris, poteras gratis patriæ inſervire, poteras amicis, poteras obviis conſilio adeſſe. Quod multò in publicum utilius, tibi honorificentius fuiſſet, quàm nova & inaudita methodi & principiorum inventa ratione ſtatim ſcholarum & Eccleſiæ perturbare.* ℞. 1. De novitate methodi & principiorum agetur poſtea. De perturbatione Eccleſiæ & Scholarum maledictum tuum decies alibi inculcâſti, nuſpiam probâſti. Etiam quod rectè poſitum eſt, lapis eſſe poteſt, ad quem offendunt in tenebris ambulantes aut perversè diſcurrentes. 2 ut ſuprà ſine ratione ad ſtudium Theologicum volebas Carteſium adigere: ita hîc non minùs ineptè vis ut deſerto Philoſophiæ ſtudio ad vitam tantùm civilem ſe conferat. Non putò Polyhiſtorem latere poſſe, priſcos ſapientes civilibus actionibus abſtinuiſſe. Socrates illud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

illud docere poterat apud Platorum initio Hippiæ majoris, ubi & Sophiſtam vocat eum, qui ſapiens videri potiùs quàm eſſe ſtudet pecuniarum honoriſque gratiâ, verba ferè ſunt Marſ. Ficini in argumento Hippiæ.

15. Rectè & pro Philoſophiæ dignitate Vir profundæ eruditionis ac ſapientiæ Ioh. de Raey, amicus noſter honoratiſſimus, in Oratione ſua inaugurali: *Græcia olim habuit ſuos Democritos, Pythagoras, Anaxagoras, Socrates, Platones, Epicuros, Ariſtoteles, viros maximam partem illuſtres, & lucri tamen honorumque contemptores, ac ſupra ſapientiam nil quicquam in hoc mundo deſiderantes quærenteſve. At apud Chriſtianos Philoſophia aliorum ſtudiorum ancilla eſt & vile ſæpe mancipium, neque propter ſeipſam, ſed alterius ſcientiæ conſequendæ cauſa doceri ac diſci in Academiis ſolet: ſicque fieri non potuit, quin non negligentiùs tantùm à nobis excoleretur, quàm à Græcis exculta fuit, ſed multa etiam contineret, quæ vel inutilia vel moleſta videri poſſunt iis, quibus non tam lucrum aut honos, aut aliud vitæ commodum, quàm unica propriæ mentis cultura ac eruditio omnium laborum finis eſt.* Quibus verbis & ſuperiora Carteſiana & caput hoc totum obſigno.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

# CAP. VII.

## *De Peregrinatione Carteſii & ſtudio ejus tam in Mundi Volumine quàm in ſeipſo.*

1. SIcut igitur Carteſius philoſophaturus in lucri & honorum contemtu pari cum Veteribus ſapientibus animo fuit. ita quoque more illorum (è quibus & ipſe Plato militiæ operam dedit) peregrinationibus aliquot annos impendit, exercitus, urbes, aulas exterorum Principum inviſendo. §. *Quapropter ubi primùm.*

2. Tertium hîc Methodi Carteſianæ aliis præmonſtratæ gradum tradi Revius Conſiderat. cap. 5. pronunciat atque inde abſurdas conſequentias nectit. Verùm cùm antecedens illud jam antè manifeſtæ falſitatis à nobis fuerit convictum, nullam vim retinent iſtæ conſequentiæ, & otio Lectoris abuteremur, ſi paginas has illis pollueremus.

3. Attamen operæ pretium fuerit ad varias calumnias retundendas, ut Lectores obſervent, Carteſium quidem inter peregrinandum *reliquiſſe literarum ſtudia*, ut loquitur initio hujus paragr. ſive (quod idem eſt) *à ſcholaſticis ſtudiis receſſiſſe*, ut ait in fine ſect. primæ: non tamen ſtudere ac diſcere propterea deſiiſſe. Nam 1 *cum hominibus diverſo-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*verſorum morum & ordinis converſando varia experimenta collegit. 2. ſeipſum in diverſis fortunæ caſibus probando ſic ad omnia quæ in vita occurrebant attendit, ut nihil ex quo eruditior fieri poſſet ſibi videretur omittere. 3 ſemper ſcientiam verum à falſo dignoſcendi ſummo ſtudio quæſivit.* Nihil hîc invenias quod jure culpare queas, præſertim ſi & ipſe peregrinando didiceris, non onerandum eſſe libris ſcholaſticis qui iter facit.

4. Equidem talis eſt conditio hominum, ut peregrinari non ſit cujuſvis, & parum ab inſano differt qui putat peregrinationem non modò in genere tanquam methodi partem philoſophaturis hîc præſcribi, verùm etiam ſpeciatim talem præcisè injungi, qualem Carteſius pro illo tempore ingreſſus fuit, caſtra ſequendo, aulas luſtrando &c. Si quis tamen facultatibus inſtructus peregrinari velit, quin magnum ex peregrinatione fructum ſit percepturus, ſi Carteſium in illis tribus quæ modò commemoravimus pro viribus imitetur, nullus ambigo.

5. Et penitus evaneſcit cenſura Lentuli: *unde tibi tam præmatura ſapientia, ut damnato præceptorum tuorum judicio de omnibus diſciplinis, adeo nigrum calculum ferres, ut eas jure prorſus relinquere videreres?* Nam qui ſcientiam quærit, experimenta colligit, nihil omittit ex quo eruditior fiat,

fiat. Logicam ſeu Methodum vera à falſis diſtinguendi ſummo ſtudio quærit, is profectò, quia diſcere non ceſſat, *non relinquit prorſus omnes diſciplinas*, nam *diſciplina à diſcendo nomen accepit: unde & ſcientia dici poteſt*, verba ſunt Iſidori Hiſpalenſis, quibus Originum libros inchoat.

6. Dum ſic in mundi libro ſtuduit Carteſius, exiſtimavit *multò plus veritatis inveniri in iis ratiocinationibus quibus ſinguli homines ad ſua negotia utuntur, & quorum malo ſucceſſu paulò pòſt puniri ſolent, quum non rectè judicarunt, quàm in iis quos doctor aliquis otioſus in Muſæo ſedens excogitavit circa entia rationis aut ſimilia, quæ ad uſum vitæ nihil juvant.* Alludit ad eos doctores de quibus Bacon de Verulam. de Augm. ſcient. lib. I. ait: quòd otio abundantium & hiſtoriam naturæ ac temporis maxima ex parte ignorantium, mentes ſint concluſæ in paucorum authorum, præcipuè Ariſtotelis dictatoris ſui ſcriptis, non minùs quàm corpora ipſorum in cœnobiorum cellis.

7. Ad verba Cart. Lentulus annotat: *ineptè: omnem docendi facultate inſtructum & ad erudiendi munus vocatum, peregrinationis & caſuum humanorum expertem eſſe oportet? quid ſi ipſe qui ſcribo te peregrinandi & diuturnitate & longinquitate ſuperem? quid ſi plures fortunæ in me inſultus expertus ſim,*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*quàm tu videre potueris? ignoſce Lector, pro veritate eruenda & hominis vanitate redarguenda & mihi paululum gloriando ineptienti.*

8. ℞. Fingis: Carteſium velle inſinuare, omnem doctorem peregrinationis debere eſſe expertem, cujus nec vola nec veſtigium in verbis ejus apparet. Contrarium omnino fuerat inferendum, nempe cùm ipſe, qui literatum orbem ſcriptis docuit, orbem priùs perluſtrârit, non facilè peregrinationis ſtudium in homine qui erudire aliquando alios velit, improbaturum. Proinde cùm nullius rei veritas hîc eruenda eſſet, nulla ſcriptoris vanitas appareret, nulla etiam præter vanitatem tuam ratio fuit, cur gloriando volueris ineptire. Pergis deinde, bonus poëta, fingendo Carteſium non niſi de ente rationis præceptorem ſuum diſſerentem audiviſſe. Nos tua tibi figmenta relinquimus.

9. Neque duntaxat in mundi libro inter peregrinandum ſtuduit Carteſius, ſed etiam in ſemetipſo quodq; ſibi propoſuerat initio parag. penult. nullam impoſterum quærere ſcientiam niſi quam vel *in ſeipſo* vel in vaſto mundi volumine poſſet reperire, quantum ad alteram partem aggreditur in fine hujus ſect. *Sed poſtquam ſic.* Hicq; in memoriam nobis redigamus quod pag. 3. dicebat de variis diſcendi modis, verbis: *hunc diſcendi modum*

*modum cæteris quibus uti ſoleo adjungam.* Tres inter eos præcipuos jam habemus. Primus diſcendi modus conſtat inſtitutione hominum & librorum lectione, quò pertinent omnia quæ capp. quarto, quinto, ſexto habuimus. Secundus eſt ſtudium ex vaſto mundi volumine, de quo in hoc capite. Tertius eſt per quem ſtuduit in ſemetipſo. Cùm primus diſcendi modus non ſatisfaceret, ad ſecundum ſe contulit, cùm nec hic voto reſponderet, tertium amplexus fuit, quod ipſi feliciter ſucceſſit.

10. Quærat aliquis quis modus, quæ ratio ſit hujuſce ſtudii, quo ſcientiam in ſemetipſo Carteſius quæſivit? ℞. Non ea ratione qua Heraclitus dicitur improbâſſe, quòd *homines veritatem quærant in microcoſmis ſuis, non in mundo majori*, id eſt, quòd ex proprii ingenii commentis abſq; ulla Naturæ contemplatione & experientia omnia velint educere (nam in Phyſica ſpeciali, & ſimilis ratio eſt ſcientiarum ſimilium, opus eſſe experimentis in fine hujus diſſ. nos docebit author) ſed quòd primùm apud animum ſuum inveſtigaverit ratione rectè utendi methodum, ad quam inveniendam non opus fuit externo exemplari aut experimento ullo; deinde quod inſtar Archimedis figurarum & magnitudinum differentias ac proprietates varias, quales corporeis oculis non ob-

jiciuntur, apud ſemetipſum ratiocinando indagaverit; tùm quod conſideraverit mentem propriam & ab ejus notitia ad cognitionem Dei fuerit provectus, ex hujus verò contemplatione ad rerum ab eo productarum &c. de quibus ſuis locis tractabitur.

## CAP. VIII.

### Prima Carteſii peregrinantis ſimulque in ſe ipſo ſtudentis cogitatio: *opera quibus diverſi artifices, inter ſe non conſentientes, manum adhibuere, raro tam perfecta eſſe, quàm illa quæ ab uno abſoluta ſunt.*

1. CArteſius oſtenſurus ſe etiam in militia ſtudia continuâſſe, quòd generatim antea dixerat nunc ſpecialiùs declarat, quænam illa fuerint paulatim enarrans. Et initio quidem ſecundæ ſect. ait ſe in otiis hibernis totos dies ſolum in hypocauſto moratum variiſque ibi meditationibus placidiſſimè vacâſſe. Hîc Lentulus, quaſi neſciret, Muſas amare ſolitaria, exclamat: *væ ſoli!* Sed illico ſuo ſe telo confodit, producendo Scipionis exemplum, quem dicere ſolitum refert Cicero lib. 3. de Off. *nunquam ſe minùs otioſum, quàm cùm otioſus, nec minùs ſolum quàm cùm ſolus eſſet.* Addit Cicero: *magnifica verò vox, & magno viro ac ſapiente*

*piente digna: quæ declarat, & in ſolitudine ſecum loqui ſolitum, ut neque ceſſaret unquam, & interdum colloquio alterius non egeret. Ita duæ res quæ languorem afferunt cæteris, illum acuebant, otium & ſolitudo.* Quæ omnia nos veriſſimè Carteſio, magno etiam & ſapienti viro, accommodamus.

2. Primum quod Carteſio in iſta commoratione in mentem venit, fuit ſententia pro titulo capitis hujus poſita. Hanc probat inductione ædificiorum, urbium, rerum publicarum, ac deinde applicat ad ſcientias & judicia noſtra, quorum imperfectionem inde arguit, quemadmodum ex fine paragraphi poſtea à nobis explicandi liquet. Non igitur hoc loco extorquere nobis laborat, quod Lentulus ei improperat, ut uni ipſi plus fidei habeamus quàm omnium eruditorum conjunctæ operationi. Certè nihil adhuc operatus fuerat, nihil nobis promiſerat, cui fidem haberemus.

3. Sed quia Lentulus effato authoris minùs faventem ſe oſtendit, dum exempla quibus illud probatum iverat Carteſius, deinceps refellere aggreditur, audiat hîc in anteceſſum alia nonnulla exempla ex Rhetorica & Politica depromta, quarum artium callentiſſimum ſe profiteri ſolet. Suadent Rhetores, ut in diſcendo ſermone in uno authore quem imitemur, tantiſper conſiſtamus



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

dum corpus orationis formare didicerimus. Nam *ſi ſtatim, nunc hunc, nunc illum legamus ſcriptorem, oratio non erit æquabilis & unius quaſi fili, ſed incompoſita & inconſtans*, verba ſunt Voſſii part.orat.lib.4. cap. 1.§.62. Hac de cauſa Scaliger exerc. 341. Cardanum arguens, *Tuam ſcribendi rationem*, inquit, *eſſe ejuſmodi, ut à quinque amplius authoribus profecta videatur. Ita es in tua phraſi tui diſſimillimus.* Apparet uſus Carteſiani axiomatis apertiſſimè. Adde quod Gallorum Philologi exiſtimant, ſi unus Marotus Pſalmorum Davidicorum tranſlationem ad umbilicum perduxiſſet, nitidius poëma futurum. Unde Steph. Paſchachius in Diſquiſitionibus Gallicis (Recherch. de la France) lib. 7. cap. 7. de Beza loquens: *la traduction*, inquit, *du demeurant des Pſeaumes de David monſtre ce qu'il pouvoit faire, encores qu'il n'ait ſi heureuſement rencontré que Clement Marot en ſes cinquante.*

4. Quòd in Politicis verum effatum & obſervatu utile ſit, plures diſſentientes vix poſſe unum opus elaborare, præterquam quòd ex affecta, & non perfecta Babylonicæ turris ædificatione conſtat, alio exemplo oſtendo quod Clariſſ. Boxhornius in Commentariolo de ſtatu confederatarum Provinciarum Belgii cap. 6. annotavit, ubi de Milite Federati Belgii ſic loquitur: *Militem*

*Fede-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*Federatorum quod ſpectat, partim ille externus eſt, partim domeſticus, ſed longè major numerus externi quàm domeſtici, quia Federatorum ſubditi, qui tenuioris ſunt fortunæ in remotis navigationibus potiùs ſeſe occupant, quàm in ea militia quæ terrâ adminiſtratur. Neq; facile ideo aliquis præſumat, minùs tutum hoc eſſe imperium, quod nempe inſiſtat fidei ac innitatur militum externorum. Quippe externus miles non unius eſt, ſed diverſæ nationis, Germanus imprimis, Gallus, Anglus atque Scotus, quæ Nationes cùm diverſi plerumq; ingenii ſint ac inſtituti multiſq; inter ſe æmulationibus committantur, non facile futurum eſt, ut pariter conſpirent ad evertendam hujus Reip. ſecuritatem. Hæc etiam ratio eſt, ob quam in ſingulis majoribus limitaneis civitatibus præſidia militaria, non unius, ſed diverſarum nationum diſponantur atq; conjungantur.* Et quis neſcit Politicorum ſtratagema, quo inter hoſtes, quorum incurſum metuunt, diſſenſiones excitare conſueverunt? Addatur ex moralibus & Theologicis, non poſſe fieri unum opus, multò minùs perfectum opus, ſi intellectus pugnat cum appetitu, ſi caro luctetur cum ſpiritu, ſi aliud ira, aliud ratio dictet.

5. Exemplum Carteſii primum ab ædificio deſumtum his verbis carpit Lentulus: *probare debebas architecturam & ædificandi*

*rationem perfectiorem eſſe eam, quæ unius hominis induſtria reperiatur, quàm quæ progreſſu temporis, artium omnium inventoris & magiſtri, excudatur. Ex tuo autem ſimili nihil aliud inferes quàm librum ab uno confectum concinniorem eſſe eo in quo plurium manus laboraverunt, quod ne ipſum quidem ſimpliciter tibi dedero. Calepinum certè tyrones noſtri multò elaboratiorem habent, multorum conſentiente operâ adauctum, quàm qualem ab ipſo authore veteres habuere. Nec Synodi, puto, decreta aut Senatus conſulta unius Tribuni plebiſcitis poſtpones.*

6. ℞. 1. Generale de opere, non de operandi ratione effatum probari ab ædificio, non ab ædificandi ratione par erat. 2. Vt effato illi congrua eſſet illatio, inferri ſolùm poterat, librum ab uno confectum *plerumque* concinniorem eſſe eo, in quo plurium *diſſentientium* manus laboraverunt, quæ duo callidè diſſimulat Lentulus, licèt idem poſtea, Calepinum multorum *conſentiente* opera adauctum aſſerens, in viam redire, & Carteſium Verbo refutaturus reſtabilire videatur. Et notare debebat, enunciatum authoris ex eorum eſſe numero, de quibus cap. 1. §. 5. locuti fuimus. 3. Vocabularium perficitur plurium vocum utilium additione, inutilium rejectione, quod facile fieri poteſt à pluribus, haud ſecus ac plures meliùs quàm

unus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

unus pecuniarum ingentem theſaurum coacervare valent. Verùm alia eſt ejuſmodi librorum ratio, in quibus non ſeparatæ ſententiæ & phraſes aut vocabula disjuncta, veluti nummi diſtincti; ſed accuratus rationum nexus & concluſionum omnium ex certis principiis eductarum concatenatio requiritur. 4. Ubi plures homines conſentiunt in unum, non plures, ſed inſtar unius ſunt, quod in Synodis & Virorum prudentium Senatu contingit eademq; ratione plures Viri boni in Ariſtocratia aliove regimine politico unum optimum, quem monarcham appellamus, repræſentant. Ex quibus, ut aliis ejuſdem generis quàm plurimis, in libro de Compenſatione Rerum axioma Ontoſophicum extraxi: *multitudo ejus quod minus eſt compenſat majoris unitatem*, ſeu, quod perfectioni deeſt ſingulorum, in multis numero compenſatur.

7. Secundum exemplum, ab urbibus, intactum relinquit Lentulus, fortè veritus, ne vel unius urbis Richeliæ, ab incluto Cardinale exſtructæ, quam in Gallia luſtrare potuit, exemplo refelleretur.

8. Tertium exemplum, à Republica, his verbis aggreditur Carteſius: *ita etiam putare licet illos populos, qui cùm olim valde barbari atque inculti fuiſſent, non niſi ſucceſſu temporis urbanitatem aſciverunt, nec*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*ullas leges niſi prout ab incommodis quæ ex criminibus & diſcordiis percipiebant, fuêre coacti condiderunt, non tam bene inſtitutâ republicâ ſolere uti, quàm illos qui à primo initio quo ſimul congregati fuêre, prudentis alicujus legiſlatoris conſtitutiones obſervârunt.* Ad quæ Lent *Putare tibi licet: ſed mihi tua opinatione fidem aſtringendam non imponis. Accuratior ſub Saturno & Iano & Pico & Fauno reip. & legum conditarum ſtatus, quàm florenti hodie Venetorum Ariſtocratia? ὢ κρονικῶν ληρημάτων ἀνάπλεως! Perfectioribus legibus Thraces, τῶν βαρβάρων φονικώτατοι, quàm ſancta inſtitutis Romana Reſp. uſi fuêrunt? abi cum tua ratiocinatione in Morboniam, vel in valetudinarium potius & τῶν ἀφρόνων παιδοδουλικὸν ergaſtulum.*

9. ℟. Mirum quòd Poëta Venetorum Ariſtocratiæ Saturnia regna poſtponas, cùm Saturni ætate aureum fuiſſe ſeculum tui ordinis homines canere conſueverint. Ovid. 1. Met.

*Aurea prima ſata eſt ætas: quæ vindice nullo*
*Sponte ſua ſine lege fidem, rectumque colebat.*
*Nondum præcipites cingebant oppida foſſæ:*
*Non galeæ, non enſis erat.*

Inſuper non ignorabas antiquitatem profeſſus, meliùs inſtituta rep. uſos fuiſſe Romanos ſub 12. tabb. & paucis aliis legibus, quàm cum ſequenti ætate, innumeris propemo-

pemodum, quibus occaſionem crimina & diſcordiæ variis temporibus dedêre, onerata fuit reſpublica, qua de re cap. 17. pleniùs ex Lipſio. Sed tibi nihil aliud reſpondere neceſſe eſt, quàm quod comparationem non rectè inſtituas, ut perſpicuum fiet Lectori tua exempla cum verbis Carteſii jam jam citatis conferenti. Etſi verò

*——Pictoribus atque Poëtis (ſtas;*
*Quidlibet audendi ſemper fuit æqua pote-*

Eſt tamen quòd gaudeant Carteſiani, facultatem deeſſe tibi, eos ergaſtulo, quò aditum tibi ipſi Novâ Sapientiâ feciſti, tecum includendi.

10. Pergit Carteſius: *ſic certè dubium non eſt, quin ſtatus veræ religionis, qui legibus à Deo ipſo ſancitis gubernatur, ſit omnium optimè conſtitutus & cum nullo alio comparandus.* Ad quæ Lent. *rectè inde inferimus, fidem noſtram divini verbi ſcriptis potiùs obligari, quàm Pontifici & Synodorum pugnantibus inter ſe decretis. Sed quid hoc te juvat, homuncio? tene cum Deo comparare audes? tuas imaginationes divinæ ſapientiæ æquiparare? Contremiſcant cœli & terræ ad tantam hominis Veſaniam.*

11. ℞. Homuncionem appellas, quem *Naturæ Filium* cordati vocant? Memorabo verſus quos adjunctos ejus habet effigies, rumpantur ut ilia Codro:



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*Talis erat vultu Naturæ Filius, unus*
*Qui menti in Matris viſcera pandit iter.*
*Aſſignanſque ſuis quævis miracula cauſis*
*Miráclum reliquum ſolus in orbe fuit.*

Ipſe hunc Pythagoras, rejecto nomine tandem Philoſophi, vere dixerit eſſe σοφὸν. Audi etiam, ſi placet, quid Cardano ſimili elogio Plinium, naturalium rerum ſcriptorem, afficienti Scaliger ex. 124. reſponderit, & tibi dictum arbitrare: *homuncionem illum tu appellabas. At homuncio ille non fundit hæc futilia ſomnia. Homuncionis illius liber plurima quæ neſcis, uti ſcires, efficere potuit.* 2. *Hominem ſapientiſſimum cum Deo comparatum, ſimiam apparere quoad ſapientiam, & formam & alia omnia* Heraclitus prodidit, ut Plato in Hippia majore author eſt. Meriſſimum verò & fœdiſſimum tuum convitium eſt, quòd Carteſius cum Deo comparare ſe audeat. Ubi pudor Cyriace Lentule? Atqui utinam dum exclamatio per illud tremefaciens CONTREMISCANT è ſtatera Revii (qui p. 47. *contremiſcant cœlum & terra ad tantam blaſphemiam*) echone facta ad tuum uſq; librum reſonuit, alium in eadem locum attendiſſes, qui p. 247. legitur, ubi ſe defenſurus Revius, quòd ad mentem Carthesii planam faciēdam loca è Carteſiana Methodo, Meditationibus, Principiis comportârit, his verbis utitur: *qui hoc improbat, impro-*

*improbet & factum ſacerdotum populi Iudaïci qui legebant librum legis divinæ explanatè, & exponendo ſenſum, dabant intelligentiam per ſcripturam ipſam. Nehem.* VIII. 9. Cernis, opinor, Revium ita voluiſſe verſari in ſcriptis Carteſii expendendis, quemadmodum ſacerdotes in lege divina interpretanda, nec tamen unquam tanta fuit, tute nôſti, Revii erga Carteſium reverentia, ut illius ſcripta divinæ legi æquipararet. Quod ſi feciſſet, ipſe obſtitiſſet Carteſius, qui in fine Notar. ad Progr. de ſuis ſcriptis loquens ait, cum ſacris nulla humana comparanda.

12. Cùm deinceps adſtruere conaris, Spartæ felicitatem in conſtanti legum qualiumcunque obſervatione, civium virtute & concordia fuiſſe poſitam, minimè deſtruis ea, quæ Carteſius de uno legiſlatore legibuſque in eundem ſcopum collineantibus fuerat elocutus, cùm unius effectus plures eſſe cauſæ poſſint, ut pueri nôrunt. Itaque ad clauſulam paragraphi in uſum lectoris, tua jam faſtidientis dilucidius explicandam, verba Ciceronis, quibus te locum dare alibi confiteris, adducam.

13. Sed priùs audiamus, quomodo exemplum, ædificii in protaſi hujus paragr. poſitum, ad ſcientias quas didicimus ſive ad judicia quæ de rebus habemus in apodoſi ex mente authoris ſit applicandum. Dico ædi-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ficium illud ſcientiæ ſive ſcientiarum (quatenus conſideramur ut adulti, ſed veræ Philoſophiæ expertes) non eſſe ab uno architecto in mente noſtra exſtructum, ſed à diverſis ac diſſentientibus, eaque de cauſa, ſecundùm axioma huic capiti præſcriptum, eſſe imperfectum, infirmum, inordinatum. Nam 1. dum infantes fuimus non quidem eruditionem eandem habuimus, quàm viri (de quo imperitè Lentulus rogat, qui tamen ipſe de ſpatio imaginario idem puer, idem vir ſentit pag. 271. 284.) attamen de multis cœco impetu judicia noſtra præcipitavimus, taleſque ac tantas res omnes eſſe credidimus, qualiter & in quantum nos afficiebant, atque errores tum admiſſi & longa judicandi conſuetudine firmati aliorum deinceps errorum cauſæ exiſtunt & plurimi tam horum quàm illorum ſemper etiam viris adhæreſcunt. 2. etiam à matribus & nutricibus fabulas plures audivimus, quibus aliquorum mentes ſeriò interdum fuerunt depravatæ. 3. tum ex converſatione, à populo & communi loquendi ratione falſa veris admiſta plurima hauſimus. 4. ac denique ex præceptoribus & libris, quos habuimus varios ac differentes, plurima & vera & falſa didicimus, nunc horum, nunc illorum monita & præcepta ſecuti. Hi omnes doctores ac magiſtri noſtri, antequam ſeriò philoſopharemur, fuerunt,
qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

qui nec inter ſeſe conjunctim , nec ſibi ipſis ſigillatim ſemper conſensêre. Quare fieri non poteſt , ut judicia noſtra tam firma ſint ac recta , quàm eſſent , ſi à ſola matura ratione profecta omnia fuiſſent.

14. Verba Ciceronis ſunt initio lib. 3. Tuſc. Quæſt. *Quòd ſi tales nos natura genuiſſet , ut eam ipſam intueri & perſpicere , eademque optima duce curſum vitæ conficere poſſemus: haud erat ſanè , quod quiſquam rationem at doctrinam requireret , nunc parvulos nobis dedit igniculos , quos celeriter malis moribus , opinionibuſque depravatis ſic reſtinguimus , ut nuſquam naturæ lumen appareat : ſunt enim ingeniis noſtris ſemina innata virtutum : quæ ſi adoleſcere liceret , ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret. nunc autem ſimul atque editi in lucem & ſuſcepti ſumus , in omni continuò pravitate & in ſumma opinionum perverſitate verſamur : ut penè cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur. cùm verò parentibus redditi , id eſt magiſtris traditi ſumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut Vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipſa cedat. accedunt etiam Poëtæ : qui cùm magnam ſpeciem doctrinæ ſapientiæque præ ſe tulerunt , audiuntur , leguntur , ediſcuntur & inhæreſcunt penitus in mentibus. tum verò accedit eadem , quaſi maxi-*

*mus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*mus quidam magiſter, populus, atque omnis undique ad vitia conſentiens multitudo, tum planè inficimur opinionum pravitate à naturaque ipſa deſciſcimus.*

15. Concludat hoc caput illuſtris Bacon de Verulamio, qui lib. 1. Nov. Org. aph. 97 ita ſcribit: *Ratio illa humana quam habemus, ex multa fide, & multo etiam caſu; nec non ex puerilibus, quas primò hauſimus, notionibus, farrago quædam eſt & congeries. Quòd ſi quis ætate matura, & ſenſibus integris, & mente repurgata, ſe ad experientiam & ad particularia de integro applicet, de eo meliùs ſperandum eſt.*

## CAP. IX.

### *Carteſii per novem peregrinationis annos dubitatio, veritatis inventioni deſtinata.*

1. IN cœpta comparatione perſiſtens Carteſius deſtructionem inelegantis ædificii ſui, quippe à diſſentientibus adeo architectis fabricati, hoc eſt, abdicationem ſuorum præjudiciorum molitur. Et primò quidem proteſtatur, ſe non de publica Scholarum reformatione, verùm de propriæ duntaxat mentis emendatione cogitâſſe, cujus incertas atque erroneas opiniones ædibus vetuſtate fatiſcentibus aut infirmo fundamento

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

mento ſuperſtructis aſſimilat, quod refutaturus Lentulus, *veritas*, ait, *non ſeneſcit*. Sed hæc ridendo prætereamus & verba Carteſii ſequentia ponderemus: *Sed quod ad eas opiniones attinet, quas ego ipſe in eum uſque diem fueram amplexus, nihil melius facere me poſſe arbitrabar, quàm ſi omnes ſimul & ſemel è mente mea delerem, ut deinde vel alias meliores vel certè eaſdem, ſed poſtquam maturæ rationis examen ſubiiſſent, admitterem: credebamque hoc pacto longè melius me ad vitam regendam poſſe informari, quàm ſi veteris ædificii fundamenta retinerem, iiſque tantùm principiis inniterer, quibus olim juvenilis ætas mea nullo unquam adhibito examine an veritati congruerent, credulitatem ſuam addixerat.*

2. Hic locus in Carteſii ſcriptis primus eſt, ex quo adverſarii inferunt, in hac Philoſophia de rebus omnibus eſſe dubitandum, aut certè Carteſium de cunctis dubitâſſe. Qua concluſione ſemel poſita multa authori abſurda & impia affricare conantur. Itaque demonſtrabo nihil tale in hac Diſſertatione, ſaltem in ſecunda ac tertia ſectione (in quibus ſolis novennii dubitatio deſcribitur) contineri, quale ipſi ſibi imaginantur. An verò in ſectione quarta, quæ Meditationum eſt compendium, vel in ipſis Meditationibus, vel in Philoſophiæ Principiis aliquid occurrat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

rat, quod à ratione aut pietate alienum ſit, quando ad ea ſcripta pervenerimus, uberrimè declarabo. Interim rogo lectores, ut hac vice ſe intra Diſſertationis hujus limites mecum contineri patiantur, ne materias diſtinctas & ſcripta diverſo tempore conſilioque edita, haud aliter quàm à coquis jura ſolent, cum Revio confundamus.

3. Videbimus autem primò, de quibus rebus Carteſius dubitaverit; porrò in quo conſiſtat illa dubitatio; inde adverſario reſpondebimus; poſtremò ejuſmodi dubitationem nec rationi nec bonis moribus adverſari probabimus.

4. De primo concluſio prima: id quod ex mente ſua inter peregrinandum voluit delere Carteſius, fuerunt opiniones, quas in Scholis à præceptoribus & philoſophorum libris acceperat, non quidem omnes, ſed illæ de quibus agitantur controverſiæ. Prob. 1. quia ante finem hujus §. vocat *opiniones quibus olim fuimus imbuti*, cum quibus verbis confer illud p. 4. omnibus iis quibus alii ibidem *imbuebantur*, utcunque tinctus eram. 2. quia in fine hujus §. appellat *opiniones quas alii potiùs accipere* debent à doctioribus, quàm proprio ingenio inveſtigare. 3. quia initio ſequentis §. nominat *opiniones quæ ab omni memoria doctiſſimos quoſque colliſerunt*, & quarum diverſitas à præceptorum diverſita-

te

te procedit. 4. quia in fine ejuſdem §. deſignat *opiniones Philoſophorum, quas quis eligere poteſt aliiſque omnibus anteferre*, videlicet ut hinc Thomiſta aut Scotiſta &c. dicatur. Solos enim cum Ariſtotele philoſophos Scholaſticos eo tempore legerat author atque audiverat. 5. quia initio §. ultimi ſectionis tertiæ nuncupat *eas quæſtiones quæ apud eruditos in controverſiam adduci ſolent*. Corollarium: non itaque dubitavit, an detur mundus, an dentur corpora, an habeat manus & pedes, quia hæc non diſcuntur in ſcholis Peripateticorum phyſicis; ſed ante ſcientiam illam in animo diſcipuli ſupponuntur; tum, etiamſi diſcerentur in illis, non tamen in utramq; partem ibidem ventilantur.

5. Concluſio ſecunda: Quamvis autem in Scholis etiam *Religionem & Theologiam* didiciſſet Carteſius, haudquaquam tamen ſententias ad eam ſpectantes abdicare inſtituit. Prob. 1. quia ſententiæ de Dei exiſtentia, Chriſti incarnatione, paſſione &c. non ſunt ex earum numero, de quibus Philoſophi in utramque partem diſputando colliduntur. 2. quia nulla veritas revelata, quatenus ad fidem ſpectat, poteſt proprio hominis ingenio, quo in veri inquiſitione uti volebat Carteſius, inveſtigari. 3. quia hoc loco de iis tantùm loquitur opinionibus, quæ poſtea *maturæ rationis examen ſubire* debebant,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

& quibus juvenilis ætas *nullo adhibito examine*, an veritati congruerent, credulitatem ſuam malè addixerat. Atqui veritates à Deo revelatas rationis ſuæ examini ſubjicere nunquam voluit, ut cap. 5. evidentiſſimè perſpeximus. 4. quia pro illis opinionibus nunquam rite examinatis, quas è mente ſua delebat, poſtea admiſſurus erat vel eaſdem rectè examinatas, vel *alias meliores*, ut hîc loquitur. Atqui meliorem religionem non expetebat, quoniam illam judicabat eſſe *optimam*, in qua Dei beneficio ab ineunte ætate fuerat inſtitutus, & quam idcirco firmiter retinere decrevit primæ ſuæ regulæ moralis initio p. 21. 5. quia ſectione tertia, initio §. penultimi, mihi pag. 26. ita diſertè ſcribit: poſtquam me *his regulis* inſtruxiſſem, illaſque ſimul cum *rebus fidei*, quæ ſemper apud me potiſſimæ fuerunt, reſervâſſem, quantum ad *reliqua quibus olim fueram imbutus*, non dubitavi quin mihi liceret omnia ex animo meo delere. Locus eſt planè parallelus illi quem initio hujus cap. exſcripſimus eundemque optimè explicat. Nam in poſteriori, circa finem hiemis, idem author concluſit, quod in priori, initio hiemis, propoſuerat. Quod verò hîc à Carteſio removemus, id ex parte fecerunt Dani quidam ſtudioſi in Deliberatione Profeſſoribus Academiæ Hafnienſis;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

s, anno 1602. Propoſita. Hi cap. 1. ſic
ribunt: *Etſi turpe videtur, Viri ornatiſſi-*
*ni, Chriſtianum hominem fidem ſuam in*
*ubium vocare; parumque prudentis viri*
*xiſtimatur, de fide quæſtionem movere, quæ*
*pſa hæſitatione deperit & evaneſcit: quia*
*amen in hoc calamitoſum ſeculum incidi-*
*nus, quo, Majorum fide undique oppugnata,*
*ot de religione introducuntur quæſtiones, &,*
*uocunque nos vertimus, tot obtruduntur*
*eformationes inter ſe diſſidentes, ut nullus*
*nodus novorum dogmatum futurus apud*
*os videatur, qui ſemel avitam fidem refor-*
*nandam ſuſceperunt: in eorum nos ſenten-*
*iam tandem coacti ſumus, qui ſuadent, ut*
*uiſque ubi maturiorem ætatem judicandis*
*ebus idoneam, attigerit, fidem ſuam, quâ à*
*eneris annis imbutus eſt, juſto examini ſub-*
*iciat; eamque ad rectas fidei notas, quaſi ad*
*ydium lapidem, expendat, probetque &c.*
Hæc ideo adſcribere volui, ut quæ inter Car-
eſianam dubitationem & talem de religione
ıæſitationem differentia eſſet, appareret.

6. Concluſio tertia: quamvis etiam *E-*
*hicam* in Scholis didiciſſet, noluit tamen
omnia illius præcepta abjicere. Probatur
evidentiſſimè ex loco Carteſii proximè ci-
ato. Ideo enim tribus regulis moralibus ſe
nſtruxerat, quas ſectione tertia recenſet, ne-
quis putaret, quòd res morales in quantum
ad

ad mores & vitam agendam pertinent, in dubium revocaverit. Obſerventur verba circa initium tertiæ ſect. *ne dubius & anxius hærerem circa ea quæ mihi erant agenda* &c.

7. Concluſio quarta: præterea etſi *Logicæ in* Scholis ſtuduerat, non tamen omnes illius regulas repudiare voluit. Prob. 1. quia p. 16. quatuor regulas, quas maximi eſſe momenti nos infra docebimus, ita aſſumſit, ut firmiter *ſtatueret ne ſemel quidem ab illis toto vitæ tempore deflectere.* 2. quia hoc ſuum propoſitum deinceps ſtrenuè urſit, ut patet ex iis quæ tota ſectione ſecunda, de regularum illarum applicatione, uſu & fructu dicuntur, cujus in fine iſta leges: *magis & magis eam methodum quam mihi præſcripſeram excolendo, ut in ea confirmatior evaderem.* Similia habentur p. 25. it. 27. *pergebam ſemper in ea quam mihi præſcripſeram methodo &c.*

8. Concluſio quinta: licet Mathematicis etiam rebus à præceptoribus eſſet imbutus, illas tamen omnes ex animo non delevit, non certè eas omnes, quæ ad puram Matheſin ſpectant: aut certè, ſi de rebus illis dubitavit, h. e. ſi ad exiguum tempus de iis judicare deſiit, illico tamen ſingulas ordine examinando reſumpſit. Prob. 1. quia in præcedentis paragraphi apodoſi à dubiis ſcientiis excipit eas, quæ *perſpicuis demonſtra-*

*lrationibus* nituntur, cujuſmodi ſunt illæ nathematicorum, qui *ſoli certas & eviden-es rationes invenire potuerunt* p. 17. 2. quia mathematicæ demonſtrationes non pertinent ullo modo ad eas opiniones, de quibus controverſiæ agitantur & quarum atione Philoſophi in diverſas ſectas dividun-ur. 3. quia de rebus mathematicis deter-ninatè judicavit non modò ante novem innorum decurſum, ſed ſtatim primo an-10, prima hieme, quin imò intra duos aut res menſes multas quæſtionum, quas an-ea difficillimas judicavit, ſolutiones inve-venit p. 18. 19. 4. quia in fine ſect. ſecun-læ Geometricas & Algebraïcas, utpote quas am invenerat, excipit à Philoſophia, cujus accuratam diſquiſitionem in maturiorem etatem differt.

9. Concluſio ſexta: relinquitur ergo, quòd opiniones, quas in dubium Carteſius revoca-vit, ſint plurimæ cùm Logicæ, Ethicæ, Me-taphyſicæ &c. in utramque partem ventila-ri ſolitæ, tum maximè Phyſicæ, quod appri-mè convenit cum judicio Carteſii de Philo-ſophia, quod capite 6. expendimus. Ejuſ-modi, inquam, opiniones OMNES, multas ſanè & varias, SIMVL & ſemel è mente ſua voluit delere. Et quamvis ſcientificam integro novennio de rebus naturalibus, de quibus diſceptari ſolet, cognitionem non ha-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

haberet (ut liquet ex tertiæ ſect. §.ult.) habuit tamen experimentalem multiplicem, uti conſtat ex ejuſdem ſect. §. penult. Verbis: *Varias res obſervabam & multa experimenta colligebam &c.*

10. Novimus quænam opiniones illæ ſint, quas è mente ſua voluit delere Carteſius, quod primo loco propoſueramus: jam de ſecundo videamus, nempe, quid hoc ſit, *è mente delere opiniones*, quomodo hoc fecerit author toto novennio.

11. Concluſio prima: opiniones è mente delere, non eſt (ut aliquando nonnulli putârunt) eas è memoria delere, earum oblivisci. Prob. 1. quia hoc ferè nunquam eſt in noſtra poteſtate, uti teſtatur Cartes Epiſt. Voet. p. 19. 2. quia quod ad examen revocatur, hoc ipſo ex memoria deleri non debet. Iam autem voluit opinionum ſuarum examen aggredi. Sed quia Revius hîc conſentit, nec Lentulus diſſentit, ulteriori probatione ſuperſedemus.

12. Concluſio ſecunda: opiniones è mente delere hîc eſt deſinere iis aſſenſum præbere, eſt de iis dubitare, nihil determinare priuſquam denuò fuerint examinatæ. Prob. 1. quia author pag. hac 12. oſtendit ſe illud nunc correcturum in quo olim deliquerat. Deliquerat autem in eo, quòd juvenis opiniones illas, nullo adhibito examine, receperat.

Vo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

Volebat igitur nunc eas debito modo examinare. 2. ex initio tertiæ ſectionis verbis: *quamdiu ratio* (quam ego jam indicavi) *ſuadebat incertum eſſe circa ea de quibus debebam judicare.* 3. ex verbis paulò pòſt primæ legi morali ſubjectis: *cùm enim jam inde inciperem iis omnibus quibus antè addictus fueram diffidere, utpote quas de integro examinare deliberabam.* 4. ex verbis p. 26. cumque præcipuè circa res ſingulas *obſervarem quidnam poſſet in dubium revocari & quidnam nobis occaſionem malè judicandi præberet.* 5. ex initio §. ultimi ſect. tertiæ: *determinatè judicare &c.*

13. Concluſio tertia: Sceptici etiam dubitabant, judicium ſuſpendebant, nihil determinabant. Atqui Carteſius non illorum more dubitavit, ſed dubitatio illius fuit veritatis inveſtigatio, ab erroribus liberatio, iter ad certitudinem, ut illud Baconis quod legitur ante præfationem Novi Org. Carteſianæ dubitationi rectè accommodari poſſit: *iſtam judicii ſuſpenſionem non eſt quod exhorreat quiſpiam in doctrina, quæ non ſimpliciter nil ſciri poſſe, ſed nil niſi certo ordine & certa via ſciri poſſe aſſerit.* Prob. 1. quia eo fine abdicavit opiniones, *ut deinde vel alias meliores vel certè eaſdem, ſed poſtquam maturæ rationis examen ſubiiſſent, admitteret.* 2. ex p. 15. tam len-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

to & *ſuſpenſo gradu* incedere decrevi ac tam diligenter ad omnia *circumſpicere*, ut ſi non multum *promoverem*, ſaltem me *à lapſu tutum ſervarem*. 3. ex pag. ead. ſatis multum temporis impendi in *quærenda vera methodo* quæ me *duceret ad cognitionem* eorum omnium quorum ingenium meum eſſet capax. 4. quia ideo ſe in Matheſi exercuit, *ut paulatim aſſuefaceret ingenium veritati agnoſcendæ*, &c. p. 17. fine. 5. ex fine ſect. ſecundæ: *non dubitavi quin de iis* (certis in Philoſophia principiis) *quærendis mihi ante omnia eſſet cogitandum*. 6. ex p. 26. omnes paulatim *opiniones erroneas* quibus mens mea obſeſſa erat *avellebam*. Nec tamen in eo Scepticos imitabar, qui dubitant tantùm ut dubitent, & præter incertitudinem ipſam nihil quærunt. Nam contra *totus in eo eram, ut aliquid certi reperirem*. 7. ex p. 27. *malè fundatas opiniones meas dejiciendo*, varias *res obſervabam* & multa *experimenta colligebam*, quæ poſtea *certioribus ſtabiliendis* uſui mihi fuêre. 8. ex verbis ſtatim ſequentibus: magiſque ut exiſtimo *in veritatis cognitione promovebam*, quàm &c.

14. Pudet ac tædet, quòd rebus manifeſtiſſimis tam diu debeam immorari contra illud Iſocratis: περὶ τῶν φανερῶν οὐχ ἁρμόττει πολλὰ λέγειν. Sed adverſariorum coëgit importu-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

portunitas & maledicendi vehementia. Audiamus enim Lentulum ad poſita in principio hujus capitis Carteſii verba ita, notantem dicam an tonantem neſcio: *Hîc jam cardo ſapientiæ Carteſianæ vertitur: omnes opiniones (id eſt, omnem de rebus quibuſcunque aſſenſum, locutione Carteſiana) quibus à pueritia uſque ad virilem ætatem imbuti fueramus, ſimul & ſemel ex animo delere. Etiam illa, quæ ſunt natura ipſa omnium animis inſculpta: Eſſe Deum, eundem eſſe veracem, juſti & boni authorem, rectè vel ſecus actorum remuneratorem, &c. Hanc eſſe mentem verborum hujus loci ne quis dubitaret, ecce ipſe alio loco horrenda blaſphemia ſe explicat. Hunc tandem furorem quouſque patiemur Chriſtiano in orbe, quem Mahummedæ ſectatores laqueo & igni expiarent, quem paganorum impietas execraretur? Nec eum juvat effugium: non in perpetuum Deum abnegandum, ſed donec vel certò conſtaret, Non eſſe Deum, vel prior de Deo opinio rediret, poſtquam maturæ rationis examen ſubiiſſerit. Primò enim, vel momentanea de Deo abnegando deliberatio, imò vel leviſſima de Dei exiſtentia ſive bonitate dubitatio horrendum peccatum redolet. Deinde, quid ſi de Deo dubitando ætatem extrahas? quid ſi contraria ſententia animo ſedeas, Non eſſe Deum? Non enim eam*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*legem tibi pangis, ut eædem ſemper opiniones redeant, ſed, & fortaſſe ſæpius, contrariæ. Atqui, dices, ratio ſuadebit, eſſe Deum. Reſp. Non omnium ea eſt judicii firmitas: & ratio humana ſæpiſſime nos fallit. Scriptura, inquies, vacillanti rationi ſuccurret. Cur igitur ab eo principio nos abducis? cur non recta adire fontem pateris, qui etiam infantes admittit & abluit? Verendum eſt, ne qui ſemel deliriis tuis aures præbuerint, ſcripturam ſacram non magni ſint facturi. Tu delendis ex animo opinionibus, ut vel eaſdem recoctas vel meliores introducas, Medœam illam imitari videris, quæ ſtolidis puellis in ultionem ſui perſuaſit, ſenem ut patrem ferro necatum aheno ſubjecto igni coquerent, novos artus & juveniles vires extracturis, quem necare illæ quidem poterant, revocare ad vitam non poterant. Sic te ſecutis facile quidem eſt perſuadere, Dei notitiam ex animo abjicere: ſed non tam facile, abjecta dubitaticne ſacrarum literarum teſtimonio fidem adhibere. Rideas tu quantum voles noſtram, quam vocas credulitatem, &, quod ponere hîc apertè non audes, aſſenſus temeritatem. Nos fide (non enim credulitate) prævia tremenda Dei myſteria cum veneratione adoramus.*

15. ℞. 1. Omnem de rebus *quibuſcunque*, etiam de Deo ejuſque veracitate, &c. aſſen-

aſſenſum ex animo delere voluiſſe Carteſium, atrox Lentuli calumnia eſt. 2. Quòd adverbio demonſtrandi ECCE utitur, nulla demonſtratio eſt. Nec poſſum quin credam ſingulari Dei providentia contigiſſe, quòd *horrendam blaſphemiam* demonſtraturus, *nihil* demonſtraverit. 3. Quæ de *furore igni expiando*, &c. eructat, furoris an rationis indicia ſint prudens lector æſtimet.

16. Expurgatis hunc in modum maledicentiæ quiſquiliis, erigamus pauliſper animos noſtros nimiùm iſtius laboris jam pertæſos, & quod poſtremo loco promiſeramus, in gratiam lectoris utiliori jucundiùs exſequamur oratione.

17. Quin homo eruditus majori certiorique rerum cognitione ſit præditus, quàm rudis idiota, nemo, opinor, in dubium revocabit. Qui attentiùs utriuſque in hac mortalitate ſtatum contemplabitur, non etiam ibit inficias, doctum pluribus eſſe obnoxium dubitationibus quàm indoctum; ac ſcientem meliùs ignorantiam ſuam animadvertere, quàm valde ignorantem. Conſule ſectionem primam, capite ſecundo, libelli Gallici Iohannis d'Eſpagne, qui inſcribitur *les erreurs populaires*. Non adſpernandas hac de re invenies obſervationes Theologicas. Sed nos intra Philoſophiæ limites conſiſtentes aſſertionem noſtram explicemus.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

18. Duplex ignorantia eſt, una craſſa & ſupina & ſui neſcia, quam Philoſophia pellit; altera ſubtilior & quodammodo erudita & ſui conſcia, in qua Philoſophia, ſaltem vulgaris, homines in hac vita ſæpenumero relinquit. Prior in illis eſt qui quæſtionem ipſam ſive ſtatum Controverſiæ, ut loqui ſolemus, neſciunt: poſterior in iis eſt qui quæſtionem nôrunt, ſed advertentes multa probabili ratione in utramque partem dici poſſe, ignorant utri debeant aſſentiri. Exempli cauſa, quando agitur de quadratura circuli quæriturque, an quadratum dato circulo poſſit æquale effici, illi qui nunquam rebus mathematicis operam dedêre, haut magnam hîc ſibi difficultatem imaginantur & vel viliſſimo rem expeditu facilem eſſe lapicidæ arbitrantur. At bonus Mathematicus negabit ſe poſſe, imò an fieri à quoquam poſſit, anceps fortè hæſitabit. Huc facit illud Verulamii lib. 2. de augm. ſcient. in fine præfat. *haud omnino rei imperitum eſſe oportet, qui Quæſtionem appoſitè inſtituat.* it. lib. 5. cap. 3. *prudens interrogatio quaſi dimidium ſcientiæ eſt. Rectè ſiquidem Plato: qui aliquid quærit, idipſum quod quærit, generali quadam notione comprehendit; aliter quî fieri poteſt, ut illud cùm fuerit inventum, agnoſcat?* Vide etiam quæ cap. 6. §. 11. ex Majemonide citavimus.

19. Itaque cùm eruditi longiùs proſpiciant, multò plura videant, altiùs in abdita rerum penetrent, pondus earum accuratiùs trutinent, profunditatem cum difficultate experiantur, fieri non poteſt, ut non meliùs ignorantiam ſuam advertant deque pluribus ambigere cogantur, quàm vulgus imperitum, quo tamen multijuga doctrina & ſcientia ſuperiores exiſtunt.

20. Nempe vir eruditus in hoc mundi theatro, tanquam in magni regis palatio, conſtitutus res varias ac multiplices oculis habet obverſantes, de multis rectè judicat, de multis dubitat, in aliis ignorantiam ſuam profitetur. Rudis verò idiota quaſi in humili caſa degens cùm pauca habeat objecta, pauca judicat, de paucis aut nullis dubitat, inſcitiæ ſuæ agnoſcendæ nullam occaſionem nanciſcitur. Hinc aliquis intra parietes domeſticos diu educatus cùm fortè ex patrio tecto educeretur in montem, ex quo longè lateque circumſpiciendi dabatur facultas, mundum adeo eſſe amplum ſe hactenus non credidiſſe admirabundus exclamavit. Hæc in theſi: jam ad hypotheſin.

21. Carteſius ſtudiorum ſcholaſticorum curriculo abſoluto hunc fructum percepit, ut errores & ignorantiam ſuam animadverterit Diſſ. de Meth. p. 3. toto deinde peregrinationis novennio ad veram Philoſo-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

phiam gradum ſibi faciens de rebus philoſophicis inter doctiſſimos quoſque controverſis dubitavit, errores ſuos cauſis eorum obſervatis detexit atque emendavit, multa experimenta veriori ſcientiæ ſtabiliendæ utilia futura collegit, ac tandem univerſam ſuam Philoſophiam Meditatione prima per ſalutare illud ANIMADVERTI inchoavit. Dic ſodes; quid fecit à viri eruditi officio alienum? in quo peccavit? an, quòd à craſſa illa & ſui neſcia ignorantia primùm, ac deinde etiam ab altera illa quodammodo erudita, pro viribus animum ſtuduit vindicare? an, quòd errores paulatim correxit? an, quod judicium ſuſpendit in diſquiſitione earum rerum, de quibus maxima pars hominum, etiam pietate & bonis moribus præcellentium, nihil toto vitæ tempore inquirit, nihil judicat, nihil decernit? Quis neſcit multos eſſe Eccleſiarum Paſtores, multos Theologos, qui in pluribus ejuſcemodi naturæ tantùm lumine dignoſcendis controverſiis verè Scepticos agant, nihil unquam determinantes, ſemper incerti? Quòd ſi tales viri excuſantur (quis autem non excuſet?) ecquis non Carteſium (qui ne quidem illorum inſtar manſit incertus, ſed è dubiis ad certa feliciter emerſit) ab omni crimine liberet? Ac ne quidem in hoc ipſo tam innocuo labore, ea Viri eſt modeſtia ac pruden-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

dentia, imitationem ſui (teſte pag. 13.) cuiquam mortalium imperat. Et tamen conatus illius tam eximii atque ardui exemplar lectoribus, veræ Philoſophiæ cupidis, proponere debuit, ut modum quo hæc reperta fuit ne ignorarent.

22. Vt autem Revio, Lentulo eorumque ſociis Carteſio dubitationem exprobrantibus os obthuretur, producam locum Theodori Bezæ, qui in quæſtion. & reſponſion. Chriſtianarum libelli dedicatione ad Io. C. ita ſcribit: *cauſam huic qualicunque ſcriptioni partim præbuerunt amici dum varia ex me percontantur, partim ipſemet de multis dubitando velut accerſivi. Etſi enim illa Academicorum ἀκαταληψία noſtræ perſuaſioni ex diametro repugnans ex Eccleſia prorſus explodenda eſt, & inanis curioſitas valde reprehendenda: in hac tamen humani judicii imbecillitate judico dubitare de rebus neceſſariis & utilibus non tantùm licere, verùm etiam oportere, modò eorum ſimiles non ſimus quos dicere conſuevi ſemper quærere ut nunquam inveniant.* Si illum de rebus Theologicis dubitandi modum in Beza non carpunt, quid Carteſio de rebus tantùm Philoſophicis ſimili ratione dubitanti litem movent litigioſi?

23. Nec Ariſtotelem ejuſque Interpretes aliud de dubitatione ſenſiſſe, egregiè



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

docuit Clariſſ. Heereboortius Diſp. περὶ ἀπορίας quæ nunc prima eſt in Appendice diſputationum ex Philoſophia ſelect. Volum. primi, quam cùm refutare Revius nulla ratione poſſet, ita ſtateræ pag. 246. eam elevat: *mira metamorphoſi Carteſium in Ariſtotelem transformat, & illius dubitationes huic conatur affricare ſcil.* Heereboortius.

24. De Socrate (quanti autem Socrates!) Meno: *audiveram equidem ô Socrates antequam te alloquerer, morem eſſe tuum nihil aliud quàm dubitare, & aliis ſcrupulos dubitationum injicere.* Ad quod Socrates inter alia reſpondet: *maximè omnium dubitans ego, dubitare alios quoque facio.* Quibuſdam interjectis pulchrè idem docet, *quum de ignorantia ad dubitationem acceſſerit quis, tunc melius affectum eſſe*, ut habet nota margin. Vide Platonem in Menone & obſerva, poſt alia, hæc verba Socratis: *cùm ignoraret noſſe rebatur, priuſquam in hanc ambiguitatem incideret, qua & ſuam ignorantiam re deprehendit & ſcientiam appetere cœpit.*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

## CAP. X.

### *Carteſii ſtudium in quærenda Methodo. Ejuſdem de Dialectica judicium.*

1. ANtequam opinionum præjudicatarum farragine animum exſolveret Carteſius, veram ad veritatem perveniendi methodum diu multumque inveſtigavit, quemadmodum pag. 15. ædificii veteris deſtruendi, novi exſtruendi jam ſibi frequentata ſimilitudine exponit. Deinde cauſas recenſet cur Logicam, quam in Scholis didicerat, *ad hoc ſuum inſtitutum* (hoc eſt ad talem inveſtigandæ veritatis Methodum) minùs idoneam judicaverit. Vna eſt, quòd *Syllogiſmorum formæ aliaque ferè omnia ejus præcepta, non tam proſint ad ea quæ ignoramus inveſtiganda* (quod ipſius ſtudium erat) *quàm ad ea quæ jam ſcimus aliis exponenda* (quem finem hoc tempore ſibi non propoſuerat.) Altera eſt, quòd *inter multa veriſſima & optima multa habeat alia vel ſupervacua vel etiam interdum noxia, &c.* quodque *ſibi* (nempe ad ſuum inſtitutum) *pro immenſa illa præceptorum multitudine pauca quæ accuratiſſimè obſerventur ſuffectura arbitretur,* quod exemplo illius reip. in qua paucæ le-

ges à populo accuratè obſervantur (de quo vide cap. 17.) declarat.

2. Ad hæc Lent. pag. 50. *in oppugnanda Logica duplici ignorantiæ errore deprehenditur. Primo, quod nullum alium præter ſyllogiſmi Logicæ uſum agnoſcit! altero, quod ſyllogiſmum nimis anguſto fine circumſcribit.* Poſterius ita probat: *ſyllogiſmorum formas tantùm nominando, topica & inveniendi ad probationem medii induſtriam ſupprimit.* ℞. 1. Carteſius non oppugnat Logicam, ſed eam quam in Scholis didicerat ſibi minùs prodeſſe aſſerit ad ſuum propoſitum, interim aliis quibus prodeſt eam relinquit. 2. quòd nullum Logicæ uſum, præterquam ſyllogiſmi, & quidem formalis, agnoſcat, falſum eſt. Neque enim ſyllogiſmorum tantùm formas nominat, ſed addit: *aliaque ferè omnia ejus præcepta.* Notum interim eſt, Logicæ Peripateticæ præcepta omnia & ſingula ad ſyllogiſmum tendere, *non aliter atque omnes lineæ ad centrum in aliquo circulo*, ſicut Iohan. VVillius ex communi Peripateticorum ſenſu Logicæ Peripateticæ cap. 1. loquitur.

3. Priorem Carteſii rationem ita impugnat Lentulus: *ad ea quæ ignoramus inveſtiganda prodeſt, eo ipſo argumento, quod non parum poſſit in iis quæ novimus aliis exponendis.*

*nendis. Ita ſuo ſibi telo jugulatus Carteſius procumbit. Qua ratione enim beneficio Logicæ aliorum ignorantiæ medeamur, ſi noſtræ ipſorum ſuccurrere non poſſimus.* Gemina habet Revius Conſiderat. p. 28. *dictum hoc ſe ipſum jugulat. ſi enim utilis* (nim. Logica) *eſt ad docendum, utique & ad diſcendum. ubi enim aliqis docet, ibi & aliquis diſcit.* R. 1. quod utile eſt ad docendum, etiam ad diſcendum, nempe reſpectu illius, qui ab alio docetur. At qui Carteſius nec docere alios, nec doceri ab aliis hoc loco inſtituit, ſed ex ſemetipſo tantùm diſcere. Aliis, alium ſcopum ſibi proponentibus, ad docendum pariter acdiſcendum conducere Logicam, nullo modo negat. 2. non poſſumus quidem aliorum ignorantiæ mederi, ſi noſtræ ſuccurrere priùs nequeamus, quia quod quis neſcit, id alium docere nequit. Verùm, quod non poſſimus aliâ viâ invenire noſtram ſcientiam, aliâ, ſi velimus, eandem communicare, inde non ſequitur; ſaltem, ſi verum eſt quod ipſe Lent. p. 205. ſcribit: *alio in quærenda, alio in tradenda diſciplina modo progredimur.* Ita ſuo ſibi telo jugulatus Lentulus procumbit.

4. Poſteriorem Carteſii rationem his verbis loco citato reprehendit Revius: *nec innumera præcepta habere Logicam veram,*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*nec noxia, nec ſuperflua. Si qua talia ſunt, nondum ab aliis animadverſa, cur non ea beneficio methodi ſuæ convellit?* Similem in modum Lent. pag. 52. *ſi quas hoc argentum ſcorias habet, jubemus illum à metallo puriori eas ſeparare, aut artifici peritiori ſeparandas tradere, nec adeo indigeſta moles Logica eſt, ut rudi marmori comparari debeat, quæ ordinem & concinnam venuſtatem cæteris diſciplinis conciliat.* R. 1. Superflua & noxia in Logicis Scholaſticis præcepta vel ab ipſis Scholaſticis eorumque ſequacibus eſſe animadverſa cap. 17. oſtendam. Notandum verò hoc loco, quod poſterioris rationis Carteſianæ verba ſimul ad Lullii artem ſint extendenda, de qua præter alios videſis Keckerman. Præcognit. Logic. tract. 2. 2. nemo tenetur illico convellere quod ſibi minùs prodeſt, poteſt enim id aliis relinquere quibus placet: imprimis verò Carteſius omnem ubique occaſionem ſine neceſſitate aliis contradicendi vitavit. 3. Et tamen ſuperfluis Logicæ præceptis relictis, pauca ſibi veluti metallum purius ſelegit ac ſeparavit. 4. Logicam, quæ venuſtatem cæteris diſciplinis conciliat, rudi marmori non confert, ſed difficultatem quæ eſt in dignoſcendis ac ſeparandis Logicæ Scholaſticæ præceptis, utilibus, inutilibus, bonis, malis, confert cum difficultate Minervam ex rudi marmo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

marmore excitandi. 5. Non loquitur author de vera Logica, de qua in locis §. 6. jam jam citandis, verùm de ea quam in Scolis didicerat.

5. Hæc ſufficerent præſenti loco, ſi liceret per adverſarios in Diſſertatione de Methodo conſiſtere. Sed quia Revius aliunde Carteſianum de Logica, uti exiſtimat, judicium producit & illius occaſione graviter in authorem invehitur, operæ pretium fuerit etiam illum locum expendere, quandoquidem vix alibi occaſio dabitur. Exſtat autem in Epiſtola ad Voetium. p. 26. 27. ubi hunc ita alloquitur: *artes quibus te uti ex ſcriptis tuis deprehendo, & quarum nomine imperiti te doctum putant, tales eſſe mihi videntur, ut eas viliſſima multa ingenia perfacile poſſint addiſcere, ipſarumque ope tui ſimiles reddi; non autem præſtantiora. Prima ex iſtis artibus eſt puerilis illa Dialectica, cujus ope olim Sophiſtæ, nullam ſolidam ſcientiam habentes, de qualibet re copiosè diſſerebant ac diſputabant. Hujus tres præcipuæ ſunt partes, prima continet locos, ex quibus rationes petantur; ſecunda formas ſyllogiſmorum, quibus illæ veſtiantur, ut meliores appareant; ac tertia diſtinctiones, quibus adverſariorum argumenta eludantur. Et quidem ii, qui promptæ & calidæ ſunt imaginationis, ſed nullius judicii, quales pueri eſſe*

*eſſe ſolent, poſſunt intra paucos dies magnum iſtius artis uſum acquirere: perfacile enim illis eſt conſiderare ſeparatim rei cujuslibet propoſitæ nomen, definitionem, genus, ſpecies, ſimilitudines, differentias, contraria, adjuncta, antecedentia, conſequentia, & reliqua ejusmodi, quæ vulgò in Topicis recenſentur: cumque tantum volunt diſſerere, ſi quicquid ipſis unusquisque ex iſtis locis ſuppeditat: effutiant, diu multumque loqui poſſunt; ſi autem aliquam opinionem velint probare, nulla eſt tam parum veriſimilis, pro qua non poſſint ex iis dem multas rationes, non quidem firmas, ſed ſaltem quæ numerum faciant, colligere; ac deinde, ſi ſit diſputandum, eas facilè in ſyllogiſmos concinnant. Poſſuntque eodem modo ad quaſlibet objectiones reſpondere, ſi tantùm ſint inſtructi viginti vel triginta diſtinctionibus, quales ſunt inter illa, quæ conſiderantur directè, & indirectè; ſpeculativè & practicè; externè & internè; ac ſimiles, quibus in omni difficultate locum invenient, modò tantùm ipſis audacter uti non erubeſcant. Hoc autem, ut facile eſt pueris aliisve, qui pollent imaginandi facultate, ſic certè fieri non poteſt ab ullo, qui aliquid habeat judicii ſive bonæ mentis:* (Nota hæc duo vocabula idem valere, quod inſervit iis firmandis, quæ initio cap. 2. diximus) *Omnes enim rationes & objectionum ſolutiones*

*tiones, quæ cùm ex intima ipſius difficultatis conſideratione erui non poſſunt, ab externa locorum iſtorum inſpectione petuntur, ferè ſemper ſunt futiles & ineptæ. Sed quia ex multis auditoribus perpauci ſunt, qui earum inanitatem advertant, præcipuè circa quæſtiones vulgaris Philoſophiæ, de quibus meliores dari non ſolent, inde fit ut ii, qui arte iſta utuntur, facilè ad aliquam doctrinæ atque ingenii famam perveniant. Et ideo damnoſiſſima eſt, non tantùm adultis, ſed præſertim junioribus, qui, dum ei aſſueſcunt, & ex opinione doctrinæ, per ipſam acquiſita, ſuperbiunt, rationem ſuam naturalem, quæ alioquin ætate poſſet matureſcere, planè corrumpunt.*

6. Vt hunc locum à Reviana corruptela & calumnia vindicemus; notandum primò eſt, Carteſium omnino admittere veram Logicam ejusque regulis uti. Hinc Medd. p. 56. *juxta leges* VERÆ LOGICÆ *de nulla unquam re quæri debet an ſit, niſi prius quid ſit intelligatur*. p. 94. opponentem redarguens ait: *contra omnem loquendi uſum omnemque* LOGICAM *addit, hinc ſequi* &c. p. 165. *cùm primùm ex rationibus in his Meditationibus expoſitis mentem humanam realiter à corpore diſtingui & notiorem eſſe quàm corpus, & reliqua collegiſſem, cogebar quidem ad aſſenſionem, quia nihil in ipſis*

*ipſis non cohærens, atque ex evidentibus principiis juxta* LOGICÆ REGVLAS *concluſum advertebam.* Sept. Reſp. p. 120. de adverſario ſic loquitur: *cùm denique uſurus ſyllogiſmo in forma, id extollit tanquam methodum aliquam regendæ rationis, quam meæ opponat, videtur velle perſuadere, me* SYLLOGISMORVM FORMAS *non probare, ac proinde methodum aliquam à ratione valde alienam habere; Hoc autem falſum eſſe ſatis patet ex meis ſcriptis, in quibus nunquam non uſus ſum ſyllogiſmis, cùm locus id poſtulavit.* Vt nihil jam dicam de quatuor Methodi regulis poſtea explicandis.

7. Deinde notandum eſt, Carteſium in citato Epiſtolæ loco de Logica univerſa non agere, ſed tantùm de Dialectica, quam præceptores ſuos imitatus à Logica, ut partem à toto, apertè diſtinguit, dum ſolius diſputationis & locorum topicorum mentionem facit. Eſt autem Logicæ ac Dialecticæ diſtinctio Peripateticis longè tritiſſima, quippe *interpretes Ariſtotelis ad unum omnes ferè Dialecticam appellant, quæ Topica aliàs eſt, & doctrinam univerſam, Logicen,* Verba ſunt Conradi Hornei in principio Inſtit. Log. qui deinde plurimos hujus ſententiæ authores citat. Fuſiſſimè quoque hanc rem pertractat Iacobus Martini diſcuſſ. Ramiſtic. lib.

1. cap.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

1. cap. 1. quæſt. 3. Omitto alios innumeros.

8. Tertiò notandum eſt, maximam eſſe differentiam inter Logicam analyticam, demonſtrativam, ſcientificam, de qua Ariſtoteles in poſterioribus Analyticis, & Dialecticam, popularem, diſputatricem, de qua ab Ariſtotele agitur in Topicis; & hanc quidem præ illa nullo penè loco ab Ariſtotele doctiſſimisque Ariſtotelicis haberi.

Hinc Franco Burgersdicius in præfat. Logicæ: *in Topicis traduntur præcepta diſputandi ex iis, quæ reverà ſunt probabilia. In Analyticis traditur ratio diſputandi ſeria veramque ſcientiam adipiſcendi. Hinc eſt, quòd ſæpe Analyticum diſputandi artificium Topico ad eum modum opponitur, quo accurata quælibet opponi ſolent iis, quæ tantùm leviter adumbrata ſunt.* Vberrimè de hac materia tractavit Ioh. Neldelius in Prato Logico ſive Praxi & uſu Organi Ariſt. genuino, quem ego quidem ſolo iſto nomine reliquis ejusdem ordinis Logicis doctoribus anteferre ſoleo. Quam ob cauſam etiam Ioh. Willius, olim præceptor noſter, in Introduct. ad artificium diſputandi cap. 12. gratam illius libri ſub nomine *Inſtitutionis aureæ* mentionem facit. Is author rationum analyticarum & dialecticarum quinquaginta quinque illuſtres & ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ex ipſo Ariſtotele depromtus differentias explicat, ſimul oſtendit animam Iudicii logici in hac diſcretione conſiſtere, ac toto libro docet argumenta dialectica ſive topica intuitu analyticorum tam ex rei veritate quàm ex mente verbiſque Ariſtotelis eſſe ac haberi ſophiſtica, inania, nulla & quæ neminem faciant doctum ac ſcientem.

9. Vnum ex innumeris locum adſcribam, qui additur Differentiæ 54: *modus cognoſcendi aliquid Dialecticè per communia, tametſi probabilia, vel etiam vera Sophiſticus τρόπος dicitur lib. 1. poſt. anal. cap. 2. & cap. 5. In capite 2. ſcire remquamque ἁπλῶς perfectè & accuratè, inquit Philoſophus, nos exiſtimamus, & non κατὰ σοφιστικὸν τρόπον, id eſt modo Sophiſtarum, qui eſt per accidens ſc. commune, quando arbitramur, nos cauſam, propter quam res eſt, cognoſcere. Scire enim Sophiſtarum modo hîc dicitur etiam is, qui Dialectice rem cognoſcit, per communia, ſi quidem Dialecticus cum Philoſopho comparatus hujus tantùm umbra eſt, & iccirco σχετικῶς, id eſt, cum quadam ad eum relatione pro Sophiſta haberi poteſt.*

10. Ad eundem Ariſtotelis locum celebris Logicus Cornel. Martini Antverpius Comment. Log. adverſus Ramiſtas cap. 1. de Demonſt. ſic annotat. ait ſc. Ariſtoteles, *ſe de ſcientia ea loqui, quæ ſimpliciter ſit*

*ſcien-*

*ſcientia, id eſt, perfectè, ut inquit Zabarella, & exquiſitè, non autem Sophiſtica, quæ eſt ſecundùm accidens. Sophiſtæ enim non ex ipſa rei natura, ſed extraneis & aliunde accerſitis argumentis ſcientiam quærebant, quæ vera ſcientia non eſt, de qua hîc Philoſophus agit.* Idem Cornelius de doctrina topica ibid. cap. 4. *imprimis*, inquit, *meminiſſe debemus circa quam quæſtionem verſetur Topicus, videlicet probabilem tantùm, quam confirmandam vel refutandam ſibi ſumit argumentis item probabilibus, utque hæc diſtinguantur ab Apodicticis & propriis, ne, dum omnia indifferenter, vel in locis quærimus, vel ad locos referimus, cœlum terræ miſceamus. Itaque ſi quis ſyllogiſmum vel Mathematicum vel Phyſicum produxerit, & à me quæſiverit ex quo loco petitus ſit, ſive ex quo loco ejus argumentum ſit deſumtum, reſpondebo ex nullo.* Idem diſp. ſecunda adverſus Ramiſtas th. 87. & ſqq. *cùm igitur tot ac tam diverſas res unico principio* (topico) *concludam, ineptiunt illi, qui certam ſibi hinc aliquam pollicentur ſcientiam. Quin contra verum eſt, ope horum univerſalium poſſe topicum per omnes ſcientias vagari: & cùm nullius ſit ſciens, de omnibus tamen ſub natura horum univerſalium locorum, à quibus principia deſumit, diſputare. Vt verè dicatur, ſicut orator perſonatus eſt Politicus, ſic Dialecti-*

*lecti-*

*lecticum perſonatum eſſe Philoſophum. Et hæc eadem eſt cauſa, quare topicè diſputantem nihilominus tamen ſæpius contingat errare, quod videl. Medius terminus nimis eſt generalis, neque ex ipſa rei, de qua agitur, proxima eſſentia & natura ſumitur.*

11. Idem ſentit Clariſſimus in Academia Argentor. Profeſſor Dannhawerus, qui poſtquam Ideæ boni diſput. ſect. 1. art. 4. oſtendiſſet in Organo ab Ariſtotele opus Sophiſticum & Topicum Analytico præmiſſa fuiſſe, ſubjungit: *Ariſtoteles, ut ſui auditores præparandi his ludicris certaminibus, haberent locos unde argumenta accerſerent, in iis reponit maximas & principia valde communia, ex natura entis ejusque affectionibus petita, ut ſunt, ſublata cauſa tolli effectum &c. quæ non pariunt evidentem ſcientiam, ſed ſolùm opinionem, imò ſæpe falſitatem. Vt hinc conſtet pueriliter adhuc diſputare, qui his maximis aliquid probare conantur, & ambitiosè incruſtant ſæpe ejusmodi canones, perſuaſi ſe inveniſſe, non quod pueri in faba, qui ſi hoc diſputandi genere abſolvi Logicum autumant, ii adhuc neſciunt, quo fine Logicam didicerint.* Idem p. ſq. *Quod cùm ita ſit, conſtat non debuiſſe Ariſtotelem accuratè tum dialecticum tum ſophiſticum opus perſequi, ut fruſtra ſint, qui vel defectus Logicæ & Sophiſticæ doctrinæ, adjectione novorum,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*rum, aut locorum, aut maximarum, aut modorum perficere laborant; vel doctrinam hanc imperfectionis accuſant, cùm, ut accurata nimis ſit, ingenio tyronum non conveniat.* Idem denique ejusdem libri ſect. 2. art. 4. ait, quod *doctrina analytica ſola veram Logicam abſolvat.*

12. Hæc Revii cauſâ adferenda fuerunt qui Conſiderat. p. 27. loco Carteſii ex Epiſtola deprompto hanc cenſuram ſubjicit: *Habemus petulantiſſimam invectivam in artem Logicam, quam & puerilem & damnoſam, imò damnoſiſſimam appellare non erubeſcit, eamque removet ab omnibus qui aliquid habent judicii ſive bonæ mentis: cùm tamen qui eam ignorant, nihil ſolidi in ulla ſcientia (ut conſtat inter eruditos) præſtare poſſint. quid enim ille novit qui nec genus, nec ſpecies, nec antecedentia, nec conſequentia, nec cauſas, nec effecta rei &c. ſcire curat? quomodo quid conſequens, quid inconſequens in hac vel illa arte ſit judicabit, qui vim ſyllogiſmorum, ut hic facit Carteſius, deridet? quomodo non omnia confundet, qui nihil novit diſtinguere?* Porrò in fine pag. ſq. ad illa Carteſii verba: *rationem naturalem corrumpunt*, reſpondet: *qui hoc dicit nec probat, pro maledico calumniatore traduci meretur. quis enim non videt naturam arte expoliri, non autem corrumpi? ne in re*

tam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*tam fatua immoremur, quæro cur doctrinam univerſalium hîc conculcat, quam alibi ut magnum quid oſtentat? nam Principiorum philoſoph. p.22.23. omnia Porphyrii prædicabilia* μετὰ πολλῆς φαντασίας *exponit. Cur doctrinam ſyllogiſmorum tam barbaro contemtu excipit, quibus tamen ipſe (ut alibi agnoſcit) quoties commodum eſt utitur? & quam exactè notam habere debet qui ſophiſtarum ſtrophas enodaturus eſt? ſed nimirum hæc expedita via eſt, lectoribus quicquid libet obtrudendi, ſi tales videlicet habeas qui quid conſequens, quid inconſequens &* ἀσυλλόγιστον *ſit ignorant.*

13. ℞. 1. Petulantiſſima Revii calumnia eſt, haberi hîc invectivam in artem Logicam, cùm ne minima quidem mentio fiat demonſtrationis & doctrinæ analyticæ, quæ teſte Dannhawero, ſola veram Logicam abſolvit; ſed Dialectica & Sophiſtica tantùm deſcribatur. 2. Hanc ſophiſtarum & puerorum eſſe dicit, idem cum Ariſtotele optimi Ariſtotelici jam citati perhibent. 3. Non improbat cauſarum, effectorum &c. inveſtigationem (nam P. 11.36. *cauſam* motus univerſ. & part inquirit. P. IV. 117. ignis *effectus*, *univerſalia* Revio teſte in Philoſophia tradit &c.) ſed argumenta ab externis illis locis cauſæ, effecti &c. vi maximarum iſtarum nimis generalium & non ex intima rei natura petita tanquam Philoſophus parvi pendit.

4. Vim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

4. Vim ſyllogiſmorum, cùm ipſe iis utatur, non deridet, ſed debiles Dialecticorum rationes formis ſyllogiſmorum veſtiri ait, ut fortiores appareant. Ita qui dicit veſtimentis ovium ornari lupos, non ideo veſtimenta contemnit. 5. Neque diſtinctiones rejicit, uti docebit Methodi regula ſecunda; ſed eas diſtinctiones, quæ non ex propria rei natura deſumuntur, verùm adeo generales ſunt, ut *in omni difficultate locum inveniant* flocci facit. 6. ejuſmodi Dialecticam damnoſiſſimam eſſe dicit ei adſueſcentibus & ex opinione doctrinæ per ipſam acquiſitæ ſuperbientibus, & hos rationem ſuam naturalem corrumpere. Hoc inde probat, quia iſta ratione ab intima rerum conſideratione abducuntur, ac de iis quarum naturas & proprietates neſciunt multa ſine judicio loqui adſueſcunt. Quid verius? Dialectica enim dum nos divertit ac digredi facit in tot locos communes & capita quæ rei extima ſunt, abſtrahit nos ab ipſa rei natura.

14. Sciendum autem & pro generali reſponſione habendum, Carteſium iſto loco 1. non, abſolutè omnem Dialecticæ uſum negare, ſed comparatione demonſtrationis & analyſeos, eam adſpernari. 2. ſcopum illius eſſe adverſarii faſtum tali doctrina ſuperbientis deprimere, ut nihil miri eſſet, ſi paulò fervidius contra Dialect. fuiſſet locutus. Ali-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ter enim accipienda eſſe quæ quis dicit ab adverſario exagitatus ad illum redarguendum, aliter quæ abſolutè & ſine tali reſpectu ſcribuntur, omnes noverunt.

15. Quanti aliàs faciat Logicam Carteſius ex hac Diſſertatione abundè patet, quando demonſtrat ſe nihil prius, nihil diligentius quàm veram Methodum inquiſiviſſe & potiſſimas illius regulas conſtantiſſimè obſervaſſe. Nec moror Lentulum p. 53. ridiculè quærentem, *quid conſtantia propoſiti ad rem faciat*, quaſi ſufficiat præcepta Logica ſibi præſcribere, & non conſtanter illorum obſervationem in quærenda veritate ſibi proponere? Iam ergo Carteſianæ Logicæ ſpecimen daturi quatuor Methodi præcepta ſequentibus capitibus examinabimus ac de ſingulis videbimus primò quidem, quanti ſint ad verum eruendum momenti quantaque cum ratione ea ſelegerit Carteſius, deinde quàm diligens ac conſtans eorum in Philoſophando fuerit obſervator.

## CAP. XI.

### *De Methodi Carteſianæ præcepto primo generatim, & ſpeciatim de præcipitantia in judicando fugienda.*

1. METHODUS ratione rectè utendi ante ante omnia judicium dirigere debet,

bet, in quo ſolo eſt falſitas atque error, ſi malè ſe habeat, veritas, ſi ſecus. Vnde primam ac præcipuam univerſæ Methodi regulam meritiſſimo jure hanc ponit Carteſius, quæ eſt de judicio recte formando. *Nihil unquam*, nempe in Philoſophica veri inveſtigatione ad quam ſe author his regulis parat, *veluti verum admittendum*, h. e judicandum Philoſophicè determinandum, *niſi quod certò & evidenter verum eſſe cognoſcatur*, id eſt quod non priùs clarè diſtinctéque percipiatur ab intellectu, nempe ut conſentiat cum perceptione judicium, nunquam ab ea diſſentiat.

2. Methodum rectè judicandi regula præſcribit optimam, quæ ne propter generalitatem ſuam minùs diſtinctè intelligeretur, ab authore in tria membra particulatim diducitur, quorum primum eſt, *omnem in judicando præcipitantiam eſſe vitandam*; ſecundum, *omnem in judicando anticipationem vitandam*; tertium, *nihil amplius eſſe judicandum aut concludendum quàm quod rationi pateat, ſive quod menti attendenti præſens ſit & apertum.*

3. De ſingulis ſeorſum videamus, & primò quidem de PRÆCIPITANTIA. Multis modis variiſque de cauſis contingit, ut judicia noſtra præcipitemus h. e. ut præpropere, nimis celeriter, inconſideratè ac te-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

merè ſententiam feramus, *priùs* judicando quàm rectè perceperimus.

4. Prima cauſa eſt *ætas immatura*. Infantes enim, pueri & adoleſcentes ut in reliquis vitæ actionibus præcipiti impetu feruntur: ita etiam in judicando. *Fertur*, inquit Scal. l.3. Poëtices c.15. atque *etiam impellitur ætas prima, tum facilè, tum vehementer, ad ea quæ concupiſcit. Concupiſcit autem & ſtatim, & multa potita contemnit: præceps potiùs animus, quàm magna volvens. Iram atque animum ipſum, in fronte atque ore gerunt. Antevertit impetus deliberationi, facta verbis, pœnitentia perfectioni*. Hæc ille. Hac de cauſa Carteſius non exiſtimavit certiora ſibi in Philoſophia principia priùs quærenda, *quàm ad maturiorem ætatem perveniſſet*, ut ait in fine hujus ſecundæ ſection. & initio Meditationis primæ: *eam ætatem exſpectabam, quæ foret tam matura, ut capeſſendis diſciplinis aptior nulla ſequeretur*.

5. Secunda cauſa eſt *conſuetudo ab infantia adhærens* & longo tempore confirmata & altera quaſi natura facta. Hujus conſuetudinis mentionem facit author Medit. ſexta p. 41. multa verò alia ſunt quæ etſi videar à natura doctus, non tamen revera ab ipſa, ſed *à conſuetudine quadam inconſideratè judicandi* accepi. Item Medd. p. 164. nempe de iis *tam celeriter propter conſuetudinem*

*dinem ratiocinamur & judicamus &c.* ut has operationes à ſimplici ſenſus perceptione non diſtinguamus. Hanc autem conſuetudinem, ſecundùm illam Iurisconſultorum regulam: *nihil tam naturale eſt, quàm eo genere quidque diſſolvere quo colligatum fuit*, contraria conſuetudine Carteſius emendavit, *lento & ſuſpenſo gradu incedens* de Meth. 15. & Mathematicis ſtudiis incumbens ibid. 17. ſqq. Huc pertinet illud Baconis de Verul. lib. 6. de augm. ſcient. cap. 4. ſi *cuipiam ingenium tale ſit, quale eſt avium, ut facilè abripiatur, nec per moram, qualem oportet, intentum eſſe ſuſtineat, remedium huic rei præbebunt Mathematica, in quibus ſi evagetur paulò mens, de integro renovanda eſt demonſtratio.*

6. Tertia cauſa eſt *defatigatio in attendendo*, de qua Philoſophus P. I. 73. *Nam quia mens non ſine aliqua difficultate ac defatigatione ad ullas res attendit, ideo ſæpe judicat antequam id de quo judicat perceperit.* Hanc præcipitantiæ cauſam etiam Carteſius vicit ſtudiis mathematicis: ideo *notis & characteribus* uſus. de Meth. 18. ideo in Phyſica figuras oculis ſubjecit, etiam lectorum cauſâ, quia *quod ad animam venit per ſenſus eam magis afficit* (adeoque magis detinet) *quàm quod illi repræſentatur à ratione*, de paſſionib. art. 85. Quam etiam circa res intel-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

lectuales laboraverit defatigationem in attendo ſuperare, paſſim ex Meditationibus (quas etiam eapſe de cauſa hoc titulo inſignivit) elucet. v. g. p. 8. *curandum eſt ut recorder*, it. *manebo obſtinatè in hac meditatione defixus*, it. *obfirmata mente cavebo. Sed laborioſum eſt hoc inſtitutum & deſidia quædam ad conſuetudinem vitæ me reducit.* p. 10. *attendo, cogito, revolvo, nihil occurrit, fatigor eadem fruſtra repetere.* p. 14. *placet hîc conſiſtere, ut altiùs hæc nova cogitatio memoriæ meæ diuturnitate meditationis infigatur.*

7. Quarta cauſa eſt *vehementius ſciendi deſiderium. Omnes homines*, ut bene Ariſtot. initio Metaph. *naturâ ſcire deſiderant.* Verùm ſicut immoderata fame ſtimulatus omnia quæ offeruntur nimis feſtinanter, ſine ordine ac delectu ingerit: ita veritatis aſſequendæ cupiditas perſæpe efficit, ut ii qui non rectè ſciunt qua ratione ſit aſſequenda, de iis quæ non rectè percipiunt judicium ferant atque idcirco ut errent P. I. 42. Alii non contenti claris & notis clariora & notiora ferè in infinitum quærunt, ut Mathematici quidam veteres & Scholaſtici Metaphyſici. Etiam Carteſius *incredibili* quidem *diſcendi deſiderio flagrabat* adoleſcens de Meth. 3. & *cupivit plura noſſe* Med. 11. ſed quàm temperaverit iſtud deſiderium & modera-

dera-

deratus fuerit, variis è locis licet deprehendere. Ideo enim reprehendit Scholaſticos de Meth. 63. quòd *non contenti omnia ea ſcire quæ clarè & dilucidè apud Ariſt. explicata ſunt, velint præterea illic invenire ſolutionem multarum difficultatum, de quibus ne verbo quidem meminit, & fortè nunquam cogitavit*, ut ſe alieniſſimum ab iſta inexplebili ſiti oſtendat. Et valde notandum quod Philoſophus in Metaphyſicis non Scholaſticorum more, abſtractionis ſtudio abreptorum, univerſaliſſimis univerſaliora, & clariſſimis clariora quærat, ſed utatur generalibus illis notionibus & principiis ad ea attendendo. Hinc P. I. 10. negat ſe *explicaturum alia multa nomina, quibus jam uſus, vel uſurus in ſequentibus, quia per ſe ſatis nota videantur.* Et ſæpe, inquit, *adverti Philoſophos in hoc errare, quod ea quæ ſimpliciſſima erant ac per ſe nota, Logicis definitionibus explicare conarentur; ita enim ipſa obſcuriora reddebant.* Et Med. 11. quod ego ſim qui dubitem, qui intelligam, *tam manifeſtum eſt, ut nihil occurrat per quod evidentiùs explicetur.* Confer hîc Roderic. de Arriaga Diſp. Metaph. 1. ſect. 3. initio & ejusd. ſect. num. 49. it. num. 50. in fine.

8. Quinta cauſa eſt *impatientia dubitandi*. Quemadmodum enim qui donum continentiæ non habent interdum ante legitimes

nuptias congredientes ſpurios progignunt: ita falſas opiniones animo concipiunt & pariunt qui debitam judicii ſuſpenſionem impatienter tolerant. Hoc vitium tangit Illuſtr. Bacon lib. 1. de augm. ſcient. *Alius error eſt impatientia dubitandi, & cœca feſtinatio decernendi abſque debita & adulta ſuſpenſione judicii; Nam bivium contemplationis non eſt diſſimile bivio actionis, à Veteribus ſæpius memorato: cujus altera via initio plana & facilis erat, fine autem impervia; altera ingredienti aſpera erat & confragoſa, ubi paulò proceſſeris, expedita & æquabilis: Haud ſecus in contemplationibus, ſi quis à certis ordiatur, in dubia deſinet; ſin à dubiis incipiat eaque aliquamdiu patienter toleret, in certis exitum reperiet.* Idem lib. 5. cap. 4. illos redarguit qui *neſciunt eum, qui certa nimis properè captaverit, in dubiis finiturum, qui autem judicium tempeſtivè cohibuerit, ad certa perventurum.* His quæ de dubitatione Carteſiana ſuperiori cap. dicta fuêre, mirum in modum comprobantur. Philoſophus enim noſter per novem annos à principiis Philoſophiæ certioribus determinandis abſtinuit ac diutiùs adhuc *cunctatus* fuiſſet, niſi ab aliis credi audiviſſet ſe perfeciſſe quod nondum inceperat de Meth. 28. Sanè quod Ennius de Fabio Maximo, nos de Philoſopho canere noſtro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ſtro ſenſu poſſumus: unus homo nobis *cunctando reſtituit rem.* In ipſa quoque Philoſophia quædam indefinita atque indeterminata maluit relinquere (ut mundi terminos &c.) quàm ut temerè definiendo laberetur, contrà quàm Scholaſtici, qui definire ac determinare properant de omnibus.

9. Sexta cauſa eſt *nimia ingenii confidentia* in multis. Hos tangit ſeque ab iisdem ſeparat Carteſius de Meth. 13. *multi ſunt*, inquiens, *qui cùm plus æquo propriis ingeniis confidant, nimis celeriter ſolent judicare nunquamque ſatis temporis ſibi ſumunt ad rationes omnes circumſpiciendas, &* p. 68. *quædam ingenia uno die addiſcere ſe poſſe putant ea in quibus alius viginti annis deſudavit, ſtatim atq;* illa uno tantùm aut altero verbo aperuit, & quæ eò magis errori ſunt obnoxia, minusque veritatis percipiendæ capacia, quò ſubtiliora & alacriora ſunt. Non poſſum commodius hujus rei exemplum adferre quàm Cyriaci Lentuli, qui *paucarum ſeptimanarum præcipitatâ ſcriptitandi operâ* (verba ipſius ſunt in dedicat.) ſpe vincendi & ſui confidentiâ refutare aggreſſus eſt eam Philoſophiam, ad quam ſe integro novennio præparaverat & in qua elaboranda ſupra viginti annos deſudaverat vir ſi quis unquam fuit acutiſſimus. Sed parum hac in parte Politicæ prudentiæ Profeſſorem Politices oſtendiſſe mitiſſimè

judicantes arbitrantur. Bene ei applicatur quod Majemon. More Nevoch. p. 1. cap. 2. *Tu vir es qui ſpeculatur in principio meditationum & cogitationum ſuarum* (h.e. qui nimis leviter & præcipitanter judicat, ut Buxtorf. explicat) *& qui putat ſe rectiſſimè intelligere poſſe librum &c. obiter percurrendo eum interdum per otium, ut liber aliquis hiſtoricus vel Poëticus legi ſolet.* Ita planè de Philoſophi ſcriptis Lentulus putavit. Carteſius Medd. p. 186. *ſanè*, inquit de Regio, *mirari ſubit hominis confidentiam, quòd tam facile tam paucis verbis, putet ſe omnia poſſe evertere, quæ ego longa & attenta meditatione compoſui libroque integro explicui.* Atqui ille profeſſione Philoſophus & Phyſicæ gnarus erat & ſolas Meditationes convellere nitebatur: hic Philoſophiæ rudis, profeſſione, ſi Diis placet, Politicus & Poëta, totam Philoſophiam ſubvertere aggreditur. Plato in Timæo, *ſcitum profectò priſcum id dictum*: AGERE SVA SEQVE IPSVM COGNOSCERE, *ſolius prudentiæ eſt opus.* Valde autem Carteſius à tali confidentia alienus fuit, nec *putavit unquam plus eſſe in ſe ingenii, quàm in quolibet è vulgo* de Meth. 1. imò hoc ſibi profuiſſe teſtatur Epiſt. Dinet. p. 151. fin. quòd *cùm proprio ingenio non multum fidat, planas tantùm & faciles vias ſit ſecutus &c.*

10. Septima cauſa eſt *ſpes præcox* quacun-

cunque de cauſa concepta. Ita qui magna nimis ſpirant ac ſperant, ut imprimis juvenes excitati aut inflati ingenii, cuncta ſpem coarctantia averſari ſolent deque iis quæ captum ipſorum & intelligentiam ſuperant non rarò ſententiam ferre. Carteſius licet *ſperaret* ſe non minùs feliciter methodo ſua eſſe uſurum in aliarum ſcientiarum difficultatibus reſolvendis, quàm in Geometricis & Algebraïcis. ſpem tamen ita frenavit, ut multum temporis in præparando ad eam rem ingenio impenderit de Meth. in fine ſect. 2. Nec *ſperavit ſe ope ſua methodi gradatim aucturum ſcientiam antequam maximos ex ea fructus* percepiſſet, de Meth. 2. Itaque ſpei modum poſuit ex menſura rei quam acquiſiverat. Et initio Med. ſecundæ judicavit tum demum *magna ſperanda eſſe, cùm quod certum & inconcuſſum foret inveniſſet.* Spem hanc ſucceſſus roboravit.

11. Octava præcipitantiæ cauſa eſt *pudor ignorandi* & ſcientiæ arrogantia. Nam ſicut in V. T. probro ducebatur eſſe ἄτεκνον: ita ignominioſum cenſetur cogitationes habere ſteriles, mentem quæ nihil gignat, nihil veri & præclari concipiat. Sed cùm multis ne poſſint ad rerum penetralia accedere, frigidus obſiſtat circum præcordia ſanguis, ut cum Poëta loquar Georg. 2. eoſque in percipiendo reddat tardiores,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

frequenter evenit, ut, ne ignari, ſed potiùs multa ſcire videantur, judicium præcipitent. Ita in epiſt. ad Sorbon. Philoſophus innuit, *ſæpe in eo peccare imperitos quod falſa approbent, dum ea videri volunt intelligere*. Ab hac animi ægritudine ſe præſervans Carteſius *liberiùs ignorantiam ſuam profeſſus eſt quàm ſolent alii ex iis qui docti haberi volunt* de Meth. ſect. 3. fine. Adhuc initio tertiæ Med. ſe vel potiùs mentem ſuam deſcribit, quòd ſit res *pauca intelligens*, *multa ignorans*. Et p.64. de Meth. ita cum veritatis inveſtigatione comparatum eſſe dicit, ut paulatim tantùm in quibusdam patefiat, & cum de aliis loquendum eſt, *ad ingenuam ignorantiæ ſuæ confeſſionem impellat*. Addit ibid. paucarum aliquot veritatum notitiam præferendam eſſe *vanæ nihil ignorandi profeſſioni*. In quo non abludit à Platone, qui in Theæteto ſub perſona Socratis ait: *præſtat parum benè, quàm multum non ſufficienter determinare*.

12. Nona cauſa eſt *reverentia erga homines* tum antiquos, tum hodiernos magnæ authoritatis. Hæc enim authoritas facit, ut multi rem non examinantes illico talis alicujus viri judicium ſequantur atque ideo credant, quia IPSE DIXIT. Alii errare cum veteribus, quàm cum recentioribus vera ſentire malunt. Verùm omnes illi nihil aliud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

aliud agunt, niſi ut *ex omnium rerum domino atque dictatore intellectu efficiant mancipium alienæ libidinis*, ut Scaliger. ex. 6. ſ. 4. loquitur. Vehementer etiam adhortatur ſuos auditores Corn. Martini de Log. analyſi materiæ cap. 10. ne ſe eum in modum abripi patiantur. *Nec vos*, inquit, *terreant nomina, ſint Theologi, ſint Philoſophi, è ſumma vel infima cathedra profiteantur, nihil intereſt, vos quid dicant & quomodo ſua probent attendite.* Hanc præcipitantiæ cauſam vitavit Carteſius, quatenus è præceptorum cuſtodia exiens ſtudio ex ſemetipſo proficiendi incubuit, ut ſuprà habuimus. Hinc de Meth. p. 69. teſtatur, ſe nullas unquam opiniones *pro ſuis adoptâſſe, vel quòd ab aliis priùs receptæ fuiſſent, vel quod non fuiſſent; verùm unicam hanc ob cauſam, quòd ſibi eas ratio perſuaſiſſet.* Et initio ſect. ſextæ *viris, quibus multum defert, authoritatem* quidem tribuit *in ſuas actiones*, ſed *rationi propriæ in cogitationes* imperium adſcribit.

13. Decima cauſa eſt *docendi officium.* Nam qui ad alios inſtituendos vocati ſunt, vel quia rogantur à diſcipulis, quibus reſpondere tenentur & à quibus redargui non poſſunt, vel quia gloriam captant multa in publicum edendo, ſæpenumero judicium de rebus quàm plurimis præcipitare

& immaturos fœtus in lucem protrudere ſolent. Vide quæ circa finem præfat. Gall. Princip. dicantur de hominibus præcipitis ingenii ideoq; proclivioribus ad libros ſcribendos. Hanc præcipitandi judicii occaſionem declinavit Carteſius, dum *ruri habitavit & quantum potuit ſe ab hominum turba ſemovit, nullos unquam diſcipulos habuit, nullos quæſivit, ſed potiùs fugit* epiſt. ad Voet. p. 10. Et quantum ad ſcriptorum publicationem, tantum abfuit, ut ad eam feſtinaret, ut multum diuque ea de re deliberaverit, quemadmodum circa finem hujus diſſert. pluribus exponit. Et notandum quod p. 59. ait: ſæpe quæ mihi viſa ſunt vera, cùm *primùm illa concepi*, falſa eſſe poſtea cognovi cùm ipſa chartis volui mandare, & p. 61. nunquam ferè fido *primis quæ mihi occurrunt cogitationibus*. Et aliquando plus temporis impendit in revidendis quæ edere volebat in publicum, quàm in iis ſcribendis. Vide reſp. ad alteram epiſt. præfixam tractat. de paſſionib. Nempe decet ſuo modo imitari Socratem, quem Plato in Hipparcho ita loquentem inducit: *volo perinde ac ſi talis ludamus, retractare quicquid libet, ne te deceptũ exiſtimes.*

14. Vndecima cauſa eſt *vocabulorum & ſermonis uſus.* Multi enim ſimul atque vocem audiunt & loquendi modum, illico è ſermonis intellectu de rebus ſignificatis judicium

dicium faciunt, non conſiderantes priùs, quis nomina rebus impoſuerit, & quàm rectè. Hinc Bacon de Verul. Novi Org. lib. 1. aph. 43. *Verba ex captu vulgi imponuntur. Verba planè vim faciunt intellectui & omnia turbant* & aph. 59. *verba autem plerumque ex captu vulgi induntur atque per lineas vulgari intellectui maximè conſpicuas res ſecant. Quum autem intellectus acutior, aut obſervatio diligentior, eas lineas transferre velit, ut illæ ſint magis ſecundùm naturam, verba obſtrepunt.* Quàm verò ſtudiosè verborum ejuſmodi ſcopulos vitârit Carteſius vel unus docere poteſt inſignis locus Med. ſecunda: *quamvis hæc apud me tacitus & ſine voce conſiderem, hæreo tamen in verbis ipſis & ferè decipior ab ipſo uſu loquendi: dicimus enim nos videre ceram ipſammet ſi adſit, non ex colore, vel figura eam adeſſe judicare*, VNDE CONCLVDEREM STATIM, *ceram ergo viſione oculi, non ſolius mentis inſpectione cognoſci, niſi* &c. *Sed pudeat ſupra vulgus ſapere cupientem ex formis loquendi quas vulgus invenit dubitationem quæſiviſſe.*

15. Duodecima cauſa eſt *levitas & inconſtantia* Hæc eos tangit qui propter leves rationes & objectiones quas illico ſolvere non poſſunt à vero clarè ſemel diſtinctèque percepto deflectunt. Quippe non ſolum præcipi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

cipitantiam cavere debemus in judicandis iis de quibus nondum judicavimus, ſed etiam in eo, ne aliter judicemus quàm judicavimus antè (nempe ubi vera Philoſophiæ principia jam perſpecta habemus & explorata, non autem quàm diu iis caremus, quod monet author in ſynopſi Med. primæ: *poſſumus dubitare, quamdiu ſcilicet non habemus alia ſcientiarum fundamenta* &c.) De tali modo peccantibus Cicero 4. Academ. Quæſtion. *fallacibus & captioſis interrogationibus circumſcripti atque decepti quidam, cùm eas diſſolvere non poſſunt, deſciſcunt à veritate.* Hujus generis ſunt, qui propter obſcura, confuſa & ignota recedunt à claris, diſtinctis & cognitis, contra quos vide Medd. 70. fin 144. poſt med. reſpp. quintt. ad ſecundam §. 3. prope fin. P.I. 41. fin. & alia loca Carteſii. Itaque vera ſententia non debet per præcipitantiam deſeri, *neque neganda ſunt manifeſta, etiamſi ſolvere non poſſemus quæ ſunt difficilia* (quo dicto inter alios utitur Ioh. VValæus in fin. alt. epiſt. de motu ſang. ad Thom. Bartholinum) ſed eximium Platonis præceptum tenendum, quod his verbis in Argumento Phædonis Marſilius exprimit: *ne rationibus ullis abſque longa examinatione credamus: poſtquam verò rationi cuidam, ſufficienti examine crediderimus,*

*ne*

*ne facilè inde ob quaslibet objectiones ſimilitudineſque amoveamur.*

16. Alias præcipitantiæ in judicando cauſas omitto, cùm ſatis ex his cognoſcatur, non ſolùm quàm ſtudiosè ſibi ab ea caverit noſter Philoſophus, verùm etiam quàm ſit neceſſarium de ea cavenda præceptum. *Qui nimis velociter currit, ſæpe cadit.* Nec veritas adeo patet, nec intellectus adeo perſpicax, ui primo quaſi impetu eam apprehendat. Gallorum proverbium eſt : *ſage eſt le juge qui eſcoute & qui tard juge*, unde poëta quidam :

*Iudicium præceps inſani judicis index.*
*Omnia ſunt longis diſcutienda moris.*

17. Sed præ cæteris arridet Platonis ſimilitudo : *longè gravius*, inquit, *periculum eſt in diſciplinis quàm in cibis emendis. Etenim qui eſculenta emit & potulenta, poteſt antequam his veſcatur, in aliis quibuſdam vaſculis illa domum deferre, ibique depoſita diligenter examinare, & advocato aliquo iſtarum rerum perito quid edendum bibendumve ſit, quid non, quantumque & quando, deliberare. quamobrem haud grave eſt in emendo periculum. Diſciplinas autem non licet alio in vaſe transferre, ſed neceſſe eſt ut qui emit eas animo capiat, & relicto precio abeat, intra ſe ferens, vel inquinatus jam,*

*vel*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*vel ad meliora provectus.* Hæc Plato in Protagora, ex quibus diſcere licet, quanta cum cura fugienda ſit in ſententiis ferendis & opinionibus adſciſcendis præcipitantia.

## CAP. XII.

### *De anticipatis opinionibus in judicando fugiendis.*

1. SI nihil antè judicâſſemus de rebus quarum cognitionem maturioribus annis appetimus, & ſi intellectus ad ſcientias ſe applicans tabulæ raſæ ſeu chartæ puræ (ut nunc loquimur) inſtar ſe haberet, ſufficeret præcipitantiam in judicando effugere. Nunc quia mens ad diſciplinas accedens varias notiones inſcriptas habet, varia judicia jam antè fecit de rebus quàm plurimis (vide ſupra cap. 8. circa fin. & diſp. 1. de præjud. infant.) & plerumque erronea & inconſiderata, hinc author præcepto de præcipitantia jungit illud de *vitanda anticipatione*, quod & Reſpp. quintt. ad tert. Med. §. fin. refert ad Methodum verbis: *abſtult omnia præjudicia.* Quod quanta cum ratione fecerit quantaque cum diligentia obſervaverit plenius jam oſtendam.

2. *Adire conſilium oportet priuſquam apud te quicquam ſtatueris, eos imitando qui pellem bonis odoribus perfuſuri omni priùs odore*

*odore illam privant*, ut bene monet in Diſcurſib. pol. & milit. ſuper Tacit. Mellietus lib. 8. c. 8. Simile eſt illud Platonis in Timæo: *qui unguenta ſuaviter redolentia confecturi ſunt, humidam materiam, quam certo condire odore volunt, ita præparant, ut odorem nullum proprium habeat, & qui materiis mollibus impreſſioniq; cedentibus figuras imprimere aliquas volunt, nullam omnino priorem in eis figuram apparere patiuntur, ſed exactiſſima quadam lævigatione eas poliunt.* Quod ipſe ibi ad materiam, quæ omnes formas receptura iis carere debet, applicat, nos non minùs aptè ad mentem, rem immaterialem, quæ de rebus judicatura præjudiciis carere debet, accommodamus. Nam ſicut ictero laborantibus omnia flava videntur eo quòd oculi ipſorum tali colore ſint infecti: ita ferè homines non alia de rebus judicia faciunt, quàm quæ cum præconceptis eorum opinionibus congruunt. *Malè verum examinat omnis corruptus judex*, Horat. ſerm. lib. 2. ſat. 2.

3. Sed iſta generalia tanquam nota prætermittamus & particulatim potiùs exponamus, quot modis quibuſque de cauſis eveniat, ut non ex præſenti perceptione, ſed ex præconcepta opinione judicemus. Ita & quomodo ſibi ab ejuſmodi lapſu caverit author & quomodo nos ejus exemplo

nobis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

nobis cavere debeamus rectiùs intelligemus.

4. Prima cauſa eſt *fuga laboris*, de qua Cart. in Reſpp. quintt. ad 1. Med. ait, pleroſque homines fateri quidem verbo tenus, præjudicia eſſe vitanda, ſed tamen nunquam illa vitare, quia *nullum ſtudium aut laborem in hoc impendunt.* Etenim ſicut actio ſæpius antè frequentata, ſi fortè recurrat, parum negotii faceſſit agenti: ita facile eſt judicia ſemel iterumque facta repetere, adeo enim celeriter ea fit repetitio, ut vix à ſimplici perceptione diſtinguatur Reſpp. ſext. §. 9. Et hæc eſt natura habitus, ut promtos reddat & expeditos ad agendum. Atqui aliter judicare quàm antè judicaveris, priorem judicandi modum dediſcere ac deponere, hoc opus, hic labor eſt. Vt appoſitè Quintil. lib. 2. Inſtit. Orat. cap. 3. *non arbitror diu laborandum ut oſtendam quantò ſit melius optimis imbui, quantaque in eluendis quæ ſemel inſederint, Vitiis difficultas conſequatur, quum geminatum onus ſuccedentes* (præceptores) *premat. Et quidem dedocendi gravius ac prius quàm docendi. Propter quod Timotheum clarum in arte tibiarum, ferunt duplices ab iis, quos alius inſtituiſſet, ſolitum exigere mercedes, quàm ſi rudes traderentur.* Quomodo verò Philoſophus noſter laborem illum ſupe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ſuperaverit, innuit initio epiſt. qua reſpondet ad Inſtant. Gaſſendi his verbis : *nonnihil difficultatis eſſe faſſus ſum, in ſic excutiendis ex animo noſtro iis quæ ante ab illo aſſumta & approbata fuerant ; partim quia dubitandi aliquam rationem habere oporteat antequam dubitare velis ; ideoque in prima Med. præcipuas quæ horſum facere poſſent rationes expoſui ; partim quia etſi ſtatuerimus nihil affirmare vel negare, decreti tamen iſtius facile obliviſcamur, niſi profundè memoriæ noſtræ infixum ſit ; ideoque ut attentè de hoc negotio cogitaretur volui.* Ideo integram huic rei Meditationem tribuit, uti teſtatur initio Reſp. ad ſecund.ob. & vult ut lectores menſes aliquot, vel ſaltem hebdomadas in iis de quibus tractat conſiderandis impendant, antequam ad reliqua progrediantur.

5. Secunda cauſa, quia *aliqui putant ſe antehac de iis non judicâſſe*, de quibus matura ad diſciplinas capeſſendas ætate judicandum eſt, aut certè exiſtimant aliter ſe judicâſſe. Vnde Lentulus p. 39. infantiæ præjudicia negaturus ita adverſus Philoſophum inſurgit : *an infantes eruditionem eandem quam viri habuimus, ut eam tuo guſtu tanquam præjudicia deponamus?* Vbi dum præjudicia eruditionem interpretatur, fortè alludit ad eruditam ſuam infantiam, de qua magni-

magnificè diſſerit ad art. 71. primæ partis Principp. At Carteſius paſſim animadvertit anticipatas, etiam ab infantia, opiniones viris adhærere, unde in præfat. Principp. Gallica notat Epicurum *contra omnes Aſtronomorum rationes auſum fuiſſe aſſeverare, Solem non majorem eſſe quàm apparet*, quod idem ſcil. infans judicârat. De Epicuro id teſtatur Cicero 1. de Finibus. Sed alibi de infantiæ præjudiciis ex inſtituto agetur.

6. Tertia cauſa eſt quòd *plerique nulla ex iis quæ ſemel ut vera admiſerunt pro præjudiciis habenda eſſe arbitrantur*, verba ſunt Philoſophi Reſpp. quint. ad 1. Med. ſed potiùs conſiderant ea *tanquam ſenſu cognita vel à natura ſibi indita*, ſicut docetur P. I. 71. fine. Nec mirum proinde quod non vitent illud quod vitandum eſſe negant. Atqui Carteſius, uti patet ex locis citatis, illa quoque diligenter obſervando anticipationes evitavit. Et hinc identidem diſtinguit illa quæ verè à natura indita ſunt, & quæ tantùm putantur indita eſſe: e.g. Med. ſext. p. 41. *multa verò alia ſunt quæ etſi videar à natura doctus eſſe, non tamen revera ab ipſa, ſed à conſuetudine quadam inconſideratè judicandi accepi* &c.

7. Quarta cauſa eſt, quòd *anticipatæ opiniones ſemper obverſantur, ſemper inhærent memoriæ*, P. I. 72. Vnde *ſemper recurrunt*

*con-*

*conſuetæ opiniones*, ut probè animadvertit author Med. prima p. 8. Nimirum ſicut aves illæ quas canere docuerat Anno Carthaginenſis (ut refert Ælian. in varia hiſt. lib. 14. cap. 30.) poſtquam dimiſſæ ab eo fuerunt, canere ſunt oblitæ quod captivæ didicerant & ad cantum nativum rediere: ità homines facilè recedunt ab eo quod mens rationis vinculo conſtricta judicavit. & ad priſtinas opiniones, temporis diuturnitate memoriæ infixas, relabuntur. Quod obſervans author Med. ſecunda p. 12. de mente ſua ait, quòd *necdum ſe patiatur intra veritatis limites cohiberi.* ideoque velit *adhuc ſemel ei laxiſſimas habenas permittere, ut illis paulò poſt opportunè reductis faciliùs ſe regi patiatur.* Scitè Majemonid. in præfat. More Nevoch. *quandoque veritas nobis lucere & ſplendere videtur inſtar lucis vel diei, poſtea verò iterum occultatur vel à natura vel à conſuetudine, ita ut ad priores noſtras tenebras ferè revertamur, & ſimiles ſimus iis, quos in denſiſſima noctis caligine fulgura ſubinde irradiant.*

8. Quinta cauſa eſt, quòd *non conſideramus cauſas cur malè olim judicaverimus.* Vitare peccatum eſt vitare occaſiones peccandi. Nec morbus rectè curatur niſi cognitâ ejus causâ. Itaque Carteſius non modò generaliter conſiderat errorum cauſas tum pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

procreantes ,, tum conſervantes circa finem Princip. partis primæ ; verùm etiam ſpeciatim ubique inquirit & quid olim judicaverit & qua de cauſa , quid ita judicandi occaſionem præbuerit. Med. ſecunda : *jam denuò meditabor quidnam me olim eſſe crediderim priuſquam in has cogitationes incidiſſem ; ex quo deinde ſubducam quicquid allatis rationibus vel minimum potuit infirmari.* Med. tertia p. 17. *hîc præcipuè de iis eſt quærendum* &c. Med. ſexta pag. 37. *& primò quidem apud me hîc repetam quænam illa ſint quæ antehac ut ſenſu percepta vera eſſe putavi & quas ob cauſas id putavi* &c. Reſpp. ſext. 165. *quæ opiniones cùm plurimùm differrent ab iis, quas priùs de iiſdem rebus habueram, cœpi deinde conſiderare quas ob cauſas aliter antea credidiſſem.* De Meth. 26. *quidnam nobis occaſionem malè judicandi præberet.* P.I. 75. Vult ut conferamus quæ nunc cognoſcimus clarè & diſtinctè , cum iis quæ olim obſcurè & confusè cognovimus. P. I. 12. *nec aliam ob cauſam aliter viſum* &c. P. II. 18. *lapſique ſumus ferè omnes à prima ætate in hunc errorem, propterea* &c. ibid. 26. *hoc ideo nobis ab ineunte ætate perſuaſimus.* P. III. 5. *nobis quidem primo intuitu* &c. Vno verbo, quemadmodum in genere author propter regulam Methodi primam ſemper diſtin-

guit clara ab obſcuris: ita ſpeciatim ratione anticipationis, ſemper diſtinguit judicia antiqua ab hodiernis.

9. Sexta cauſa eſt *obſtinatio pertinax*, qua plerique nolunt opiniones ſemel receptas deponere. Vnde Philoſophus Reſpp. quint. ad quart. Med. §. 3. profecto non intelligis, ſed tantummodò vis credere, quia jam ante credidiſti, *nec libenter de ſententia decedis.* Huc pertinent omnes illi, qui metuunt ne vanæ levitatis & inconſtantiæ arguantur, ſi ab eo defendendo quod ſemel ſuſceperunt deſiſtant. Sed illis cogitandum, præclaros etiam viros non modò opiniones mutâſſe, ſed retractationum libros ſcripſiſſe. Nam ſicut in juramento contra Dei verbum concepto ſine omni dedecore obſervatur illud vulgare: *in turpi voto muta decretum, in malis promiſſis reſcinde fidem:* ita in opinionibus contra rectam rationem præconceptis mutatio in melius culpari non poteſt. Neque hîc valere debet illud: *turpiùs ejicitur quàm non admittitur hoſpes*, cùm non ſit tam probroſum immaturæ ætati errare, quàm maturæ eſt, in errore velle perſeverare.

10. Septima cauſa eſt *deſperatio de ſententiis & doctrinis melioribus.* Ita diffidunt ac deſperant, qui nihil dici nunc poſſe cenſent quod non dictum ſit priùs, nihil

G inve-

inveniri, quo mundus tam diu carere potuit, ideoq; in Philoſophia tritam viam eſſe tantummodò ſequendam. Hos tangit aliquo modo Carteſius in fine Epiſt. ad Dinet. his verbis: *ſuadet ratio & prudentia, ut de re nobis non omnino perſpecta, non niſi juxta id quod in ſimili ſolet contingere, judicemus: ac tam multi hactenus novas in Philoſophia opiniones protulerunt, quas vulgatis & receptis non meliores, ſed ſæpe periculoſiores eſſe cognitum eſt, ut non immeritò illi omnes, qui nondum meas clarè percipiunt, ſi ſententiam ſuam rogentur, eas dicturi ſint eſſe rejiciendas.* Talibus autem opponi debet quod Verulam. monet Nov. Org. lib. 1. aph. 109. *Solent homines de rebus novis, ad exemplum veterum & ſecundùm phantaſiam ex iis præceptam & inquinatam hariolari; quod genus opinandi fallaciſſimum eſt, quandoquidem multa ex his quæ ex fontibus rerum petuntur, per rivulos conſuetos non fluant.* Porrò authorem noſtrum, more eorum quos diximus, in ſtudiis ſuis non deſperaſſe vel unus locus ſatis docet de Meth. p. 60. *diſſimulare nolo exiguum id quod huc uſque didici, nihil ferè eſſe præ eo quod ignoro, & ad cujus cognitionem pervenire non deſpero. Eodem enim ferè modo agitur cum iis qui paulatim veritatem in ſcientiis detegunt, atque cum diteſcentibus, quibus facilius eſt magna lu-*

*cra facere, quàm antea multò minora cùm adhuc pauperes erant.*

11. Octava cauſa eſt *reverentia aut amor erga eos à quibus opiniones hauſimus.* Nota eſt de principe Phriſio hiſtoria, qui ſe ad inferos, ubi parentes & majores ejus eſſe dicebantur, tranſire malle reſpondit, quàm ab eorum opinionibus deflectere, quo tacitè indicabat, hoc, quod de illis aſſerebatur, nullam habere veri ſimilitudinem, quia affectus quo in parentes ferebatur, efficiebat, ut hanc veritatem mendacem eſſe crederet. Hanc anticipationis cauſam effugit Carteſius, quoniam cùm multos præceptores habuiſſet atque opinionum ab illis ventilatarum pugnam cognoviſſet, nullum eligere potuit quem potiſſimum ſequeretur, de Meth. 14.

12. Nona cauſa eſt *multitudo eorum qui anticipatas opiniones fovent.* Hæc enim efficit, ut multi eant quò itur, non quò eundum eſt. At bene contra hos Cartes de Methodo p. 14. *circa ea quorum veritas non valde facile inveſtigatur, nulli rei eſſe minùs credendum quàm multitudini ſuffragiorum; longè enim veriſimilius eſt unum aliquem illa invenire potuiſſe quàm multos.* Et Reſpp. ſext. §. 2. *quemadmodum unus teſtis, qui, poſtquam in Americam navigavit, ait ſe vidiſſe Antipodas, majorem meretur fidem, quàm mille alii qui negarunt illos eſſe, propter hoc*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*ſolum quod ignorarent : ita etiam apud eos qui rationum momenta, ut par eſt, examinant, pluris facienda eſt authoritas unius dicentis* &c. Lentulus ad priorem locum lib. ſui p.49. nugatur inquiens: *quando ad ſuffragiorum morem provocas, provocatione teipſum lædis. Quis enim ſuffragium unius, omni multitudine vel ſocietate ſententiam ferendi excluſa vidit vel audivit?* Reſpondetur enim 1.non provocat ad ſuffragiorum morem, ſed negat eſſe credendum ſuffragiorum multitudini. 2. ſententiam unius aut paucorum de iis rebus quæ à multitudine intelligi atque æſtimari non poſſunt, præfert cœco multitudinis judicio. Cicero 2.Tuſcul. *eſt Philoſophia paucis contenta judicibus multitudinemque conſultò fugiens, eique ipſa & ſuſpecta & inviſa eſt.* Max. Tyrius ſerm.34. *Sanè civilia judicia & ſuffragia & judicum conſeſſus & oratoris ingenium dirigunt. Nos verò qualem in præſentia ſortiemur judicem? quove ſuffragio dijudicabimus verum? Num rationem dicis? At nullam invenias, qua adverſaria careat. An magis affectiones? hui, quàm infidum judicem narras? Multitudinemne? quaſi mortalium pars major non caliget inſcitia.* Melanchthon de rebus fidei loquens, *neque hoc*, inquit, *recipiendum eſt, majorem partem ſuffragiorum anteferendam eſſe*, in

Corp.

Corp. doct. loco de Eccleſia. Quod nos non minori jure de rebus ad rationem pertinentibus. Ex his intelligitur, quàm inanis ſit adverſariorum conatus, quando ſuffragiis Philoſophiam vulgarem docentium nos opprimere ſatagunt.

13. Decima cauſa retentorum præjudiciorum eſt, quòd nonnulli cupiunt *blandiri populo, novatorum & paradoxologorum titulum ſibi verentur tributum iri.* Eam ob cauſam Ariſtoteles, ex multorum ſententia, in pleriſque vulgi judicio ſe accommodavit, ſecus ac fecêre veteres, in ſapientiæ ſtudio generoſiores. Hic etiam audiendus Verul. qui in præfat. Organi ita ſcribit: *maxima ingenia procul dubio per ſingulas ætates vim paſſa ſunt, dum viri captu & intellectu non vulgares, nihilo ſecius exiſtimationi ſuæ conſulentes, temporis & multitudinis judicio ſe ſubmiſerint. Quamobrem altiores contemplationes ſi fortè uſquam emicuerint, opinionum vulgarium ventis ſubinde agitatæ ſunt & exſtinctæ. Adeo ut tempus, tanquam fluvius, levia & inflata ad nos devexerit, gravia & ſolida demerſerit.* Hunc quoque ſcopulum evitavit Carteſius, quod initio epiſt. reſpon. ad Inſtant. Gaſſend. accuratè docet: *ſcio,* inquit, *mortalium pleroſque ſpeciem veritatis faciliùs quàm veritatem ipſam obſervare,*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*& ſæpius prava quàm recta de rebus judicia ferre. Idcirco operæ pretium eſſe non putavi de illorum approbatione obtinenda multum laborare.* Item in Epiſt. ad Voet. in fine partis primæ : *odioſum quidem eſt circa religionem aliquid velle innovare : quia cùm quiſque illam, quam amplectitur, dicat ſe credere inſtitutam eſſe à Deo, qui errare non poteſt, nihil ex conſequenti credit in ea poſſe novari, quod non ſit malum; Sed circa Philoſophiam, quam ultrò fatentur omnes nondum ab hominibus ſatis ſciri, ac multis egregiis inventis augeri poſſe, nihil laudabilius eſt, quàm eſſe Novatorem.* Similis priori loco Carteſii eſt ille Majemonidis in fine præf. Mor. Nevoch. *ego ita ſum comparatus, ut licèt videam, me premi, anguſtari, & aliter veritatem, quæ demonſtrari poteſt, docere non poſſe, niſi ut vix uni bono & laudato viro placere, contrà verò mille imperitis & ſtultis diſplicere cogar, malim tamen uni illi, contemtis reliquorum ludibriis, placere, illumque ex perplexitatibus & dubiis ſuis eruere, donec perfectus evadat.*

## CAP. XIII.

### *Non eſſe plus judicandum quàm perceperis.*

1. DVobus modis, ſi generaliſſimè loquamur, primum Carteſianæ Methodi

thodi præceptum violatur, primò ſi *priùs* judicamus quàm percipimus, deinde, ſi *plus* judicamus. Priùs judicamus iterum duobus modis, vel ſi præſenti tempore judicium præcipitemus, vel ſi ex anticipata opinione judicemus, quam olim per præcipitantiam admiſimus. Poſtquam igitur de præcipitantia & anticipatione fugienda actum fuit, ſequitur ut tertium regulæ membrum expendamus, tum quomodo illud à Carteſio obſervetur, tum quot modis ab aliis violetur inveſtigando.

2. Primus violationis modus eſt, *quando rem obſcurè & confusè tantùm percipimus, & tamen judicamus tanquam de re clarè diſtinctéque percepta.* Ita multi audacter pronunciant de re quam vix primoribus labris deguſtârunt. Contrà author noſter timidè ac dubitativè pronunciat, ubi nondum clarè perſpexit: exemplum eſt Med. tertia: *ex his autem ideis aliæ innatæ, aliæ adventitiæ, aliæ à meipſo factæ mihi videntur &c. vel fortè etiam omnes eſſe adventitias poſſum putare, vel omnes innatas, vel omnes factas, nondum enim veram illarum originem clarè perſpexi.*

3. Secundus modus eſt, *ſi rationem tantùm probabilem percepiſti, & ſtatim concludis rem neceſſariò ita ſe habere.* Aliter Carteſius noſter, v.g. Med. ſexta p. 37. *quia*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*nullus alius modus æquè conveniens occurrit ad illam* (imaginationem) *explicandam, probabiliter inde conjicio corpus exiſtere; ſed probabiliter tantùm, & quamvis accuratè omnia inveſtigem, nondum tamen video ex ea naturæ corporeæ idea diſtincta, quam in imaginatione mea invenio, ullum ſumi poſſe argumentum quod neceſſariò concludat aliquod corpus exiſtere.*

4. Tertius modus eſt, *quando ſimilitudinem percepiſti, & colligis identitatem.* Ita Philoſophus Reſpp. quartt. pag. 129. ex eo quod dixerit, licere nobis cogitare, Deum *quodammodo idem præſtare* reſpectu ſui ipſius,[f] quod cauſa efficiens reſpectu ſui effectus, non vult inferri *idem eſſe.* Huc facit tritum axioma: *ſimile non eſt idem,* quo utitur Cicero Academ. quæſt. lib. 4. *quomodo autem ſumis, ut ſi quid cui ſimile eſſet, ſequatur* &c. *ut eadem ſint? ut ſi lupi canibus ſimiles eoſdem dices ad extremum.* Et aliquantò pòſt; *fac enim antiquos illos Servilios, qui gemini fuerunt, tam ſimiles quàm dicuntur: num cenſes etiam eoſdem fuiſſe?*

5. Quartus modus, *ſi de toto judicas, & partem duntaxat percepiſti*, uti Revius de tota Logica illud determinatum eſſe cenſet,[g] quod ſolùm de parte ejus, & quidem ignobiliſſima, à Carteſio dictum cognoverat.

rat. Itaque Carteſius Epiſt. ad Voet. initio part. tertiæ adverſarium in ſimili materia hunc in modum refutat : *cùm id ſcripſerim* (ſcil. ad omnium captum non eſſe accommodata) *peculiariter de illis Meditationibus, quæ tantùm perexiguam & omnium difficillimam Philoſophiæ partem continent, inferre potiùs debuiſſes, non idem de tota eſſe putandum.* Interim non negatur, in vita quotidiana ex ungula leonem aliquando cognoſci & ex principio de tota actione probabiliter poſſe judicari. At methodus de qua agitur hoc loco, refertur ad judicium certum in ſpeculatione veritatis.

6. Quintus modus eſt, *quando cognitionem habes claram ac diſtinctam atque inde infers te habere adæquatam.* In quo ſemper Carteſii peccant adverſarii, nunquam inter apprehenſionem & comprehenſionem diſtinguentes. Exempli causâ objiciunt in Epiſt. Reſp. ad Inſtant. Gaſſend. pag. 146. *ſi idea* ſeu notio *Dei in te eſſet, eam comprehenderes.* Ita Reſpp.ſ quintt. ad tert. Med. §. 7. *unum monebo de idea infiniti, quam ais non poſſe eſſe veram, niſi comprehendam infinitum.* Sæpe etiam Revius, ſæpius Lentulus eadem ratione impingit. Sed jam docuerat author Med. tertia pag. 21. fine, ut clara ac diſtincta ſit idea, non eſſe opus ut ſit adæquata ſeu



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ut comprehendat quicquid eſt in re percepta, atque idem tot locis repetivit & inculcavit, ut referre pigeat. Majemon. Mor. Nevoch. p. 1. cap. 31. *licèt apprehenſionis facultatem habeat* (intellectus) *non tamen ſequitur quòd omnia poſſit apprehendere.*

7. Sextus modus eſt, *quando id quod cum reſpectu & comparatione ad alterum tale eſſe intelligitur, concludis, eſſe abſolutè tale.* E. G. Carteſius dixerat, animam reſpectu corporis poſſe dici qualitatem ſive accidens, quatenus nimirum corpori accidentale eſt, eſſe animatum, atque inde tale denominatur: inde Revius ſtateræ p. 28. conatur exſculpere, Carteſium ſtatuere, Mentem eſſe accidens ſeu qualitatem, de quo ſuo loco pleniùs. Similem errorem committes, ſi ex conditionali effato percepto judicium tuum faciat abſolutum, cujus exemplum ex ſacris adfert Dannhavv. idea boni interp. part. 1. ſect. 3. art. 2. §. 50.

8. Septimus modus eſt, *ſi ex eo quod aliquando res talis eſſe cognoſcatur, judicemus eam ſemper eſſe talem*, ſive, ſi ex eo quod certo tempore eſt, judicemus de omni tempore. Sic judicavit ſeptimus Opponens, opiniones quæ Carteſio aliquando fuerint dubiæ, ſemper illi debere eſſe dubias. Vide Reſpp. Sept. ad literas, K. Y.

9. Octa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

9. Octavus modus eſt, *quando ex paucis particularibus exemplis illico univerſalem concluſionem & regulam facimus*, ſive quando ex uno de pluribus, ex paucis de multis, ex multis de omnibus judicium ferimus. Hoc monet Author nos feciſſe ab ineunte ætate circa motum & quietem P.II. 37. *quia hîc verſamur circa terram, cujus conſtitutio talis eſt, ut motus omnes qui prope illam fiunt brevi ſiſtantur, & ſæpe ob cauſas quæ ſenſus noſtros latent, ideo ab ineunte ætate ſæpe judicavimus eos motus, qui ſic à cauſis nobis ignotis ſiſtebantur, ſua ſponte deſinere: jamque proclives ſumus ad illud de omnibus exiſtimandum, quod videmur in multis eſſe experti; nempe illos ex natura ſua ceſſare ſive tendere ad quietem.*

10. Nonus modus eſt, *quando ex eo quòd percipiamus nihil adeſſe ſenſibile, judicamus illico omnem omnino rem abeſſe*, quem ſcopulum evitare docuit Carteſius P. I. 73. II. 17. Majemonid. Mor. Nevoch. pag. 2. proleg. propoſ. 17. *quia movens in moto vel mobili exiſtens occultum eſt & à ſenſibus videri nequit, exiſtimarunt animalia moveri ſine movente.*

11. Decimus modus eſt, *ſi id quod cognovimus impedire effectum aliquem, judicemus poſſe eundem producere.* Hac de re Author Reſpp. quartis pag. 125. *ex eo quod*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*experiamur ſæpe ab ipſis* (organis corporeis) *eam* (vim cogitandi) *impediri*, *nullo modo ſequitur ab iiſdem produci*. Item Reſpp. quintis pag. 59. *ex eo quod mens non tam perfectè agat in corpore infantis quàm adulti, ac ſæpe à vino aliiſque rebus corporeis ejus actiones poſſint impediri* &c.

12. Denique, ut multa paucis dicam, plus judicamus quàm percipimus, quoties fallaciam accidentis committimus, putantes illud rei per ſe convenire, quod per accidens tantùm ei competere percepimus; item cùm à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter procedimus; & generatim quoties plus ponitur in concluſione quàm fuit in præmiſſis, ita ut in hac prima Carteſianæ Methodi regula pleræque omnes de argumentatione, aut ſaltem eæ quæ majoris ſunt momenti, contineantur. Omnium autem maximè eam infringit, qui non ſolùm judicat quæ non intelligit, ſed etiam condemnat & blaſphema pronunciat, ut Revius & Lentulus Carteſiana.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

## CAP. XIV.

### *De Methodi Carteſianæ præcepto ſecundo :* ut difficultates examinandæ in tot partes dividantur, quot expedit ad illas commodiùs reſolvendas.

1. Conſtat ex primo Methodi præcepto ad certum de rebus judicium ferendum opus eſſe perceptione clara ac diſtincta. Ideo Author tum in Meditationibus, tum in Principiorum parte prima ubique verſatur circa diſtinguendas ac ſeparandas notiones claras ac diſtinctas ab obſcuris & confuſis. Vide Medd. p. 13. 20. 30. fin. 40. in fine ſecundd. reſpp. poſt. 6. P. I. 47. 66. Et Reſpp. quintt. ad tert. Med. §. 1. fin. hoc refert ad Methodum, qua dignoſcimus an fallamur nec ne &c. *ut ideas claras ab obſcuris aut confuſis diſtinguamus.*

2. Et minùs quidem difficile eſt *claram* habere perceptionem, ſufficit enim ut menti attendenti præſens & aperta ſit: at perceptionem ſibi comparare *diſtinctam* eſt longè difficilius. In ea namque nihil debet contineri quin ſit clarum & ab omnibus aliis ſejunctum ac præciſum. Ita magni alicujus doloris clariſſima eſt perceptio, ſed



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

tamen confuſa, & in prima ætate multa clarè percepimus, at nulla diſtinctè, omnisque diſtincta perceptio claram includit, non viceverſa P. I. 45. 46. 47.

3. His igitur de cauſis Carteſius primo præcepto ſtatim ſubjungit illud quod agit de *diſtinguendis ac dividendis* rebus percipiendis, cujus præcepti neceſſitas vel inde patet, quòd mens noſtra ex ſua natura non per unam & ſimplicem actionem, ut divina, ſed per multas ac diſtinctas operetur. P. I. 23. Nempe Deus uno conceptu exhaurit rerum plenitudinem adeoque una ejus eſt ſcientia, qua novit omnia. Nos alia diſcimus per Metaphyſicam, alia per Matheſin, alia per Logicam &c. & ita varias conſtituimus diſciplinas, atque ea etiam quæ in unaquaque ſpectanda ſunt in plurimas conceptuum partes ſegregamus, ut, ex axiomate nuper laudato, *quod perfectioni deeſt ſingulorum, in multis numero compenſetur.*

4. Ita docent Arithmetici, ubi plures occurrunt numerorum figuræ, ut facilior eorum reddatur enunciatio, totam illarum ſeriem in certas eſſe periodos & membra diſtinguendam. Inſuper oſtendunt majorem eſſe facilitatem in numeratione quæ per partes fit, quòd parvos numeros faciliùs quàm magnos numeremus, unde verſus: *quod per tota*

*ne-*

*nequis,per partes diſcere debes.* Vide inter alios Arithmeticam Gerh. de Neufville lib. 1. cap. 3. §. 12. & cap. 5. §. 2.

5. Et planè ſicut cibus, quo corpus nutritur, priusquam ori immittatur, in partes dividi debet, & ori immiſſus adhuc ampliùs à dentibus comminui, ut melius coquatur in ventriculo: ita veritas, quæ animi pabulum eſt, in partes varias eſt dividenda, ut meliùs illi velut inoleſcat.

6. Et hæc quidem prior pars eſt regulæ, *ut difficultates quas exami naturi ſumus in partes dividamus*; ſed poſterior non minùs, imò multò magis annotanda, quæ regulæ aliàs generaliori atque indefinitæ modum ac menſuram ponit, ut difficultates dividamus *in tot partes quot expedit ad illas commodiùs reſolvendas.* Quoniam enim diviſio omnis ad id comparata eſt, ut meliori ac faciliori eorum quæ tota difficiliùs comprehenduntur cognitioni inſerviat, non debet utique determinatus partium dividentium numerus, à quo deflectere non liceat, à recta Methodo præſcribi; ſed extendendus aut contrahendus partium numerus eſt pro difficultatis cujusque reſolvendæ commoditate.

7. Hucusque regulæ fuit tum explicatio, tum probatio: ſequitur ut inveſtigemus an à Carteſio conſtanter fuerit obſervata, & quot

qui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

quibusque modis à veri ſtudioſis obſervari, ab aliis negligi ſoleat.

8. Generatim obſervatæ regulæ exempla habentur in his locis: P. II. 41. it. Diopt. II. 1. 4. de diſtinctione inter motum ipſum & ejus determinationem. P. III. 60. *ut accuratè omnia diſtinguantur.* P. IV. 9. *hicque notandum eſt.* 10. *notandum etiam.* 11. *notandum prœterea.* 12. *& notandum.* 13. *notandum denique.* Similia habes in artic. ſqq. plurima. Reſpp. ſextt. §. 9. accuratè diſtinguit *tres gradus ſenſus*, cùm vulgo de ſenſibus tam confuſè diſſeratur.

9. Violatur regula primò, *ſi multa inſtar unius apprehendamus*, de quo Cart. circa finem ſextt. Reſpp. initio p. 168. *à prima infantia mentem & corpus (ex quibus ſcilicet me compoſitum eſſe confusè advertebam) tanquam unum quid concepi. Atque id in omni ferè imperfecta cognitione contingit, ut multa ſimul inſtar unius apprehendantur, quæ poſtea per accuratius examen ſunt diſtinguenda.* Poſt initium illius ultimi paragr. dixerat, nos ineunte ætate imaginationem & intellectionem pro uno eodemque ſumpſiſſe, in fine p. 165. Et Med. ſexta p. 37. ſe corpus ſpectâſſe tanq. ſui partem, vel fortè etiam *tanquam ſe totum.*

10. Secundò, *ſi quæ ſeparatim ab aliis cognoſcenda ſunt, non ſeparantur, de quo Carteſius*

*teſius* initio ſecundarum Reſpp. p. 68. fine: valde rationi conſentaneum viſum eſſe, *ut ea quæ ſingularem attentionem deſiderant & ſeparatim ab aliis ſunt conſideranda, in ſingulas Meditationes referrem.* Hanc ſeparationis neceſſitatem in ipſis Meditationibus indicat, v. g. initio ſecundæ: in tantas dubitationes *heſterna* Meditatione conjectus ſum, & in fine ejusdem, *placet hîc conſiſtere.*

11. Tertiò, *ſi plures quæſtiones tractantur perinde ac ſi una eſſet*, unde fallacia plurium interrogationum. Ita ſecundi Opponentes duas quæſtiones confundebant, quarum una erat, an poſſimus ideam formare ſummi entis ſi non exiſteret; altera, an poſſimus illam ideam formare, ſi ſummum ens exiſtere neſciremus. Reſpondet igitur Philoſophus ſec. Reſpp. p. 70. SECVNDO &c. quæſtiones illas diſtinguendo; *concedo ipſam poſſe formari, licet ens ſummum exiſtere neſciremus, ſed non ſi revera non exiſteret &c.* Sic adverſarii ſemper confundunt quæſtionem, an clarè & diſtinctè Deus cognoſcatur, cum quæſtione, an cognoſcatur perfectè & adæquatè.

12. Quartò, quando committitur *fallacia compoſitionis* h. e. quum ea conjunguntur quæ erant ſegreganda. Exempla paſſim occurrunt. Vide Epiſt. ad Voet. part. 3. prope finem: *tanquam ſi ex eo quod dixerim hominem nondum ſenem, reliqua quoque mihi ſint tribuenda.*

13. Quin-

13. Quintò, *ſi rem aliquam ſingularem quæ multa vel actu vel virtute tantùm continet, velimus totam ſimul intelligere.* Sic negat author in primis Reſpp. p. 59. ab iis diſtinctè Deum poſſe cognoſci, qui totum ſimul conantur animo complecti, & non potiùs ad ſingulas ejus perfectiones attendunt. Ita in Philoſophiæ Principiis Mundum conſiderat non prout jam eſt in natura abſoluta & perfecta, ſed quatenus paulatim ex certis quibusdam principiis factus eſt & productus, de quo pleniùs ad P. III. 45. agetur.

14. Sextò, *ſi naturam rei definitione evolutam non attendamus, ſed omiſſa tali evolutione confusè eam adſpiciamus.* Definitio enim diſtinctè & per partes exhibet, quod in definito involutum latet. Ideo Philoſophus ubicunque diſtincta attentione opus, ſolet per partes naturam evolvere atque ita quæſtioni *quid eſt* ſatisfacere, aut pro uno termino plures ponere, aut unum per plures definiendo explicare: e. g. Meditatione ſecunda p. 10. per partes declarat, quomodo naturam hominis, naturam animæ, naturam corporis olim conceperit. Ibid. p. 11. pro uno plures uſurpat terminos: *res cogitans, id eſt, mens ſive animus, ſive intellectus, ſive ratio.* Circa finem ejusd. pag. *quid igitur ſum? res cogitans; quid eſt hoc? nempe dubitans, intelligens, affirmans, negans, volens, nolens, imaginans*

*inans quoque & ſentiens*.p.14. *cùm videam ſive ( quod jam non diſtinguo ) cum cogitem me videre*. Med. tertia p.21. *Dei nomine intelligo ſubſtantiam quandam infinitam, independentem, ſummè intelligentem, ſummè potentem &c*.p.23.*me quaſi rurſus creet ad hoc momentum, hoc eſt, me conſervet*. p.24.*Deus inquam ille idem cujus idea in me eſt, hoc eſt habens omnes illas perfectiones &c*.

15. Septimò, *ſi quid tantùm in communi & per regulam cognoſcatur, non per ſpecies & exempla*. Diviſionis enim lex non modò reſpicit diſtributionem, quæ eſt totius integrati in partes integrantes (cujus exemplum paulò antè habuimus in Mundo) vel quæ eſt totius eſſentialis (cujus exemplum habemus in diſtinctione animæ & corporis) ſed etiam eam quæ eſt totius univerſalis in partes ſubjectivas, hoc eſt, quæ eſt generis in ſpecies, ſpeciei in individua. His terminis utor propter eos qui Logicam vulgarem tenent, qui non intelligunt, ex aliis tamen hîc adjiciendis quod opus eſt percipient. Huc enim ſpectat quod Philoſophus monet poſtul. 6. *hoc facilius exemplis quàm regulis addiſcitur*. Certè multa talia ſunt, ut benè dixerit Plato in libro de regno, *arduum eſt ô beate abſque exemplis res magnas lucidè oſtendere*. Et meritò inſurgit contra ſteriles Dogmatiſtas Comenius in Linguar. Meth.

No-

Noviſſ. cap. 10. & exemplorum neceſſitatem urget ibid. §. 26. ſqq. Hinc Philoſopho noſtro familiare eſt, ſub exemplis regulas generaliſſimas proponere, ut Med. ſexta pag. 41. *quòd omne ſpatium, in quo nihil planè occurrit quod meos ſenſus moveat, ſit vacuum, quod in corpore, exempli gratia* &c. Notatu etiam dignus eſt locus Reſpp. quintt. ad prim. Med. ubi Opponens dixerat, ſufficere ad errores emendandos humanæ mentis caliginem aut naturæ noſtræ imbecillitatem cauſari: reſpondet Philoſophus: nihil prodeſſe ad errores noſtros emendandos, quòd dicatur nos errare, quia noſtra mens caligat vel natura eſt imbecilla *&c.* & *manifeſtè utilius eſſe attendere, ut fecerit, ad omnia in quibus contingere poteſt ut erremus.* Rationem hujuſce Methodi, qua non modò generatim & in communi, ſed ſpeciatim & in particulari res cognoſcuntur, alibi author indicat, nempe Med. ſecunda pag. 12. *generales iſtæ perceptiones aliquantò magis confuſæ eſſe ſolent.* Reſpp. quartt. pag. 122. fin. *iſta intellectio non eſt diſtincta, niſi ad ſpecialem aliquam figuram referatur.* Confer. Platon. in fine Theæt. *Quando igitur opinabar ſolùm* &c.

16. Octavò, *ſi peccemus in exceſſu nimis dividendo ſcil. & ſubdividendo*, quod

Revius Conſiderationis p.30. Carteſianæ regulæ, de qua in præſentia agimus, his verbis imputat: *ſecundum authoris præceptum non tollit difficultates, ſed auget, cùm eas in infinitas particulas frangat potiùs quàm dividat.* Fortè ut hoc cenſeret, adductus fuit verbis Diſſertationis Gallicæ, ubi præceptum ſecundum ita ſonat, ſi latinè efferas: *ut difficultates quas eſſem examinaturus in tot particulas dividerem, quod fieri poſſet & quod expediret ad illas melius reſolvendas.* At Revius dum virgulam cenſoriam ſtringit in diviſionis præceptum, ſophiſma diviſionis committit, ſeparans ea quæ fuerant conjungenda. Vult enim Carteſius dividendas eſſe difficultates in tot particulas in quot poſſunt, ſed ita, ut hoc faciat ad eas commodiùs reſolvendas. Non igitur illas frangere vult in infinitas, ut nec in Phyſicis ita corpus dividit, ut ampliùs dividi non poſſit, ſed quantum ſufficit & expedit. Bene quippe Senecæ: *idem vitii habet nimia quod nulla diviſio: ſimile enim confuſo eſt quod in pulverem uſque ſectum eſt.* Potiori autem jure Keckermannus hac in parte à doctioribus reprehenditur, inter alios à Francone Burgerſdicio in præfat. Log. *ingens illa ſubdiviſionum multitudo, ex qua laudem affectâſſe videtur, diſcentibus nimis*

*quàm*

*quàm moleſta rerum intelligentiam pluri-mum impedit*. Nuſpiam Conſiderator, quamvis attentus, in Carteſianis ſcriptis ſimile vitium deprehendet. Quin contrà intelliget ex fine Notar. ad Progr. Regii. *Carteſium magis quàm quenquam alium à ſupervacua entitatum ſcholaſticarum ſupellectile eſſe alienum*, h. e. eum non multiplicare ſine neceſſitate diſtinctiones, neque nimium trahendo & abſtrahendo, ut Scholaſtici Metaphyſici ſolent, tenues rerum funiculos rumpere, quoniam *non diſtinctior ſit conceptus ex eo, quod pauciora in eo comprehendamus, ſed tantùm ex eo quod illa quæ in in ipſo comprehendimus ab omnibus aliis accuratè diſtinguamus*. P. I. 63. Quæ poſtrema verba monent ut addam violari ſecundum Methodi præceptum.

17. Nono, *ſi partes in quas difficultates ſunt reſolutæ, non accuratè diſtinguantur*, quod vulgo ſic efferri conſuevit: *partes diviſionis ſint inter ſe diſſitæ*; ab aliis: *partes debent inter ſe opponi*. Hocque ipſa diſtinctæ perceptionis deſcriptio requirit. P. I. 45. quæ cum clara ſit, *ab omnibus aliis ita ſejuncta eſt ac præciſa &c.* Huc reduci poteſt, quando ſubſtantia & accidens ſive attributum non accuratè diſtinguuntur, vide P. I. 55. Vel ſi attributa unius rei non accu-

ratè

ratè diſtinguantur ab attributis alterius rei oppoſitæ. Vide P. I. 54.

18. Decimo, *ſi Ramiſtico more dichotomias ſectemur, aut cum aliis ſcrupuloſè nimis trichotomias affectemus.* Semper enim attendendum eſt quid patiatur natura rei ſeu difficultas examinanda, quod Carteſius in Gallico exprimere volebat per illa: *in tot particulas quot fieri poſſet*; & quid juvet ad noſtram cognitionem, quod Carteſius: *quot expediret ad illas commodius reſolvendas.* Itaque Carteſianæ diviſiones jam duo membra habent P. I. 48. 51. 57. ſæpe tria P. I. 48. fine. 60. II. 37. regulæ motus. III. 52. elementa. 53. cœli; interdum plura, vide libellum de Paſſionibus Animæ.

19. Adjiciam clauſulæ loco quod habet author in fine ſecundar. Reſpp. p. 83. *propoſitionum minuta diſtinctio* (ſcil. apud Geometras) *ad hoc eſt comparata, ut facilè citari atque ita vel nolentibus in memoriam reduci poſſint.* Et quod in Epiſt. ad Dinetum p. 150. fin. illa non eodem ordine ac ſtylo proponam, quo magnam eorum partem ante conſcripſi, ſed *alio ad ſcholarum uſum magis accommodato, brevibus ſcilicet articulis ſingulas quæſtiones includendo.* Vtriusque loci propoſiti occaſione in mentem venit optare, ut in reliquis ſcriptis Carte-

ſii

ſii quæ ſunt præter Principia (cùm propter diverſas editiones paginæ varient) diſtinctio quædam per numeros, commodioris citationis causâ fieri poſſit, quod ad Scholarum uſum & propter adverſarios hoc tempore imprimis videtur neceſſarium.

## CAP. XV.

*De Methodi Carteſianæ præcepto tertio:* ut cogitationes omnes, quæ veritati quærendæ impenduntur, certo ſemper ordine promoveantur: incipiendo ſcilicet à rebus ſimpliciſſimis, & cognitu facillimis & paulatim & quaſi per gradus ad difficiliorum & magis compoſitarum cognitionem adſcendendo, in aliquem etiam ordinem illas mente diſponendo, quæ ſe mutuò ex natura ſua non præcedunt.

1. A dividendi præcepto rectà provehimur ad præceptum ordinandi, mens enim noſtra, quæ in multitudine rerum facilè confundi ſolet, poſtquam in multa diviſit thema propoſitum, ſtatim de ordine cogitare debet, quo & inchoandi & progrediendi modum

modum teneat eum, qui ad conſequendam rerum diviſarum notitiam eſt aptiſſimus.

2. Ordinis encomia ex optimis auctoribus colligere longum nimis foret, longè enim plurima ſunt. Sufficiat unus Scaligeri locus exerc. 2. *ordine nihil vel in animo vel in opere Sapientis admirabilius eſt*; & alter Schonborneri ex præfat. Politicæ: *doctrina ſine ordine non admodum diſſimilis mihi videtur corpori mente vacuo: ſicut enim corpus inutile pondus eſt, niſi mente regatur, ſic doctrina citra ordinem rudis indigeſtaque eſt moles. Nam ſcire quid facias doceaſve, neſcire autem quo ordine illud fiat, non eſt perfectæ cognitionis.*

3. Carteſianum præceptum generatim vult, *ut cogitationes omnes quas veritati quærendæ impenderet, certo ſemper ordine promoveret*. Hoc ſpeciatim declarat ponendo, 1. terminum à quo incipiendum: *à rebus ſimpliciſſimis & cognitu facillimis*, quæ duo conjungenda ſunt, ut in præcepto præcedente: *in tot partes quot fieri poſſet, & quot expediret* &c. 2. progreſſum indicando vocibus: *paulatim & quaſi per gradus aſcenderem*. 3. terminum ad quem pervenitur: *ad difficiliorum & magis compoſitarum cognitionem*. Hæc de ordine qui Logicis dicitur *Naturalis*, & quidem in ſpecie ſyntheticus ſeu compoſitivus, quem tribuunt ſpeculati-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

vis diſciplinis, ad quas etiam Carteſius his regulis inſtructus ſe contulit. Sed idem ordo obſervatur quoque in artibus & diſciplinis practicis, quatenus faciendi inſtrumenta & agendi media inveſtigantur. Finis enim in illis non inveſtigatur, ſed ut notus præſupponitur. Author verò hîc ordinem inquiſitionis & inventionis tantùm præſcribit. De ordine *Arbitrario* illa addit: *in aliquem etiam ordinem illas mente diſponendo, quæ ſe mutuò ex natura ſua non præcedunt.*

4. Non diſſonat Platonis locus in Sophiſta, ubi Hoſpes Eleates ita ait: *vetus eſt omniumque communis ſententia, ſi quis ea quæ magna ſunt, rectè tranſigere velit, in parvis quibuſdam priùs illa facilioribuſque quàm in maximis conſiderare debere.* Poſtea pergit: *Viſne exiguum quiddam & vile in medium adducamus, majoris ipſius exemplum?* Illuſtria hujus rei ſpecimina habemus in Carteſio, ut quando P. III. 114. turbinis motum confert cum motu Planetæ, art. 30. aquarum vortices cum cœlo Planetarum art. 60. & præcedentibus lapidem in funda vel globulum in canali cum globulis ſecundi elementi. art. 75. ampullam vitream cum Sole. art. 94. 96. ſpumam cum Solis maculis, & generaliter P. IV. 203. arte facta cum naturalibus &c.

5. Sed oſtendamus amplius, ordinis hîc

præ-

præſcripti obſervantiſſimum ubique fuiſſe noſtrum Philoſophum. In ſtudio Mathematico incepit à facillimis de Meth. 18. In experimentis obſervandis attendit priùs ad obvia quàm ad rariora & abſtruſa p. 57. Et quanti faciat ordinis illud præceptum p. 64. his verbis declarat: *habitus quem ſibi comparabant* (præſtantiora ingenia) *facilia primùm quærendo & paulatim & quaſi per gradus ad alia difficiliora tranſeundo, ipſis plus omnibus meis documentis profuturus eſt.*

6. In prima Philoſophia incipit à rebus ſimpliciſſimis, & inventu facillimis, Mente ſua & Deo; his cognitis, quantum ſufficiebat ad Philoſophiæ jacienda fundamenta, perrexit ad res magis compoſitas, quales ſunt corporeæ, de quibus in Phyſicis, ubi primò Materiam ſimpliciter atque indefinitè conſiderat, deinde Motum contemplatur, à quo omnis Materiæ variatio ſive omnium ejus formarum diverſitas proficiſcitur P. II. 23. A generali Phyſica ad ſpecialem progreſſus incipit ab iis quæ maximè univerſalia ſunt P. III. 1. hoc eſt quæ latiſſimè per univerſum ſe extendunt ſuntque partes Mundi adſpectabilis potiores & majores, ac proinde inventu faciliores, ut Cœlum & Stellæ, Sol, Cometæ & Planetæ, Terra, Aqua, Aër, Ignis, Magnes P. IV. 133. hujus diſſ. p. 58. initio.

7. Per gradus progreditur, quando à dubitatione & interrogatione procedit ad aſſertionem. Vide Med. ſecundam paulò poſt initium, item Med. tertiam poſt initium: *nunquid ergo etiam ſcio quid requiratur ut de aliqua re ſim certus?* Vide ſeqq. item Med. quintam longiùs ab initio: *nunquid, inde haberi etiam poteſt argumentum quo Dei exiſtentia probetur. Certè* &c. Sic gradatim tranſit à dubio ad certum, à poſſe ad eſſe, ab eſſe ad ſemper eſſe, paulò ante finem prim. Reſpp. *prima quidem fronte dubitabimus* &c. *atqui ſi attentè* &c. *primò illi ſaltem competere poſſibilem, deinde* &c. *revera exiſtere* &c. *ſemper exiſtere.* Et Med. ſexta initio probat corpora poſſe exiſtere, deinde oſtendit illa revera exiſtere, & argumento primò quidem probabili, deinde neceſſario, quorum illud eſt ab imaginatione, hoc à ſenſu externo deſumtum.

8. Ad ordinem etiam ſpectant ttanſitionum vincula, quibus utitur initio ſecundæ Medit. & reliquarum, initio quoque Principiorum partis ſecundæ & tertiæ &c. Sed omnia ordinis exempla recenſere, ſit integram Philoſophiam tranſſcribere, ideoque audiamus quid Philoſophus circa finem ſecund. Reſpp. p. 82. de ordine Meditationum, in quibus multò fuit quàm in reliquis ſcriptis accuratior, ex vero profiteatur: *Duas*

*res*

*res in modo ſcribendi Geometrico diſtinguo, ordinem ſcilicet & rationem demonſtrandi. Ordo in eo tantùm conſiſtit quod ea quæ prima proponuntur abſque ulla ſequentium ope debeant cognoſci, & reliqua deinde omnia ita diſponi ut ex præcedentibus ſolis demonſtrentur. Atque profectò hunc ordinem quàm accuratiſſimè in Meditationibus meis ſequi conatus ſum: ejuſque obſervatio fuit in cauſa cur de diſtinctione mentis à corpore non in ſecunda, ſed demum in ſexta Meditatione tractârim, atque alia multa volens & ſciens omiſerim, quia plurium rerum explicationem requirebant.* De ordine Princip. in Epiſt. ad Dinet. p. 151. *tali ordine ipſas*(quæſtiones) *exſequendo, ut ſequentium probatio ex ſolis præcedentibus dependeat* &c.

9. Sed eſt adhuc quod Carteſiani ordinis inveſtigatoribus imprimis notari velim, nimirum quod Philoſophus in Meditationibus & aliis ſcriptis ante Phyſicam editis quandoque loquatur de rebus naturalibus haud aliter ac vulgo de iis loqui & ſentire ſolent Philoſophi, licet alia earum ſit veritas, quam ſibi reſervat explicandam in Phyſicis, cùm per leges ordinis prius explicari nequeat. Ita Med. tertia utitur exemplis *quietis* & *tenebrarum* tanquam privationum motus & lucis, cùm tamen ex Phyſicis pateat eas eſſe quid poſitivi. Sic alibi loquitur



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

de *ſpatiis imaginariis*, de quibus aliter in Phyſicis &c. Hinc adverſarii, ordinis propter imbecillitatem intellectus aut perverſitatem voluntatis ignari, Carteſio contradictiones impingunt. Sed audiant ſibi reſpondentem ſapientem Iudæum Majemonid. in præfat. Mor. Nevoch. *Quinta* (ſcil. cauſa apparentis contrarietatis & contradictionis quæ in libro & tractatu aliquo reperitur) *eſt ordo doctrinæ & inſtitutionis. Si fuerit res aliqua abſtruſa & intellectu difficilis admodum, ac de ea neceſſariò ſit agendum, ſumendaque ſit principii loco in explicatione rei alterius facilioris, tum neceſſe eſt, ut hæc priorem præcedat (quia ſemper incipiendum eſt à facilioribus) & tamen opus etiam erit, ut leviter & craſſiore Minerva declaret Præceptor priorem. Verùm nequaquam accuratè & ἀκριβῶς id faciet, ſed relinquet eam, prout diſcipulus vel auditor illam ſibi imaginatur* (NB) *donec intellexerit id, quod nunc ipſi inculcatum voluit, poſtea autem ejus naturam & veritatem pro dignitate in loco convenienti pertractabit*. Ejuſd. præf. pag. ult. *contrarietas, quæ apud Philoſophos veros reperitur, eſt ſecundùm cauſam quintam.* Qui hunc philoſophandi ordinem intellexerit, non mirabitur etiam, quando Carteſium Med. ſecunda p. 11. ſcribentem legit, *neſcio* &c. de re quam ſine omni

du-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

dubio optimè ſciebat; item quando Med. tertia p. 16. legit, *nec quidem adhuc ſatis ſciam utrum ſit aliquis Deus* &c. & in fine Med. quintæ: *priuſquam illum* (Deum) *nôſſem* &c. Satis enim illi manifeſtum erit, hæc, & quæ ſunt hujuſmodi, intelligenda eſſe reſpectu hujus in philoſophando ordinis.

10. Nunc quaſi per ſaturam recenſeamus modos aliquot, quibus Carteſiani & veri ordinis regula à plurimis violari conſuevit, addendo, ſicubi exempla nobis occurrant è ſcriptis Philoſophi, quomodo ipſe talibus obviam eundo ordinis ſtudioſis exemplo præiverit.

11. Primò peccat in ordinis regulam, qui in veritate quærenda *cogitationibus indulget vagis & fortuitis*. Ita fecêre multi Veterum, unde magna ex parte factum, ut rationes eorum inter ſe non cohærerent. Vide P.IV. 202. in fine. Similis illorum ratio eſt, qui ſub initia ſtudiorum ſuorum in legendis bonis authoribus leviſſimo ſaltu ab uno ad alium tranſvolant, nulli inſiſtunt.

12. Secundò, *qui ſponte occurrentia negligentes recondita tantùm rimantur*. Sunt enim qui ſolas raritates quærunt, quæ ante pedes ſunt negligendo, quibus longè rectiùs objici poſſet, quàm Thaleti, Thracenſis ancillæ dicterium, *quòd quæ in cœlo ſunt pervidere contendentes, quæ proxima & ad*

 pedes,

*pedes, non videant.* Neque enim fieri poteſt quin in foveas errorum ſubinde cadant, dum omiſſis iis quæ menti propinquiora ſunt, remotiora ſolùm ac difficilia venantur. Majemonid. Mor. Nev. p. 1. cap. 33. *ſcire te velim, in docendo vel diſcendo ſtatim incipere à ſapientia divina, & ab expoſitione Parabolarum, Troporum ac Metaphorarum Propheticarum, valde eſſe periculoſum & detrimentoſum.* Et cap. ſq. *præpoſterum eſt incipere à difficilioribus & magis abſtruſis.* Bacon de Verulam. lib. 2. de augm. ſcient. cap. 2. *Quod peſſimum eſt in hoc genere, ſemper negliguntur, & rejiciuntur experimenta, in artibus ſingulis familiaria & vulgata; quæ tamen ad interpretationem naturæ, æquè aut plus faciunt, quàm minùs trita. Nam labes quædam literis adſpergi videatur, ſi fortè viri docti ſe ſubmittant inquiſitioni, aut obſervationi rerum mechanicarum; niſi fuerit earum, quæ pro arcanis artis, aut pro rebus admodum raris aut ſubtilibus reputentur.* Et paucis interjectis: *enimverò, illud pro certo aſſeri poſſit, grandia exempla haud optimam aut tutiſſimam afferre informationem. Id quod exprimitur non inſulſe in pervulgata illa fabula de Philoſopho; qui cùm ſtellas ſublatis oculis intueretur, incidit in aquam. Nam ſi oculos demiſiſſet, ſtellas illico in aqua videre potuiſ-*

*ſet;*

*ſet; verùm ſuſpiciens in cœlum, aquam in ſtellis videre non potuit. Eodem modo ſæpe accidit, ut res minutæ & humiles plus conferant ad notitiam grandium, quàm grandes ad notitiam minutarum.* Quæ apprimè congruunt iis quæ §. 4. ex Platone & Carteſio attulimus.

13. Tertiò ordinem infringunt qui in veritatis inveſtigatione *non omnium primò incipiunt à particularibus*, quo nomine Gaſſendum arguit Carteſius in Epiſt. ad Inſtant. p. 143. fine. *præcipuus iſtius Auctoris in hac materia error hic eſt, quod enunciationum particularium cognitionem ſemper ex univerſalibus, ſecundùm ſyllogiſmorum Dialectices ordinem, deducendam eſſe ſupponat. Qua in re ſe quomodo veritas indaganda ſit ignorare prodit. Conſtat enim inter omnes Philoſophos, ad eam inveniendam initium ſemper à notionibus particularibus fieri debere, ut poſtea ad univerſale accedatur; quamvis etiam reciprocè, Vniverſalibus inventis alia particulares inde deduci queant. Ita ſi puer in Geometriæ elementis inſtituendus ſit, hoc principium generale,* Si ab æqualibus æqualia demas quæ remanent erunt æqualia, *aut,* Totum ſingulis ſuis partibus majus eſt, *non capiet, niſi particularibus exemplis illuſtretur. Ad quod cùm non attenderet iſte*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*Auctor, in tot paralogiſmos incidit, quibus libri ſui molem auxit. Paſſim enim falſas majores finxit, eaſque mihi tribuit, quaſi Veritates quas explicui inde deduxiſſem.* Confer. P. I. 59.

14. Quartò, ordinem violat, *qui rem priùs nominat quàm cognoverit*, ut populus fecit dicendi magiſter, unde vocabula plerumque non reſpondent rebus. Contrà Philoſophus hunc ordinem tenet, ut res priùs exploret, deinde nominet. Exemplum de Mente habes Med. ſecunda p. 11. De Corpore in genere P. II. 1. De Corpore humano P. II. 2. De montibus, campis, maribus &c. P. IV. 44.

15. Quintò, *qui formam priùs conſiderat quàm materiam cui illa ineſt*, contrà quàm fecit Author parte ſecundâ Princ ipp. ut ſuprà §. 6. dictum fuit; & Med. tertia. p. 16. *ordo videtur exigere, ut priùs omnes meas cogitationes in certa genera diſtribuam* (quod pertinet ad materiam) *& in quibuſnam ex illis veritas aut falſitas propriè conſiſtat inquiram* (quod pertinet ad formam.) Hinc Comenius Meth. Noviſſ. cap. 7. §. 11. vulgatæ Linguarum Methodi ſecundum peccatum aſſerit, quod incipiat à formali, id eſt, Grammatica. Verba ejus ſunt: *ſecundum peccatum eſt, quòd tirones à principio ſtatim in multiplices impelluntur ſalebras;*

*Gram-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*Grammaticales intelligo tricas. A formali enim potius quàm à materiali, Latinitatis ſtructuram auſpicari (h. e. à Grammatica potiùs, quàm à Lexicis vel Authoribus) ſolenni Scholarum more receptum eſt. At quid hoc obſecro eſt? niſi formam introducere velle in non materiam: numerare velle in marſupio non pecuniam; dividere velle non numeros; h. e. agere nugas.*

16. Sextò, *qui non inquirit pauca ante multa, brevia ante prolixa, partes ante totum.* Adſcribo verba Theophili I C. ex Inſtit. lib. 1. tit. 1. *maximè videntur ea* (jura populi Rom.) *commodè tradi poſſe: ſi primò facili ac ſimplici via, pòſt deinde exactiſſima diligentiſſimaque interpretatione exſequamur. Alioqui ſi ſtatim in ipſis initiis procœmiiſque rudes etiamnum & infirmas adoleſcentum aures multitudine ac varietate rerum oneraverimus: duorum alterum, aut deſertores hujus ſtudii efficiemus, aut cum magno labore, ſæpe etiam cum diffidentia, quæ plerumque juvenes avertit, ſeriùs ad ea perducemus, ad quæ leviori via deducti, ſine labore, & bona cum ſpe maturius perduci poſſent.* Sicut autem Iuris ſtudioſi ab Inſtitutionibus: ita Theologiæ ferè à Catecheſi (propter ordinis legem) incipiunt. Eadem ratio movit Carteſium, ut ſynopſin Meditationibus præmit-

teret, imò jam antè eas in Diſſert. de Meth. breviter adumbraret.

17. Septimò, *qui circa irregularia & anomala verſatur antequam cognoverit regularia & analoga*, v. g. in Grammaticis vocum declinationibus & conjugationibus.

18. Octavò, *qui ſaltum facit in dividendo* h. e. qui non gradatim dividit in partes & ſpecies primò proximas, deinde remotiores, donec tandem veniatur ad ultimas.

19. Nonò, ordinis ignarus eſt, *qui ubi de re agitur, omnia ſtatim quærit uno loco, neque ad ſuas ſedes refert ſingula.* Contra tales (ſunt autem plurimi) conſule Philoſophum in ſynopſi ſecundæ Med. *quia fortè nonnulli rationes de animæ immortalitate illo in loco exſpectabunt* &c. Item initio ſecund. Reſpp. *quibus expreſſè lectorem, monere volui, me nondum ibi quærere* &c. & ſeq. paginâ, ſcil. 69. *ignoſcite ſi reſpondeam nondum me locum dediſſe huic quæſtioni, cùm de ipſa primùm egerim in ſexta Med.* Moneri hîc poteſt lector (quod ad hanc meam tractationem attinet) ut ſi reſponſum adverſariis debitum non inveniatur uno loco, alio id exſpectetur Convenientiori.

20. Decimò, *qui non unit & nectit inventa & cognita.* Huc applicari poteſt ſimile

mile à Dædali ſtatuis, *quæ niſi ligentur, diſcedunt atque aufugiunt, ligatæ permanent,* ut Plato ſcribit in fine Menonis, ubi addit: *Veræ opiniones diu conſiſtere nolunt, ſed ex hominis animo confeſtim aufugiunt, quapropter non multi pretii ſunt donec quis illas ratiocinatione à cauſis ducta liget. Poſtquam verò ligatæ ſunt, primò quidem ſcientiæ fiunt, deinde perſeverantes, proptereaque ſcientia recta opinione præſtantior eſt ab eaque vinculo quodam diſcrepat.*

21. Supereſt ut Revii & Lentuli de tertio Methodi præcepto cenſuras examinemus. Ille quidem p. 30. Conſid. ita cenſet: *Tertium ſupponit, ſimpliciſſima quæque eſſe cognitu facillima, quod non facilè concedent philoſophorum filii. Neque quicquam facit iſte canon ad auctoris ſcopum, cùm artes omnes etiam falſiſſimæ hoc ut & quovis alio ordine deſcribi ac addiſci poſſint, nam & falſa compoſita poſſunt in ſeriem aliquam redigi, & ordo quidam fingi inter illa è quibus ille revera non eſt, fatente ipſo Methodeuta. quomodo ergo hoc ſufficit ei qui quærit veritatem?* ℟. 1. Non ſupponit ſimpliciſſima quæque eſſe cognitu facillima, maximè enim abſtracta minùs diſtinctè cognoſcuntur (Vide ſupra cap. 14. §. 16. fine) ſed hæc duo conjungit, ſimpliciſſima & facillima



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

(vid. ſupr. §. 3.) quoniam ut plurimum coïncidunt. 2. Solus quidem hic canon non ſufficit ei qui quærit veritatem, plura enim ſunt Methodi præcepta; ſed quantum tamen ad ſcopum Authoris faciat ex meæ diductione claret. Veritas theſaurus quidam eſt in edito loco collocatus: ordo gradus porrigit quibus paulatim eò adſcendatur. 3. Ridicula Cenſoris ratio: ordo poteſt etiam eſſe in falſiſſimis. E. non prodeſt ad vera cognoſcenda. An ignorat etiam Syllogiſmos primæ, ſecundæ, tertiæ figuræ in forma optimos ad res falſas, imò falſiſſimas, imò ad fallendum adhiberi? Vel an ideo judicat nullum eſſe ſyllogiſmorum uſum in veritate tradenda? Logica non eſt prudentia, ſed ars, qua abuti poſſumus. 4. dum Carteſius loquitur de iis quoque in aliquem ordinem mente diſponendis, quæ ſe mutuò ex natura ſua non præcedunt, intelligit ordinem *arbitrarium*, qui ut *naturalem* non tollit, ita à nemine reprehendi poteſt ſuo loco adhibitus.

22. Lentulus ut oſtendat ab Ariſtotele eandem ordinis regulam, quam hîc profitetur Carteſius, eſſe traditam, ex 1. Phyſ. loca aliqua producit, quæ latinè efferam, volo enim intelligi ab omnibus: cap. 1. *inſita natura nobis eſt via, ut à notioribus nobis magiſque manifeſtis ad notiora naturæ magiſque*

*giſque manifeſta proficiſcamur. Non enim ſunt eadem, nobis atque ſimpliciter nota &c. idcirco ex univerſalibus ad ſingularia proficiſcamur oportet : ipſum namque totum ſenſu notius eſt. Vniverſale verò totum eſt quoddam.* cap.7. *eſt enim naturæ accommodatum, primùm communia dicere, deinde ea, quæ circa unumquodque ſunt propria contemplari.*

23. ℟. Multiplex hîc Lentuli hallucinatio detegitur. Nam 1. Ariſtoteles in illis locis vult ut incipiatur ab iis quæ nobis ſive *ſenſibus ſunt notiora* : è contrario Carteſius incipit ab iis quæ intellectui à ſenſuum conſortio ſe disjungente notiora ſunt, ideo quippe à ſua mente & Deo Philoſophiam inchoat, ſuprà §.6. 2. Ariſtoteles vult ut à toto ordiamur, verbis : *namque totum ſenſu notius eſt.* At Carteſius à ſimplicibus, id eſt partibus, ad compoſita, id eſt tota amat progredi. Et ſicubi univerſalia præmittit particularibus, tum illa conſiderat non ut tota, ſed ut partes & ſimplicia. 3. Ariſtoteles *ab univerſali,* Carteſius contrà à particulari (ſuprà §.13.) primum cognitionis initium faciendum eſſe contendit.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

## CAP. XVI.

## De Methodi Carteſianæ præcepto quarto : *ut tum in quærendis mediis, tum in difficultatum partibus percurrendis, tam perfectè ſingula enumerentur & ad omnia circumſpiciatur, ut nihil omitti ſimus certi.*

1. DE rebus non eſſe judicium ferendum niſi perceptæ priùs fuerint præceptum Methodi primum voluit; quoniam verò in rebus percipiendis difficultates intellectui objiciuntur, eas facilioris reſolutionis ergo plures in partes dividere docuit ſecundum; & quia in multitudine rerum diviſarum pronus eſt ad confuſionem lapſus, ordinem monſtravit præceptum tertium. Sed quia non ſufficit diviſas partes rectè ordinare, niſi inſuper earum numerum adæquare, ac ne ulla ex iis omittatur cavere ſtudeamus, ea propter Author præceptum quartum de *perfecta omnium & ſingulorum enumeratione* præcedentibus annectit.

2. Hoc Lentulus confirmat ex lib. 1. off. Cic. *cùm præterire aliquid maximum vitium in dividendo ſit*. Potuiſſet inſuper, ſi Comenium citare noluiſſet (qui *plenitudinem* primum Panſophiæ cardinem facit, in hujus

hujus delineatione Ortographica §. 7. ſqq.) omnium aliorum Logicorum conſenſum adferre, qui conſtanter hanc diviſionis regulam inculcant: *diviſio ſit adæquata diviſo.*

3. Unde manifeſtum eſt, ſolo contradicendi ſtudio impelli Revium, quando Conſid. p. 30. ita ſcribit: *Quartum rem non dico difficilem, ſed penitus impoſſibilem præcipit, ut videlicet (nam ita hunc canonem explicat Latinus)* tum in quærendis mediis, tum in difficultatum partibus percurrendis, tam perfectè ſingula enumerentur & ad omnia circumſpiciatur, ut nihil à ſe omitti ſit certus. *qui enim hoc facturus eſt eum omniſcium eſſe oportet, quod ſolius Dei eſt.*

4. ℞. Obſervet Lector Revium, qui ſæpè aliàs ab Interprete latino recedens ad Gallicam editionem provocat, hîc præter morem latinæ inhærere, quòd majorem in ea cavillandi occaſionem nanciſci ſibi videretur. 2. Omniſcium illum eſſe oportere, qui in diviſione nihil à ſe omitti certus ſit, non facilè, ut cum Revio loquar, concedent Philoſophorum filii. Aliud enim eſt abſolute omniſcium eſſe ita nempe ut nil quicquam eorum quæ ſciri poſſunt, ignoretur, quod eſt ſolius Dei; & aliud in particulari aliqua materia ita ad omnia circumſpicere,

ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ut nihil à te omitti ſis certus, quod facile cadere in hominem quis non videt? ſed tam imperite cavillari hic debebat Revius, quia cap. 1. Conſid. finxerat Carteſium profitendo & excolendo Methodum ad quaſlibet difficultates in ſcientiis reſolvendas, Deo ſe ſimilem feciſſe, & involaſſe in uſurpationes Papæ, arrogando ſibi infallibilitatem, omniſcientiam &c. Quaſi verò Deus reſolvat difficultates in ſcientiis, & non infinita alia, abſque ope ullius Methodi ſeu regulæ, intelligat, quæ humanæ Methodi regulis inveſtigari nullo modo poſſunt: ita ut, ſi quis lege talionis uti hoc loco vellet adverſus Revium, dici poſſet, ipſum omniſcientiam Deo indignam effingere, cum eam qua ope methodi quælibet reſolvantur difficultates in humanis ſcientiis divinæ ſimilem imo Dei propriam eſſe pronunciet.

5. Quàm diligenter autem præceptum hoc quartum in Philoſophia obſervârit Carteſius, cùm ex aliis quàm plurimis, tum è ſubjectis locis patet: Dioptr. VII. 1. *exactè per enumerationem diſcamus.* ibid. 23. *poſtremò ne quidquam hîc omittamus.* P. III. 86. *denique non eſt omittendum.* 138. *nec puto quicquam hactenus circa Comœtas fuiſſe obſervatum, ſaltem quod nec pro fabula, nec pro miraculo ſit habendum, cujus cauſæ hîc*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*hîc non habeatur* 157. *nec ullum planè phœnomenum in cœlis eminus conſpectis obſervatur, quod non putem hîc ſatis fuiſſe explicatum.* IV. 25. *utque nihil omittatur.* 56. *nihil enim puto ullibi obſervari circa fluxum & refluxum maris* &c. 183. *nihilque puto hactenus circa magnetem* &c. 199. *atque ita facili enumeratione colligitur* &c. Conſidera quomodo Med. tertia tam accuratè omnes ideas, & in libello de Paſſionibus omnes affectus adeo plenè pertractet.

6. Peccatur in hoc præceptum primò, *ſi pars aliqua in diviſione omittatur*, quonomine Carteſius in Not. ad Progr. p. 188. Regium carpit his verbis: *poſtea inter ſpecies perceptionis non enumerat niſi ſenſum, reminiſcentiam & imaginationem: unde colligi poteſt, eum nullam intellectionem puram, hoc eſt intellectionem, quæ circa nullas imagines corporeas verſetur, admittere; ac proinde ipſum ſentire; nullam de Deo, nec de mente humana, vel aliis incorporeis rebus cognitionem haberi.*

7. Secundò, *quando in definitione pars explicans omittitur.* Nam qui vel genus, vel differentiam vel aliquid ad alterutrum pertinens prætermittit, non enumerat partes omnes ad definitum explicandum neceſſarias. Quo nomine iterum notatur Re-

gius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

gius initio Notar.p.178.*Videtur velle iſtam animam rationalem definire, ſed imperfectè, genus enim omittit, quod nempe ſit ſubſtantia vel modus vel quid aliud, ſolamque exponit differentiam* &c.

8. Tertiò, *quando inductio non omnia particularia enumerat*, ſed inſtantiæ & exceptioni obnoxia eſt: e.g. ſexti Opponentes dicebant, *neminem adhuc Carteſianam demonſtrationem animo complecti potuiſſe.* Reſpondet Carteſius Reſpp.ſext.156.*quamvis nondum à multis fuerit examinata, nonnullos tamen eſſe, qui ſe illam intelligere affirment* &c. nempe opponentes illi ſe tantùm & paucos ſibi cognitos enumerabant, alios prætereundo, unde concluſionem univerſalem perperam inferebant.

9. Quartò, *quando fallacia diviſionis committitur* citatione dicti alicujus mutilata, qua nihil magis familiare eſt adverſariis in verbis Carteſii citandis.

10. Quintò, *non omnia circumſpicit, qui aliquem duntaxat authoris locum refert quaſi omnia continentem omiſſis reliquis eodem pertinentibus.* Hac de cauſa Gaſſendum accuſat Carteſius Reſpp. quint. ad quint. Med. initio: *Quia hic relatis pauculis meis verbis addis me tantum habere de quæſtione propoſita, cogor monere te non ſatis ad cohærentiam eorum quæ ſcripſi attendiſſe; talem enim*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*enim illam puto, ut ad cujuſque rei probationem conferant omnia quæ ipſam præcedunt, & maxima pars eorum quæ ſequuntur: adeo ut bonâ fide non poſſis referre quantum de aliqua quæſtione habeam, niſi etiam totum id quod de reliquis ſcripſi recenſeas.*

11. Sextò violatur quartum Methodi præceptum, *ſi quid neceſſarium doctrinæ deeſt*, quem defectum vitavit Carteſius, ut patet ex locis §. 5. citatis. Alii omittunt ſæpe neceſſaria vel feſtinatione, vel ignoratione, vel dichotomiæ, trichotomiæ aut harmoniæ cujuſcunque ſtudio.

12. Septimò peccant in hoc præceptum, *qui brevibus & disjunctis ſyllogiſmis omnia probare & expedire conantur*, qua de re eximius locus exſtat Epiſt. ad Voet. parte quarta p. 22. *neque enim, ut ſcias, verus ille uſus rationis, in quo omnis eruditio, omnis bona mens, omnis humana ſapientia continetur, in disjunctis ſyllogiſmis conſiſtit, ſed tantùm in circumſpecta & accurata complexione eorum omnium, quæ ad quæſitarum veritatum cognitionem requiruntur. Et cùm hæc vix unquam poſſint exprimi ſyllogiſmis, niſi multi ſimul nectantur, certum eſt eos, qui tantùm disjunctis utuntur, ferè ſemper aliquam partem eorum, quæ ſimul ſpectanda ſunt, omittere, ſicque aſſueſcere inconſiderantiæ ac dediſcere bonam mentem.* Cernis omnino reſpici hîc 4. Methodi præceptum.

13. O-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

13. Octavò, *qui aliquid non attendunt quod imprimis fuerat attendendum*, ut Reſp. prim. p. 55. *ſed aliud quid omittimus quod præcipuè eſt conſiderandum, & à quo tota vis & lux hujus argumenti dependet* &c.

14. Nonò, *ex præcepto vitandæ omiſſionis colligendum quoque eſt præceptum fugiendæ redundantiæ.* Nam qui perfectè ſingula enumerat, is non modò nihil omittit, verùm etiam nihil ponit ſuperflui. Perfectum quippe definitur, cui nihil deeſt, nihil ſupereſt adeoque nihil addi, nihil demi poteſt. Et, ſi ad omnia circumſpicere oportet, ut vult præceptum, removenda ſunt illa quæ noſtras cogitationes ad alia avocant. Vide exemplum & ſimilia Diopt. III. fine. VII. 19. 21. fine. Itaque peccatur 1. quando heterogenea & aliena ſcientiis immiſcentur, unde *lex homogeniæ* in Logicis decantata. 2. quando quovis modo ſuperflua & non neceſſaria traduntur, unde *lex brevitatis*. 3. quando in diviſione ponuntur partes quæ toti non inſunt neque cum eo conſentiunt, vel quando partes totum excedunt, unde diverſi *canones diviſionis*.

15. Homogeniæ legem obſervat Author, quando v. g. ad alias diſciplinas refert quæ non ſunt Philoſophica, veluti ad Medicinam Dioptr. VII. 1. 24. ad doctri-

doctrinam de Homine, quæ vim mentis attinent P. II. 40.

16. Brevitatis eſt ubique ſtudioſiſſimus, nunquam plura explicans aut reſpondens quàm eſt neceſſe, rejiciendo ea quæ loco ac tempori non conveniunt, verborum contractioni operam dando, controverſias quoad fieri poteſt fugiendo. Conſule ex plurimis loca ſubjecta: circa finem diſſ. de Meth. p. 67. *non enim prolixa illis opponere reſponſa polliceor &c.* Med ſecunda: *dicamne animal rationale? non, quia poſtea quærendum foret &c.* item: *neſcio, de hac re jam non diſputo.* Reſpp. tert. circa fin *ad meam conclusionem non requiritur, ut nullo caſu poſſimus falli &c.* ibid. ad Object. 12. *neque hic eſt locus examinandi quænam ſit ea de re opinio aliorum.* Reſpp. quint. ad Med. ſecund. §. 3. *quantum ad illos qui non tam ad vim rationum, quàm ad verborum multitudinem attendunt, eorum approbationem tanti non facio, ut ejus promerendæ gratiâ verboſior fieri velim.* Reſpp. ſecund. p. 82. *etſi nulla videam ex iis quæ propoſuiſtis, quæ non jam antè in Meditationibus vel ſolviſſem vel excluſiſſem &c.* P. I. 62. *ſed ibi non erat occaſio &c.* Dioptr. I. 9. *equidem ego me poſſe. &c.* II. 1. *ne autem novis &c.* III. *fine: jam dicta ſufficere arbitror &c.* IV. 6. *ut quantum fieri poteſt* re-

*receptam opinionem ſequamur.* Vide & Meteor. 1. art. ult.

17. Notandum adhuc eſt ad præceptum Methodi quartum, plena enumeratione exacta, ne multitudine confundamur, *ad præcipua quædam capita ſæpe revocari omnia.* Ita Philoſophus lib. de Paſſ. An. poſtquam prolixè recenſuiſſet affectus omnes, ad ſex primitivos eos revocat art. 69. *Verùm numerus ſimplicium & primitivarum* (paſſionum) *non eſt adeo magnus, ſi enim percurramus eas omnes quas enumeravi, facilè poterit obſervari ſex tantùm tales eſſe, nimirum Admirationem, Amorem, Odium, Cupiditatem, Lætitiam, Mærorem; & cæteras omnes componi ex quibuſdam harum ſex aut earum eſſe ſpecies. Idcirco ne earum multitudo intricet Lectores, tractabo hîc ſeparatim de his ſex primitivis, & poſtea oſtendam quomodo cæteræ omnes ab illis originem trahant.*

18. Notandum quoque eſt, *aliquando ſatis eſſe ut ſola præcipua enumerentur*, neque imperfectam ideo tractationem cenſeri, quòd aliqua minoris momenti & quæ ex traditis facilè intelligantur, omiſſa fuerint. Hinc Cicero 2. de Orator. *cùm tradita ſunt cujuſvis artis difficillima, reliqua quia aut faciliora aut ſimilia ſunt, tradi non eſt neceſſe.* Et Chriſtoph. Scheiblerus

rus Metaph. lib. 1. cap. 3. num. 6. *Neque fortaſſe definitus eorum* (tranſcendentium) *numerus aſſignari poteſt. Vbi interim ſatis eſt, ſi Metaphyſicus perſequatur ea, quæ alicujus momenti ſunt.* Simili ratione Carteſius P. I. 47. *ſummatim hîc enumerabo ſimplices omnes notiones.* 48. *maximè generalia ſunt ſubſtantia, duratio, ordo, numerus & ſi quæ alia ſunt ejuſmodi quæ ad omnia genera rerum ſe extendunt.* 75. *atque in his paucis præcipua cognitionis humanæ principia contineri mihi videntur.* P. I I. art. ult. *nihil hîc addam de figuris* &c. *quia ſatis iſta per ſe patebunt* &c. Reſpp. quint. ad tert. Med. §. 1. *enumeravi omnes præcipuas ideas.* Dioptr. VIII. 14. *exponendo præcipuas omnes differentias.* Meteor. IX. 3. fine: *non hîc diutiùs ſpeciali explicationi aliorum colorum, qui in nubibus videntur, immoror; eorum enim cauſas omnes in iis quæ jam dicta ſunt, ſatis manifeſtè contineri exiſtimo.* Et in fine Geometr. *j'eſpere que nos neveux me ſçauront gré, non ſeulement des choſes que j'ay icy expliquées; mais auſſi de celles que j'ay omiſes volontairement, affin de leur laiſſer le plaiſir de les inventer.* Nempe qui ex ampla ſegete ad ſpicilegium relinquit ſtipulam neque ſolet nec debet reprehenſionem cujuſquam incurrere.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

19. Notandum denique, cùm Carteſius initio quart. Reſpp. & alibi doceat, neminem hominum habere adæquatam alicujus rei cognitionem, aut certè ſi habeat, id ſciri ab ipſo non poſſe; nihil aliud mandari quarto Methodi præcepto, quàm ut ea, quæ examinanda & judicanda ſumimus, univerſa enumeremus, non autem, ut nihil ſit in rebus ipſis (de quibus id ſolùm quod percipimus judicamus) quod intellectu non penetremus. Hoc eſt quod dico: plena enumeratio requiritur in ordine ad judicium & capacitatem mentis noſtræ (ut vel ſola connexio quarti & primi præcepti, initio hujus capitis indicata, docet) non autem in ordine ad abſolutam rei naturam & omnia ejus attributa, quæ Deus per omnipotentiam ſuam in ea quaſi locare potuit.

## CAP. XVII.

*Generalia quædam ſuperiorum Conſectaria 1. de Methodi Carteſianæ gradibus & partibus. 2. de præceptorum ejus novitate. 3. generalitate. 4. paucitate. 5. ſufficientia.*

1. PRæceptis Methodi ſingulis hunc in modum pertractatis generalia quædam conſectaria colligemus, tam ad Philo-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ſophum noſtrum interpretandum, quàm ad adverſarios redarguendos facientia.

2. Primum eſt de *Methodi Carteſianæ gradibus & partibus:* Nimirum quatuor præcepta vidimus, quorum unum ex altero, poſterius è priori, gradatim deductum fuit & concluſum. Et hæc ſola Methodum ejus conſtituunt. Prob. 1. ex p. 15. *ſatis multum temporis impendi in quærenda vera Methodo* &c. *Studueram* &c. quærebat adhuc methodum, non habebat. 2. p. 16. *exiſtimavi quærendam mihi eſſe quandam aliam methodum:* adhuc igitur quærit. 3. ex p. 18. ubi methodum ſuam vocat *pauca illa præcepta quæ ſelegerat*, nam de illis dicit p. 19. *atque hæc mihi methodus in eo præcipuè placebat* &c.

3. Ut multis omnino modis deliret Revius. Nam 1. octo ponit Methodi gradus contra diviſionis regulas ſuprà laudatas, ſcil. ut diviſio fiat in partes quæ toti inſunt, neque excedat diviſum. 2. quatuor Methodi præcepta, quæ nihil aliud ſunt quàm omnes illius gradus aut partes, ficticio ſuo ſecundo gradui innectit: ita totum, quod dividendum erat, ne quidem pro una parte integra numerat. 3. Confundit Methodum veritatis inquirendæ atque inveniendæ cum ipſa veritatis inquiſitione & inventione, dum v. g. ſeptimum gradum ponit: *Carteſius*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*aliquid certi quærit* &c. *invenit exiſtentiam ſuam* &c. *ex ea colligit exiſtentiam Dei.* 4. quæ Methodi inventionem longo tempore anteceſſere ponit pro Methodi partibus, v. g. *quòd Carteſius quæ in Scholis docentur omnia didicerit.* Quod partem & gradum Methodi promiſcuè uſurpem, cum ipſo facio Conſid. p. 13. in fine. 5. Carteſii peregrinationem, in qua invenit Methodum, gradum Methodi facit (tertium) æquè appoſitè, ac ſi quis peripateticus in auditorio ambulans diſputet, tu partem vel gradum diſputationis faceres ambulandi actionem. 6. quando Carteſius regulas quaſdam morales ex ſua Methodo depromptas exponit (vide titulum ſect. tertiæ) Revius ait hunc eſſe quintum gradum Methodi. Simili ratione potuiſſet ſcientias Mathematicas, in quibus innumeris modis ampliùs profecerat Carteſius quàm in Moralibus, ut patet ex ſect. ſecunda, pro gradu Methodi numerare. 7. Carteſiii Meditationes Metaphyſicas, quas novem annis poſt inventam Methodum aggreſſus fuit, & quarum ſumma exhibetur quarta ſect. diſpeſcit in ſextum, ſeptimum & octavum Methodi gradum. 8. Non ſibi conſtat Revius & diviſionem quam orſus fuerat imperfectam relinquit. Quo enim jure præcedentes Methodi gradus excogitaverat, debebat porrò Methodi gradibus accenſere

quæ-

quæſtiones Phyſicas, quarum inveſtigatarum ordo quinta ſect. adumbratur. Habet ſcilicet, ô Revi, diviſio tua ἄπταιςον ὀκτώ.

4. Quid autem, ô Diviſor Maxime, tam bellè te numerare ac diſtinguere docuit? An quod Diſſertationem à *Methodo* nomen adeptam videres? Atqui, ô bone, 1. à potiori facta eſt denominatio. 2. Diſſertatio non continet ſolùm Methodi regulas, gradus, partes; ſed etiam ejuſdem inventionem, ac poſtea uſum & applicationem in Matheſi, Metaphyſica, Phyſica oſtendit, recteq; proinde à Methodo appellationem accepit. 3. Tu Methodi Conſiderationem *Theologicam* vocâſti: atquàm multa in ea non Theologica, verùm, vel teipſo judice, Philoſophica, Logica!

5. Secundum conſectarium eſt de *præceptorum illorum novitate*. *Muſtea* namq; vocat Revius Conſid. p. 29. E contrario Lentulus p. 54. ait: *hæc eſſe ex eorum numero, quæ aſpernanda quidem non ſunt, Carteſium tamen non habent authorem, oſtendendũ eſt: ut vana ejus cadat gloriatio.* ℞. 1. Carteſium non gloriari ſe horum eſſe authorem. 2. imò, quod contrarium eſt, ait ſe quæſiviſſe *Methodum, in qua quicquid boni eſt in vulgari Logica, Analyſi, Algebra, ita reperiretur, ut omnibus interim earum incommodis careret.* 3. ſelectio tamen horum præceptorum & prudens à reliquis ſeparatio Carteſio tanquã authori adſcribi debet.

 6. Ter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

6. Tertium eſt de *horum præceptorum generalitate*: Nimis laxa & generalia nonnullis putantur. Rideretur, inquiunt, qui in Iurisprudentia ſe diceret hæc tria præcepta eligere: honeſtè vivendum, alterum non lædendum, ſuum cuique tribuendum, reliquâ Legum copiâ rejectâ, ſine quibus tamen illa generalia in actum deduci non poſſunt: Ita meritò Carteſius ineptus conſimili de cauſa videtur. ℞. Specialior regularum illarum applicatio abundè eſt ex ipſo Carteſio demonſtrata. Nec eſt cur quis pertendat, nobis nimiam in iis particulatim diducendis poſitam fuiſſe curam: pari quippe ratione Theologos culpaverit, qui in ſingulis Decalogi præceptis explicandis & applicandis eundem in modum verſantur, nec quiſquam eos propterea nimiæ diligentiæ, ut nec divina præcepta nimiæ generalitatis aut paucitatis accuſat. (Moneo interim, ne cavillationi dem locum, me cum Theologis aſſeverare, ſummam divinarum Legum Decalogo perfectè contineri; ſummam verò legum Logicarum quatuor Methodi præceptis eodem modo comprehendi, haud quaquam ſtatuere.)

7. Quartum conſectarium eſt, de *Methodi præceptorum paucitate*. Multitudinem præceptorum Scholaſticæ Logicæ nimiam Carteſius taxat, & ex Legum in Rep. con-

ſtanter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ſtanter obſervatarum utili paucitate ſuarum Legum Logicarum paucitatem commendat. De Legum civilium paucitate inter alios agit Lipſius Monit.pol.lib.2.c.10. quod ita inchoat: *Leges in rep. ut medicamenta eſſe debent: atqui nec hæc multa aut varia probentur: non item illæ. Plato veriſſimè*, quòd ubi plurimæ leges, ibi & LITES itemq; MORES improbi. *Bone Deus, quam rem tetigit! & uſus ubiq; gentium aut temporum hoc affirmabit.* Lege caput totum, videbis, præter Lipſium & Platonem, veterum alios Carteſio quàm maximè conſentire.

8. Et quemadmodum Politici de Legum multitudine queruntur, ita paſſim Logici, ipſi etiam qui Peripateticorum tantùm hærent veſtigiis, de Logicorum præceptorum nimia copia. Vide ex plurimis Roderic. de Arriaga in præfat. Log. ubi de Reductione Syllog.&c. Conſule Burgerſdic. in præf. Logicæ dicentem: *libri topici ſunt quidem varia eruditione multiſq; utiliſſimis ac neceſſariis præceptionibus referti: ſed habent tamen plurima ſuperflua.* Dannhaw. Idea boni Diſp. cap. 2. art. 2. §. 23. *Scholaſtici nimium tudiculam expoliendo ſibimet ultrò labores inutiles fecerunt.* Vide ibid. citatos Horneium, Fonſecam, Mendozam. Ioh. Willius Log. Peripat. ca.10.§.9. item Gaſſendus Exercit. Paradox. adverſus Ariſtoteleos Exercit. 6. adeatur.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

9. Quintum eſt *de horum præceptorum ſufficientia*, de qua Revius loco citato: *quæ* (præcepta) *ſola ad verum inveniendum ſufficere arbitratur* (Carteſius) Lentulus: *tibi quatuor iſta, ex arboreto noſtro ad confuſionem tuam decorandam ſufficiant: nobis pleniorem diſſerendi ac diſcendi viam circumſpicientibus honeſtam progrediendi aviditatem non expletura.* Reſponſum quidem eſt in ſuperioribus, ſed pleniùs nunc ex Logicæ partitione ob oculos poſita ſcopum Authoris declarabo.

10. Logica eſt vel *Genetica*, quæ intellectum dirigit ad rectam formationem ſeu γένεσιν ſuarum cogitationum; vel *Analytica*, quæ intellectum dirigit ad convenientem reſolutionem ſeu ἀνάλυσιν alienarum cogitationum. Genetica Logica iterum duas habet partes: prior dirigit intellectum in ordine ad ſeipſum ſeu ut ipſe quidvis ritè cognoſcat; *poſterior* dirigit intellectum in ordine ad alium, ſive, ut cognitum aptè aliis communicet. Logica Analytica in duas quoq; partes diſpeſcitur: *prior* facit ut intelligamus quæ & quales ſint alienæ cogitationes viva voce aut ſcripto prolatæ h. e. ut verum ſenſum cognoſcamus externi ſermonis; poſterior efficit, ut agnoſcamus an tales illæ cogitationes ſint quales eſſe debent h. e. ut veritatem & falſitatem, conſequentiam & inconſequen-

tiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

tiam ſermonis interni dijudicemus. Hinc naſcitur plena Logica quadripartita, cujus varia ſunt ac diverſa, propter differentes admodum fines, præcepta ac documenta.

11. Cùm verò Carteſio Methodum inveſtiganti non eſſet propoſitum ab aliis diſcere, ideo totam Logicam quam vocavi Analyticam tanquam à ſuo inſtituto alienam aliis reliquit. Cùm etiam docere alios eo tempore non inſtitueret, ſed tantùm mentem propriam vellet cognitione informare & ſtudio diſcendi ex ſemetipſo incumbere, manifeſtum eſt quod omiſſis poſterioris Geneticæ Logicæ præceptis ſola debuerit eligere, quæ ad priorem pertinent, ut de his ſolis intelligendus ſit in præfatione Principiorum Gallica, quando ait ſe in Diſſertatione de Methodo *Logicæ præcipuas regulas breviter tradidiſſe*. Et hæc præcepta *ſibi ſuffectura* dicit in parag. præceptum primum proximè antecedente, nempe *ad ſuum inſtitutum*, ut habet initio ejuſdem Paragraphi.

12. Ex quibus mero meridie clarius eſt, Carteſium non velle quatuor illa præcepta toti reip. literariæ ad quoſcunque Logicæ univerſæ fines aſſequendos ſufficere, ſed ſibi duntaxat ad ſcopum quem animo deſtinaverat. Obſervandum tamen eſt me in explanatione iſtorum præceptorum (ad priorem Logicæ Geneticæ partem, à me



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

paulò antè definitam, propriè ſpectantium) ut uſum eorum uberiorem patefacerem, etiam ad reliquas Logicæ partes multis in locis reſpexiſſe. Illius enim quadripartitæ prima portio ſimul eſt fundamentum ſequentium. Verùm hæc omnia tum pleniſſimè intelligentur, cùm Logicam meam quadripartitam, majore illius parte ex Carteſio deprompta, in lucem edidero.

## CAP. XVIII.

### *Applicatio Methodi in ſtudio Mathematico & Carteſianæ Mathematicorum in philoſophando imitatio.*

1. QVemadmodum leges politicæ ſine exſequutione ſunt veluti campanæ ſine piſtillo: ita præcepta Logica ſine praxi & exercitio ne caſſa quidem nuce redimenda. Etenim cujuſque inſtrumenti, adeoque & Logicæ quæ eſt ὄργανον τῆς φιλοσοφίας, eſſentia in uſu conſiſtit. Igitur Philoſophus ſimul ac rationis dirigendæ ſibi delegiſſet regulas, ad uſum & applicationem earundem tranſivit.

2. Et initio quidem ſe contulit ad Matheſin, ſicut uberius in hac ſecunda ſect. explicat & in præf. Principiorum Gallica quodammodo alii ſemetipſum erudire volenti ſuadet his verbis: *deinde Logicæ operam dare*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*dare debet &c. quæ docet rectè regere rationem ad acquirendam cognitionem veritatum quas ignoramus; quæ quia ab exercitatione maximè pendet, conſultum eſt ut ad ejus regulas in uſum referendas diu ſe in facilibus ſimplicibuſque quæſtionibus, cujuſmodi ſunt Mathematicæ, exerceat. Et poſtquam acquiſivit habitum aliquem inveniendi veritatem in his quæſtionibus, debet incipere ſeriò ſe applicare ad veram Philoſophiam.*

3. Lentulus ad locum Diſſertationis annotat: *Carteſius ſui ſimilis eſt, fluctuans & Euripi ritu æſtuans. Hoc in loco Mathematicas demonſtrationes principium omnis cognitionis ponit: alibi mentem noſtram & cogitationem. Ex eodem fundamento & Dei notitiam præcedere debere nobis largietur: niſi humanam rationem Dei naturæ ſimplicitate & origine priorem ſtatuat.* ℞. 1. Carteſius inter peregrinandum ſe priùs in Matheſi exercuit quàm in Philoſophia, nec tamen uſpiam principium omnis cognitionis demonſtrationes Mathematicas poſuit, ſed mentis ſuæ ac Dei exiſtentiam & ſimilia de quibus in Meditationibus & prima parte Princip. 2. diſtinguere oportet inter præparationem ingenii ad aliquid cognoſcendum, & inter ipſam cognitionem ad quam paratum fuit ingenium. Per Matheſin præparavit inge-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

nium Carteſius ad Philoſophiam, uti patet tum ex loco præfationis adducto, tum ex fine ſect. ſecundæ hujus Diſſert. Sed in ipſa Philoſophia incepit à ſui & Dei cognitione.

3. Author non aſſerit, uti jam in expoſitione tertii præcepti dictum fuit, abſolutè à ſimpliciſſimis eſſe inchoandum; ſed à *ſimpliciſſimis & facillimis* (quæ duo ſemper conjungit.) Cùm igitur inter res ſimplices nullam priùs aut faciliùs mens apprehendat, quàm ſemetipſam, hinc â ſe incipit, nihil obſtante natura Dei ſimpliciore.

4. Lentulus præterea hîc inſurgit in regulam aliquam Carteſii ex tertiæ Med. initio deſumtam, de qua ſuo loco abundè. Poſtea concluſionem facit p. 59. *Carteſius in omnium rerum divinarum & humanarum veritate eruenda non hallucinatur.* Sed nec præmiſſas in ſcriptis Carteſianis reperias, è quibus talis concluſio inferri valeat, neque ea quæ deſuper calumniatur Lentulus, ſacris perpetuò abutens ſcripturis, relatu digna credes. Exſcribam tantùm quæ paulò antè dixerat Carteſium compellans: *tibi intra metam veritatum Geometricarum ſubſiſtendum erat: non inde ad imperium omnium ſcientiarum, non ad naturæ divinæ circumſcriptionem evagari. Ens infinitum, omnis extenſionis, figuræ & ſuperficiei expers, mathematico vel perpendiculo vel*

cir-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*circino non menſuratur. Quanquam tu quidem ideam Dei non modò ex Geometricis regulis, verum etiam ex mentis tui cogitantis norma tibi ſubjicis.* Quæ de idea & cogitatione Dei porrò addit, omnia ubique abſque ordine promens convenienti loco reſervo & Revii verba adſcribo, ut unâ fideliâ duos, nigritiâ ſimillimos, poſſim dealbare parietes.

5. Revius igitur Conſid. p. 32. *Quàm feliciter autem Carteſio ſucceſſerit Mathematicorum in hiſce quæ tractamus imitatio, vel limis ejus philoſophiam inſpicienti apparet. multum enim abeſt, ut in Euclidis aut Archimedis demonſtrationibus circulum, ſive* διάλληλον *(vitioſiſſimum probandi genus) quis inveniat, quale in Carteſianis oſtendit doctiſſimus Gaſſendus p. 233. 234. Qui & eum, quod aliqua nova in Geometricis excogitâſſe putetur, eò adductum cenſet p. 6. ut confideret poſſe ſe circa cætera, ac Metaphyſica præſertim, paris eſſe felicitatis. Atqui tutius, (ut idem ibidem monet) de Ptolomæo exemplum ſumſiſſet, is enim Mathematicen proſecutus, dixit ſe intactam Theologiam Phyſicamque relinquere, hanc ob materiæ conditionem inſtabilem, illam ob rerum divinarum incomprehenſibilem naturam.* Similia habet ſtateræ p. 10. *neque ullo modo conſequi putandum, ut ſi quis ſubtilis*

 *ſit*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*ſit Mathematicus, ſolidè ideo de reliqua Philoſophia, ne dicam Theologia judicare poſſit.* Tùm profert Digbarum ex Rogerio Bacone dicentem: *accuratiſſimos Mathematicos, qui aſſiduè verſantur inter lineas, figuras, & differentias quantitatis reliquas, rarò fuiſſe deprehenſos eminere in Metaphyſicis aut ſpeculativa Theologia.* Addit denique teſtimonium Savilii, quod, quia prolixius, omitto.

6. Quoniam verò authoritate hîc præcipuè certatur, principio validiora, de uſu Mathematum in humano ingenio poliendo & acuendo ad alia ſtudia, authorum teſtimonia adducam. Neminem fugere poteſt, quò tendat illud veſtibulo Academiæ inſcriptum: οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω. Verùm audiamus Platonem in 7. de Rep. *Homines naturâ Arithmetici ad omnes doctrinas, ut ita dixerim, acuti videntur. Quin etiam ſi qui ingenio tardiores huic ſe ſtudio dederint, ſi nullam utilitatem aliam ſuſceperint, tamen hoc aſſequuntur, ut acutiores quàm antea ſint.* De Geometria paucis interjectis: *Geometria ejus quod eſt ſemper cognitio eſt. Attollet igitur ô generoſe vir ad veritatem animum, atque ita ad philoſophandum præparabit cogitationem* &c. *Scimus quinetiam ad diſciplinas omnes faciliùs perdiſcendas intereſſe omnino, attigeritne Geo-*

*me-*

*metriam aliquis, an non. Prorſus. Hanc ergo doctrinam ſecundo loco diſcendam juvenibus ſtatuamus. Statuamus.* Chriſt. Clavius proleg. in Euclidis Elem. *Non ſolùm utiles, verùm etiam neceſſariæ admodum cenſeri debent diſciplinæ Mathematicæ cùm ad alias artes perfectè perdiſcendas, tum ad rem etiam publicam rectè inſtituendam & adminiſtrandam. Neque enim ad Metaphyſicam, ut eleganter oſtendit Proclus, ulli patet aditus, niſi per Mathematicas diſciplinas* &c. *Quantum verò emolumenti hæ diſciplinæ ad ſacras literas rectè percipiendas interpretandaſque conferant, multis pulcherrimè nobis exponit B. Auguſtinus* &c. Et aliquantò pòſt: *Accedit quoque ad præſtantiam utilitatemque Geometriæ, quòd cùm demonſtrationes Geometricæ ſint maximè illuſtres, nemo ſine ipſis ſatis perſpiciet, quæ ſit vis demonſtrationum, nemoque eiſdem deſtitutus perfectus erit artifex methodi. Quod quidem ingenuè fatetur Galenus* &c. Gaſſendum laudare ſolet Revius: is Exercit. Paradox. 1. §. 6. *Non abs re ſanè divinus ille Philoſophiæ oculus, etiam ante Dialecticam, Mathematicas perſpectas volebat. Illis nempe ſi quis fuerit imbutus à puero, ita ut ſeſe indubitatis demonſtrationibus aſſuefecerit: ille ſic inſtructus erit ad capeſſendam veritatem, ut facilè fucum non*
*ad-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*admittat*. Vide etiam Rami Scholas Mathemat. lib. 2. Tot artificibus inſignibus, (ſimili modo Revius in hac materia loquitur) credendum Revius & Lentulus, ſi ſapiunt, putabunt.

7. Quod dicitur Mathematicos rariùs eminere in Metaphyſicis, idem Carteſius affirmat in Epiſt. ad Sereniſſ. Princip. Eliſabetham: *fere omnibus uſu venit ut, ſi verſati ſint in Metaphyſicis, à Geometricis abhorreant; ſi verò Geometriam excoluerint, quæ de prima Philoſophia ſcripſi non capiant.* Cauſam hujus defectus verbis Carteſii exponam, quæ ex ore ejus hauſit amicus, & quibus pariter ea quæ in antecedentibus authoritate illuſtravimus, ratione firmantur: *aſſuefacit Matheſis ingenium veritati agnoſcendæ, quia in Matheſi reperiuntur recta ratiocinia, quæ nullibi invenias alibi. Et proinde ille qui ſemel aſſuefecerit ingenium ſuum ratiociniis Mathematicis, habebit etiam illud aptum ad inveſtigandas alias veritates, cùm ratiocinatio ubique ſit una & eadem. Quod autem quidam in Matheſi ingenio valeant, qui tamen in rebus Metaphyſicis &c. infeliciores ſunt, non contingit ex defectu ratiocinii, ſed ex eo, quòd Matheſin tractârint non ratiocinando, ſed imaginando, & omnia egerint per imaginationem, quæ cùm in Metaphyſica locum non habeat,*

*hinc*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*hinc contingit, quòd adeo in illa ſint infelices.* Hæc Carteſius, qui cùm cauſam dicti defectus agnoverit & emendaverit, non eſt quod obſtrepant amplius adverſarii. Præterea notum eſt, quòd ab eo quod ſæpe fit in multis, ad id quod neceſſariò fit in omnibus, nimis elumbis ſit conſequentia.

8. Quòd vitioſum circulum Carteſius non admiſerit, variis in locis docuit, vide Reſpp. ad Inſtant. Gaſſendi p. 146. fin. Quòd ens infinitum mathematico vel perpendiculo vel circino non menſuretur, tam eſt verum, quàm falſa & maledica Calumnia Lentuli, Carteſium ex Geometricis regulis ideam Dei ſibi ſubjicere, aut inde ad imperium omnium ſcientiarum & naturæ divinæ circumſcriptionem evagari. Mentem vero præparari Mathematico ſtudio, etiam ad cognitionem Dei naturalem, ſatis in præcedentibus eſt oſtenſum.

9. Sed pergamus audire Revium ſtateræ p. 11. *neminem,* inquit, *indecentius amuſſim Mathematicam adhibuiſſe rebus philoſophicis, & naturali Theologiæ quàm Carteſium, ita clarum reddam, ut non niſi ab homine nullius mentis aut frontis negari poſſit.* Audax promiſſum, cujus exſequendi gratiâ quædam Carteſii poſtulata & axiomata ex fine ſecundarum Reſpp. profert, tandem ſubjungit: *cogor quærere: ſi hæc omnia præſup-*

ponen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*ponenda ſunt, quid amplius demonſtrandum reſtat? præſupponit enim notitiam mentis, corporis, Dei, omnium figurarum mathematicarum. at hæc omnia ut incerta, imò falſa antea abjecit, nunc vult veritatem eorum præſupponi, ſolummodo, quia ipſe ita poſtulat. Satis profectò pro imperio. Et quis quæſo apud ſeſe invenit definitionem* trianguli, *& omnium* figurarum mathematicarum? *quis* realitatem formalem, eminentem, objectivam? *quis* ſubſtantiam, accidens & modum? *non Carteſius certè, qui diſertè accidentia negat, hic verò eorum cognitionem inter communes notiones recenſet, itane bardos & ſtupidos ſuos lectores putat, ut hoc non animadvertant? ſed nimirum ignoſcendum fuit homini occupato. ipſe enim fatetur pleraque ex his potuiſſe melius explicari, & inſtar Theorematum potius quàm axiomatum proponi debuiſſe, ſi (inquit) accuratior eſſe voluiſſem. Profectò accuratum eſſe oportebat, qui demonſtrationes Mathematicorum æquare aut etiam ſuperare contendit.*

10. ℞. Non vereor ne nullius mentis habear ſapientibus, ſi Revium hæc ſcribentem nullius frontis eſſe dixero, id quod ita clarum reddam, ut à nemine, qui vel tantillum habeat mentis negari poſſit.

11. Imprimis tenendum eſt, Carteſium



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

in exemplis Revio citatis non *adhibuiſſe amuſſim Mathematicam* ſibi familiarem & uſitatam, & quam ipſe in naturali Theologia adhibendam aſſerat: ſed ſcripſit ea arbitrio opponentium, qui in fine ſecundarum object. talem methodum per definitiones, poſtulata &c. ab eo requirebant. Quibus reſpondens duo in modo ſcribendi Geometrico diſtinguit, ordinem ſcilicet & rationem demonſtrandi, & hanc dicit eſſe duplicem, aliam per analyſin, aliam per ſyntheſin. *Analyſin* longè præfert ſyntheſi illamque judicat tanti fuiſſe veteribus Geometris, ut ſibi ſolis tanquam arcanum quid reſervarent; eandem verò ſolam, utpote veram & optimam docendi viam, ſe ait in Meditationibus ſecutum. *Syntheſin* verò etiamſi concedat in rebus Geometricis poſt analyſin aptiſſimè poni, negat tamen ad res Metaphyſicas, de quibus hîc agebatur, eam commodè poſſe applicari, quod allata ratione demonſtrat. Tandem ut morem gerat opponentibus, promittit ſe pauca quædam ſynthetico ſtylo ſubjuncturum, at nolle tam multa quàm ſint in Meditationibus complecti, ne prolixior hîc, quàm in ipſis fuit eſſe cogatur, nec velle etiam ea accuratè hoc loco explicare, partim ut brevitati ſtudeat, partim ne quis hæc ſufficere exiſtimans, ipſas Meditationes, ex quibus multò

tò plus utilitatis percipi poſſit, negligentiùs examinet.

12. Ex his 1. elucet apertiſſima fraus Revii, quando non ipſas Meditationes, in quibus ſuam Author eandemque optimam Mathematicorum Methodum ſequitur, in exemplum adducit; ſed alia quædam ab opponentibus rogata & ab Authore ipſo in hac materia non approbata. 2. manifeſta calumnia, Carteſium hæc voluntate opponentium ſcripturum contendere ſe demonſtrationes Mathematicas æquare aut etiam ſuperare. Hoc enim in dedicatione Meditationum de Meditationibus ipſis aſſerit: hic verò nihil accurati promittit. 3. ipſæ tamen demonſtrationes in fine ſecundarum Reſpp. allatæ ſunt & manent certæ, atque eas ne quidem hîc aggreditur convellere Revius, quamvis modus eas proponendi minùs ſit accuratus, Authore ſic non abſque ratione, volente & atteſtante.

13. Ex inſpectione ipſius Authoris, collata citatione Revii, patebit etiam fraudulenter egiſſe Revium. 4. poſtulata tantùm & axiomata in medium adferendo, cùm, ſi voluiſſet hujuſce Methodi ſpecimen exhibere, ſimul debuiſſet definitiones & propoſitiones adducere, quæ initium & finem conſtituunt, & à poſtulatis & axiomatis in medio collocatis divelli nequeunt. 5. ſex tantùm poſtulata

[...]ata ponendo, quod in Authore ſextum eſt [o]mittendo, & ſeptimum ejus loco ſubſti[t]uendo. 6. quà poſtulata, quà axiomata va[r]iis modis truncando & mutilando rejectis, quæ Author eis explicandis ac defendendis addiderat.

14. Iam reſpondeamus ad poſtrema interrogata Revii: 1. quærit, *ſi hæc omnia præſupponenda ſunt, quid amplius demonſtrandum?* R. propoſitiones, quas per fraudem lectori tuo non exhibuiſti, & quarum demonſtrationes in Authore ſequuntur. 2. ait Carteſium, *præſupponere notitiam mentis, corporis, Dei, omnium figurarum Mathematicarum.* R. non ſupponit, Deum aut corpus exiſtere, aut quicquam eorum quæ de iis ſunt demonſtranda; ſed ſimplices duntaxat earum rerum notiones, ſive notitiam apprehenſivam præſupponit: & meritò, cùm omnes Logici inter demonſtrationis præcognita ponant notitiam ſimplicem termini majoris, minoris, medii. Eſſe verò in nobis Dei aliarumque rerum notiones alibi docetur. Nunc adeatur ſolùm Reſp. ad Inſtantias Gaſſendi, pag. 145. fin.

15. Revius addit 3. *hæc omnia ut incerta, imò falſa antea abjecit, nunc vult veritatem eorum præſupponi, ſolummodò quia ipſe ſic* POSTVLAT. R. Nunquam abjecit ideas ſeu ſimplices earum rerum notiones,)

nes,)ſed opiniones & præjudicia, conſule vel ſolam Reſponſionem jam citatam ad Inſtantiam primam in primam Med. & ſecundam in ſecund. Med. Ideas autem illas & communes etiam notiones non vult admitti quia poſtulat, ſed poſtulat eas attendi; quod dum fit, ſua luce menti ſe commendant & principia Demonſtrationum ſuppeditant. Et communes illæ notiones cùm attenduntur præjudicia appellari non debent, vide iterum Reſp. ad primam Inſtantiam in Med. ſecundam. Trita illa de *abjectione* objectio pleniùs alibi examinabitur. Vnum teneatur, Carteſium quæ *ut falſa* abjecit, non ideo falſa judicâſſe, ſed non explorata pro veris habere diſtuliſſe, donec explorandi tempus & locum Methodus oſtenderet.

16. Quærit Revius 4. *quis quæſo apud ſe invenit definitionem trianguli & omnium figurarum mathematicarum? quis realitatem formalem, eminentem, objectivam? quis ſubſtantiam, accidens & modum? non Carteſius certè, qui diſertè accidentia negat.* ℞.1. quod omnium figurarum mathematicarum definitionem unuſquiſque apud ſe inveniat in Poſtulatis Revio citatis ſcriptum non legitur; ſed quòd propoſitiones per ſe notas apud nos inveniamus debeamuſque examinare ideas naturarum, in quibus multorum

ſimul

ſimul attributorum complexio continetur, qualis eſt natura trianguli, quadrati vel alterius figuræ. 2. quis non facilè intelligit quid ſit triangulum, quid quadratum, pentagonum &c. Vide Reſpp. quint. ad quint. Med. §. 1. & ad tertiam Med. §. 7. *non dubitamus quin Geometriæ imperitus totius trianguli ideam habeat, cùm figuram eſſe tribus lineis comprehenſam intelligit* &c. 3. quomodo ideæ rerum nobis ſint innatæ variis in locis exponit Author, vide Notas ad Program. art. 12. 13. 14. Et Epiſt. ad Voet. circa finem partis octavæ. 4. *Realitatis formalis*, *eminentis*, *objectivæ* terminos apud ſe nemo invenit, at rem iis terminis deſignatam facilè intelligit unuſquiſque. Infans notionem communem Entis animo tenet, ſed hoc tranſcendens, Metaphyſicum, reale &c. appellari neſcit. Ita omnes intelligunt quantum ad rem ipſam, quòd cauſa nihil poſſit largiri effecto quod non habet *formaliter* vel *eminenter*; item quid ſit *objectum* ejuſve *realitas*. Adhæc præcipuè notandum, quòd Author hîc cum iis & apud eos loquatur, quibus termini iſti ſunt familiares & uſitati. Quòd *neget accidentia*, calumnia eſt, de qua ſuo loco fuſiſſimè.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

## CAP. XIX.

### *Ad tertiam Diſſertationis ſectionem in genere, & in ſpecie ad regulam Moralem primam & ſecundam.*

1. HVcuſque defenſionem Carteſianam perduxeram, cùm reſcivi Tobiam Andreæ, ſummum & Virum & Amicum, Conſideratorem Theologum ita proſtraviſſe, ut jugulare mortuum videar, ſi ea parte pergam inſectari. Quæ igitur in Conſideratione reliqua ſuis porrò locis expendere decreveram, nunc omitto, cum ἀϛαθμήτῳ libripende & novo ſapiente deinceps congreſſurus.

2. In tertia Diſſert. hujus ſectione Carteſius regulas aliquas Ethicæ imperfectæ promit, quas adſcripſit ne quis eum putaret ſine religione & honeſtate morum vitam tranſegiſſe, dum de quæſtionibus in Philoſophia controverſis dubitavit. Si quis de moribus erudiri cupit abundantius, adeat librum de Paſſionib. Animæ, hæc enim eo fine ſcripta non ſunt.

3. Sectionem hanc comparatione ab Architectura, ſibi uſitata, Carteſius inchoat, cujus occaſione Lentulus p. 60. ex ſeptimo Opponente de Architectura Carteſiana garriendo bifariam peccat. 1. quòd hoc loco, eoque maximè alieno, profert ea quæ ſeptimus Op-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

Opponens de Carteſiana philoſophandi ratione protulerat. 2. quod dudum à Carteſio in ſeptimis Reſpp. ſoluta tanquam inſolubilia hîc reponit.

4. Carteſius: *ut ab illo tempore vivere inciperem quàm feliciſſimè fieri poſſet, Ethicam quandam ad tempus mihi effinxi, quæ tribus tantùm aut quatuor regulis continebatur, quas hîc non pigebit adſcribere.* Ad quæ Lent. *Ne quis contemplationi tantùm deditum eſſe arbitretur: Ethicam nobis & Philoſophiam practicam ferventi ex officina cuſam protrahit. Hic primò quæro abſolutane illa Ethica fuerit, an inchoata? Si priùs: cur ad tempus tantùm eam effinxit? Si poſteriùs: quo modo juxta ejus præcepta quàm feliciſſimè vivere potuit? Deinde exquiro: quomodo veritati conſentaneum ſit;* EFFINXISSE *illum ſibi Ethicam; cum nihil hîc ſit dictum, quod non par aut melius apud veteres & noſtrates habeatur?*

5. ℟. Carteſius dicit ſe ideo regulas Ethicas ſibi formâſſe, ut ab illo tempore vivere inciperet *quàm feliciſſimè fieri poſſet.* Hoc Lentulus pervertit in *feliciſſimè.* An eadem tibi ſunt, Sophiſta, vivo feliciſſimè, &, vivo quàm poſſum feliciſſimè. Falleris & fallis, ſi ex eo quòd Carteſium refutâſti quàm potuiſti optimè, inferaste illum optimè refutâſſe. Quæris quomodo

ſibi Carteſius *effinxerit*. Ethicam, cùm *nihil* hîc ſit dictum, quod non par aut melius apud veteres & noſtrates habeatur & in ſqq. ais: *nihil hîc novi, nihil effictì.* R. 1. tute ipſe aliquid hîc dictum, quod non ab aliis, aſſeris p. 64. verbis, *hîc jam aliquid afſers* &c. 2. quaſi non poſſit aliquid effingi ratione totius compoſiti, cujus partes componentes aliunde deſumantur Reſpp. quint. ad tertiam Med. §. 2. Idem hîc eſt *effinxi*, quod in Gallico *formavi* (je formay) Forma autem hujus Ethicæ conſiſtit in tali regularum conjunctione. Nunquid tu hunc tibi librum tribuis, quem ex contortis Scripturæ locis, Revio, tertio, ſeptimo Opponente & aliis authoribus effinxiſti. 3. Si veteres non legit Cartes, ut p. 63. innuis, omni ratione debuit hanc Ethicam effingere. Quo teneam vultus mutantem Prothea nodo?

6. Lentulus p. 62. ait: *politicæ magis prudentiæ eſt quàm exactæ pietatis nunquam à ſemel recepta religione reſilire.* Notet lector 1. hæc divelli ab eo qui toto hoc libro Scripturâ S. continuò citatâ magnam pietatem ſimulat & pro ſummo prudentiſſimoque Politico vult haberi. 2. hanc divulſionem à piis politicis non approbari, qui docent nihil pertinere ad prudentiam politicam, quod non ſimul informatum ſit virtutibus

tibus ethicis, quarum prima & potiſſima eſt pietas. Vide Balthaſ. Willii Polit. cap. 1. can. 8. cap. 3. can. 12. cap. 4. can. 3.

7. Carteſius in fine regulæ moralis primæ dicit, quòd ſe in cæteris omnibus voluerit gubernare juxta opiniones quàm maximè moderatas. Ad quæ Lent. *cur igitur novis opinionibus introducendis conſtantiam propoſiti immutâſti! niſi fortè de opinionibus practicis tibi ſermo; quas mores rectius vocamus.* R. 1. imperitia Lentuli eſt quòd, *mores* hîc indigitari putat, ubi intelliguntur opiniones de moribus inſtituendis. 2. Oblivio, Lentuli, quòd ad tempus hæ regulæ effictæ, neque conſtanter in omnibus proinde tenendæ ſemper. 3. inconſiderantia, quòd hæc duo pugnare putat: ego in actionibus vitæ ſequor opiniones prudentium (ſecundùm virtutis definitionem ab Ariſt. 2. Ethic. cap. 6. præſcriptam, quòd ſit habitus electivus in mediocritate conſiſtens, quæ penes nos, *prout vir prudens definiverit*) Ergo non debeo in theoria & ſpeculatione, veritatis novas opiniones ſequi.

8. In ſecunda regula, quando Carteſius loquitur de firmitate propoſiti in actionibus *valde dubia vel fortè nulla* ratione ſuſceptis, nempe quantum ad ea quæ differre planè non licet, ut in Comment. explicat, Lentulus adfert illud Horatii:



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*Pars hominum vitiis gaudet conſtanter & urget Propoſitum*

Atqui jam cognoverat ex prima regula Carteſium vitiis non gaudere. 2. ex hujus commentario intellexerat, actiones nulla ratione ſuſceptas tantùm intelligi in adiaphoris, quando ſcil. neceſſariò agendum eſt, ſed an hoc, an illud agamus, parum intereſt. Quòd Carteſius ait, propter *leves rationes* non eſſe deflectendum viatori à via ſemel ingreſſa, Lentulus pervertit ita: *ſi de errore conſtiterit, & ratio melius aliquid ſuggeſſerit*, quaſi levis ratio nos erroris ſatis convincere & melius ſuggerere poſſit. Cicero lib. 4. Acad. Quæſt. *quicquid acciderit ſpecie probabile, ſi nihil ſe offeret, quod ſit probabilitati illi contrarium, utetur eo ſapiens, ac ſic omnis ratio vitæ gubernabitur: etenim is quoque, qui à nobis ſapiens inducitur, multa ſequitur probabilia, non comprehenſa neque percepta, neque aſſenſa, ſed ſimilia veri: quæ niſi probet, omnis vita tollatur. quid enim? conſcendens navem ſapiens num comprehenſum animo habet atque perceptum, ſe ex ſententia navigaturum? quî poteſt? ſed ſi jam ex hoc loco proficiſcatur Puteolos ſtadia triginta, probo navigio, bono gubernatore, hac tranquillitate, probabile videatur, ſe illuc venturum eſſe ſalvum.*

9. Lentulus p. 77. ſq. reſilit ad ſecundam

dam hanc regulam his utens verbis: *in uſu vitæ opiniones dubias & incertas, &, ut loquitur pag. 21. tertiæ editionis, ob rationes nullas ſuſceptas, conſtanter & intrepidè ſequi ductore Carteſio debemus. Quid ais? ergone ſi patriam oppugnare, incertus liceret ne id nec ne, occœpiſſes, conſtanter & intrepidè bellum propugnandum? Si, quod egiſti, nova rerum diſcendarum methodo vel potiùs confuſione ob nullas rationes introducenda, ſcholarum & Eccleſiæ pacem turbâſti, conſtanter & intrepidè propoſitum urgere debes, quàm revocando infauſtum pedem utilitati publicæ & famæ tuæ apud cordatos viros ſuſpectæ conſulere? Quem fructum iſta, remota ratione, pervicacia tibi allatura eſt?* TIBI *inquam: nam publico cum Epicuro tuo te non natum eſſe arbitrari, Ethica tua docet. quem igitur fructum tibi paritura eſt? ad te liberandum omnibus iſtis anxietatibus & conſcientiæ morſibus, quibus infirmiores animæ torqueri ſolent. uti teipſum ſtridore tuo quaſi ſorex prodis hac ipſa de Methodo diſſertatione pag. 22. Tranquillitatem qualemcunque animi vel ſopiti finem actionum tuarum aut modum judicas. Ita animi vel malitiam vel rectitudinem eadem porta recipit, dummodo voluptatis tibi & quietis ſint effectrices. Non mirum igitur ſi de juſtitia & aliis ad* hu-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*humanam ſocietatem devinciendam virtutibus nihil præcepiſti, qui nec in Ariſtippi ſecta, nec in Epicuri horto quicquam ea de re traditum reperiſti. Securitatem tu, nos trepidationem quandam in actionibus dubiæ rationis ſuademus. Vtilem vel ſanctis etiam hominibus & approbationis divinæ teſtimonium conſecutis. Qui* VILIPENDIT *rem aliquam, damno obnoxius erit: qui autem* TIMET *præceptum, ille remunerabitur, Proverb.* 13. *David certè anxiam viæ ſuæ explorationem requiſivit, Pſal.* 139. V. *ult. & penultimo & multis aliis in locis. Stultorum vacillantem in omnibus actionibus levitatem repellimus: præcipitatam negligentium ſecuritatem à rebus agendis amovemus.*

10. ℞. 1. Pervertuntur verba regulæ, in qua legitur, non, *ob rationes nullas*; ſed *ob rationes valdè dubias vel fortè nullas*, quæ ſunt ſynonyma & pro unico eo quod eſt in Gallico, *les plus douteuſes*, ponuntur, quod enim dubium eſt argumentum hoc eſt fortè nullum, vel fortè aliquid. 2. quòd hanc regulam *ſequi ductore Carteſio debeamus* falſum eſt, cùm nemini eam præſcribat. 3. Carteſius hoc ipſum, quòd ſequi voluerit rationes valdè dubias vel fortè nullas, ita reſtringit (quod reticuit per fraudem Lentulus) *quia multa in vita agenda ſunt quæ differre planè*

*planè non licet, certiſſimum eſt quoties circa illa quid revera ſit optimum agnoſcere non poſſumus, illud debere nos ſequi quod optimum videtur; vel certè ſi quædam talia ſint, ut nulla nos vel minima ratio ad unum potiùs quàm contrarium faciendum impellat, alterutrum tamen debemus eligere.* Atqui ſanè patriam oppugnare non eſt ejuſmodi actio, quam differre planè non liceat, neque illam unquam aggredietur is, cujus prima regula erat, ut inſtitutis & legibus patriæ obtemperaret (regulæ enim non ſunt divellendæ) & ſi de tali actione deliberaretur, hoc (patriam oppugnare) ipſi peſſimum, nequaquam verò optimum videretur. 4. quòd ſcholarum & eccleſiæ pacem turbaverit, ob nullas rationes novam methodum introduxerit &c. convitia ſunt Lentulo τῇ διαβολῇ litante digniſſima. 5. ſimile eſt quod ait eſſe pervicaciam hanc, remota ratione, cùm Cartes expreſsè dicat, quòd *ratio propter quam ſententiam elegimus vera ſit & certa*, nempe quia agendum ſit, non ceſſandum; ratio, inquam, *vera* eſt, propter quam ſententiam *aliquam* elegimus, ut cur *hanc* potius quàm illam elegerimus, rationem ſufficit eſſe *veriſimilem* & dubiam. Vt ſi tibi extremâ fame laboranti cibus offeratur à duobus diverſis hominibus, qui ambo ſint æquè dubiæ fidei, accipies ab alterutro, ſi vivere cupias, licèt fortè



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

nulla ratio te impellat, ut ab hoc potiùs quàm ab illo accipias. 6. quòd publico natum eſſe negat Carteſium & præſens ætas & multò magis poſteritas confutabit. 7. Cætera maledicta, ut quod cum Epicuro voluptatem ſectetur, & talia, prætereo, quis credat qui noverit Carteſium aut ſcripta ejus inſpexerit? Interim ſtudendum eſſe honeſtæ animi tranquillitati, nemo iverit inficias. 8. quòd non debeamus res vilipendere, ſed vitam & vias noſtras explorare, prout Scriptura docet, eſt in confeſſo apud omnes, neque id regula Carteſiii negat, quæ unicum illud vult, quòd Lentulus in viam tandem rediens affirmat: *ſtultorum vacillantem in omnibus actionibus levitatem repellimus*. Nullo modo ex regula Carteſii, nec ex ullo ejus dicto colligitur, quod dubitationem à vita agenda omnem auferat. Legatur ipſe, non opus alio hac in parte defenſore.

## CAP. XX.

### *De tertia regula Ethica, ubi de poteſtate quam habemus in proprias cogitationes.*

1. TErtiam regulam Carteſius ita effert: *ut ſemper me ipſum potiùs quàm Fortunam vincere ſtuderem, & cupiditates proprias quàm ordinem mundi mutare: atque*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*que in univerſum ut mihi firmiter perſuaderem nihil extra proprias cogitationes abſolutè eſſe in noſtra poteſtate; adeo ut quicquid non evenit poſtquam omne quod in nobis erat egimus ut eveniret, inter ea quæ fieri planè non poſſunt, & Philoſophico vocabulo impoſſibilia appellantur, ſit à nobis numerandum.* Lentulus p. 65. vult quòd Carteſius hîc, *cum Deo quaſi de imperio contendat, fato cogitationes & Dei ordinationi, imo & poteſtati ſubtrahat.* Item: *aut Deum non videre interiores animorum cogitationes opinetur, aut ad earum operationem non concurrere, aut eas omnino non curare.* Denique: *aut nulla animi cogitantis vitia agnoſcat, aut ea judicio Dei ſubripiat.*

2. ℞. Quomodo intelligatur *aliquid eſſe in noſtra poteſtate* patet ex eo, quòd uxor poſt initum matrimonium eſſe dicitur in poteſtate viri, quod filii in poteſtate parentum, ſervi & alia quæ poſſidentur in poteſtate Dominorum eſſe perhibentur. Hinc de dominica & patria poteſtate, de rerum item dominio &c. diſputationes in Iure & Oeconomicis celeberrimæ. Speciatim verò quid Carteſio hîc ſignificet, eſſe in noſtra poteſtate, liquebit ex collatione locorum ſubjectorum: 1. quod initio hujus §. dicit, cogitationes eſſe in noſtra poteſtate, in



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

fine ſic explicat, cogitationes *ad ſe pertinere*. Nam in Gallico ibi eſt: *en noſtre pouvoir*; hîc, *en leur pouvoir*. 2. P. I I. 1. quicquid ſentimus procul dubio nobis advenit à re aliqua, quæ *à mente noſtra diverſa eſt. Neque enim eſt in noſtra poteſtate* efficere, ut unum potiùs quàm aliud ſentiamus. 3. P. I I. 2. ſenſus nobis ex improviſo advenire; quos mens eſt conſcia non *à ſe ſola proficiſci, nec ad ſe poſſe pertinere* ex eo quod ſit res cogitans. 4. Med. tertia p. 17. non *à mea voluntate*, nec proinde *à meipſo pendere*, ſæpè enim vel invito obverſantur. Ex his liquidum eſt, Carteſium hoc velle dicere, nihil abſolutè ad ſe pertinere, nihil à ſe abſolutè pendere, præter proprias cogitationes. Sed quo ſenſu additur illud ABSOLVTE, in Gall. entierement? Hoc enim Lentulus urget, hoc Revius ſtateræ p. 228. citatis è lib. de paſſ. aliis etiam locis, ubi & iſta, *abſolutum imperium*, *penitus & à nobis ſolis* dependere.

3. Concluſio prima: *cogitationes noſtræ non ita à nobis dependent, ut excipiantur à providentia divina, ſed omnino quoque à Deo ejuſque decreto pendent.* Hanc eſſe Carteſii ſententiam probatur 1. ex Reſpp. ſext. §. 8. Attendenti ad Dei immenſitatem, manifeſtum eſt nihil omnino eſſe poſſe quod ab ipſo non pendeat, non modò nihil ſubſiſtens,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ſed etiam nullum ordinem, nullam legem, nullam veſ rationem veri & boni. 2. ex P. I. 40. tam immenſam in Deo poteſtatem eſſe percipimus, ut nefas eſſe putemus exiſtimare, aliquid unquam à nobis fieri poſſe, quod non ante ab ipſo fuerit præordinatum. Ibid. in margine: certum etiam, omnia eſſe à Deo præordinata. 3. ex Reſpp. quint. ad tertiam Med. §. 9. Deus eſt cauſa rerum creatarum non modò ſecundùm fieri, ſed etiam ſecundùm eſſe, ideoque debet ſemper eodem modo influere in effectum, ut eundem conſervet. Paulò pòſt: non advertis te Creaturæ tribuere perfectionem Creatoris, quòd nempe independenter ab alio in eſſe perſeveret. Hæc loca non generaliter tantùm, verùm etiam ſpeciatim concluſionem noſtram demonſtrant.

4. Concluſio ſecunda: *non aliter intelliguntur cogitationes noſtræ eſſe abſolutè, id eſt, ſimpliciter in noſtra poteſtate, quàm cum reſpectu ad res alias, quæ vel nullo modo, vel ex aliqua tantùm parte & ſecundùm quid in noſtra ſunt poteſtate.* Nempe illud, *abſolutè*, capiendum eſt in ordine ad *objecta*, circa quæ poteſtas verſatur, non in ordine ad *ſubjectum* quod habet poteſtatem. Aut (quod planè idem eſt) ſi referatur ad nos, ut abſolutè noſtra dicatur illa poteſtas, in qua ſunt noſtræ cogitationes, hoc

intelligendum eſt in ordine cauſarum ſecundarum, quatenus ſcilicet reliquæ res vel tantùm vel ex parte in aliarum etiam cauſarum ſecundarum poteſtate ſunt conſtitutæ, cogitationes noſtræ non item. Prob. 1. à cauſa propter quam Carteſius ſibi voluit perſuadere, nihil extra proprias cogitationes abſolutè eſſe in noſtra poteſtate, nempe ne fruſtra ſollicitus de aliis eſſet, utpote quæ conſequi non poſſet. Ideo voluit *ſtudere potius ſeipſum vincere, quàm Fortunam, & cupiditates proprias quàm ordinem mundi mutare*, quia videlicet ipſe ſe & cupiditates ſuas habeat in ſua poteſtate, non autem illa quæ Fortunæ adſcribuntur & ad Mundi ordinem ſpectant. Hæc ſi vincere & mutare contenderit, incaſsùm ſe laboraturum colligit, non verò ſi ſe & cupiditates ſuas vincere & mutare ſtuduerit.

*Fortior eſt qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit*
*Mœnia, nec virtus altiùs ire poteſt.*

2. ex oppoſitione, qua ſuas *cogitationes cupiditateſque & animi motus* opponit *fortunæ, ordini mundi, impoſſibilibus, rebus extra nos poſitis.* Legatur totus commentarius.

5. Concluſio tertia: *nihil hîc dixit Carteſius, quod non in aliis idem dicentibus laudari ſoleat.* Vt mera obtrectatio & invidia ſit, quòd

quòd Carteſium hîc impetunt adverſarii. Prob. 1. Carteſius dicit nihil præter ſuas cogitationes ad ſe pertinere, idem dixit Bias Prienæus in illo decantato : *omnia mea mecum porto.* 2. Carteſius ea quæ extra ſe ſunt ſpectat tanquam à ſe aliena, quæ ad animam, tanquam ſua. Idem inter alios Burgersdicius fecit Metaph. libr. 1. cap. 20. th. 9. ubi vulgarem bonorum diviſionem (quòd alia ſint animi, alia corporis, alia externa ſeu fortunæ) eo nomine improbat, quòd corporis bona etiam ſint externa, ſola animi interna : verba ejus ſunt: *Hæc diviſio non eſt accuratiſſima ; quippe non ſatis apparet quomodo bona corporis diſtinguantur à bonis fortunæ; nam in illis etiam fortuna regnat, cùm à cauſis externis pendeant. Rectiùs dividuntur bona in noſtra & aliena. Noſtra ſunt, quæ ita ſunt in poteſtate, ut nobis invitis eripi nequeant ab ulla cauſa finita : Aliena, quæ pendent ab ejuſmodi cauſis, quæ non ſunt in noſtra poteſtate.*

3. Quòd Carteſius dicit de rebus extra poteſtatem noſtram poſitis, idem Philoſophi Morales variis in locis docent: e. g. quando agunt de objecto fortitudinis, dividunt mala in turpia & triſtia, & horum alia dicunt eſſe καθ' ἄνθρωπον,

alia ὑπὲρ ἄνθρωπον, quæ humanam conditionem & vires ſuperant, ut prodigia, terræ motus, inundationes & id genus alia. Quando agunt de ſubjecto Ethicæ, animam vegetativam conſiderationis ejus eſſe negant, quia facultas nutritiva, augmentativa, generativa rationis imperio per ſe non parent, unde vulgatum: venter caret auribus, & Servator Luc. 12. eodem ſenſu ait, non poſſe nos ad ſtaturam noſtram adjicere cubitum unum. Plura in Objectionibus contemplabimur.

6. Objectio I. qui nos *noſtri dominos* facit & nobis *imperium* in noſtras cogitationes tribuit, earum à Deo dependentiam infringit. Rz. 1. Damnandi ſic eſſent Theologi à tali ſenſu alieniſſimi. Audiatur inter alios Clariſſ. Mareſius Syſt. Theolog. Loco VIII. th. 47. *Liberum arbitrium commodiùs & veriùs definitur, facultas agendi quod lubet præeunte judicio & conſilio; ita ut ſuorum actuum imperatorum à voluntate homo ſit Dominus (dominio non abſoluto & alodiali, ſed ſubordinato primo enti & à Deo dependente. Eſa.* XXXVII. 29. *Ier.* X. 23. *Act.* XVII. 28.) *& actus voluntatis eliciti ſint liberi* 1. *à coactione; nullo enim modo voluntas cogi poteſt.* 2. *neceſſitate Phyſica & naturali; cùm voluntas ex ſe indifferens ad*

*oppoſita*, *nec ad unum determinata.* Eodem ſenſu dicit Carteſius nos eſſe noſtri dominos, & P. I. 41. Deum liberas hominum actiones *indeterminatas* relinquere, & P. I. 37. quòd homo peculiari quodam modo ſit *author ſuarum actionum.* 2. Non aliter intelliguntur hæc in Carteſio, quàm apud omnes Ethicos, ea quæ de *Imperio intellectus & voluntatis* ab ipſis diſſeruntur. Ita judicium practicum vocant imperium intellectus, atque imperium voluntatis extendunt ad actus intellectus, appetitus ſenſitivi & externorum membrorum, & hos actus vocant imperatos. 3. cùm homini vel toti, vel ejus menti dominium atque imperium in res alias, omnes authores tribuant, ecquid in eo eſt periculi ſi homini imperium in ſua concedamus? Cur Revius & Lentulus *Dominos* vocari ſe amant, an nullum habent dominium? Profectò ſi in ſemetipſos non habent, impotentes animi ſunt, iræ & furoris mancipia. Veſtigia illius rei ſcriptis eorum impreſſa loquuntur. Neque enim adeo impotenter in Carteſium inſurgerent ſi ſuis animi motibus ex hac tertia Carteſii regula imperare didiciſſent, neque hanc ipſam regulam orco damnatam cuperent. Sanè qui Imperatores, Domini, Reges inter homines appel-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

appellantur, non ideo Dei imperium ac regimen eò minùs agnoſcunt. Clariſſ. Heereboord Diſp. pract. 4. Corol. 1. & 2. *Deus ſemper concurrit, cum cauſis ſecundis ad operandum. Manet tamen homo ſuarum actionum verè dominus.* Franciſc. Titelmannus Compend. Natur. Philoſophiæ libr. 12. cap. 21. *à voluntate habet homo hoc ſibi peculiare, ut ſolus omnium ſuorum actuum ſit dominus h. e. ut quæcunque homo operatur, liberè operetur.*

7. Ob. 2. Cart. dicit cogitationes eſſe *abſolutè* in noſtra poteſtate. E. R. Pari jure poſſent omnes Theologi eodem damnari crimine qui vocârunt liberum noſtrum arbitrium αὐτεξούσιον. 2. Iuriſperiti tribuunt hominibus dominium *plenum & abſolutum*, diſtinguentes inter hoc & illud quod eſt minùs plenum, nec tamen propterea negant DEVM eſſe omnium rerum Dominum. 3. Metaphyſici diſtinguunt inter abſolutum ab omni cauſa & à certo cauſæ genere, quando Deum ab omni cauſa, Mentes creatas ab internis cauſis abſolutas pronunciant. Ita & hîc nihil cogit, imò omnia prohibent, intelligi quoquo modo abſolutum, cùm tantùm deſignetur abſolutum in certo genere.

8. Ob.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

8. Ob. 3. Cartes dicit cogitationes *à nobis ſolis* pendere. E. ℞. 1. Politici Monarcham appellant ac definiunt, penes quem ſolum eſt ſumma poteſtas in Republica, nec tamen Monarcham Vniverſi Deum excludunt. 2. Metaphyſici & Logici Samſonem, mille Philiſtæos occidentem, vocant cauſam ſolitariam & totalem, nec ideo Dei auxilium & concurſum ſubtrahunt.

9. Objicit 4. Revius ex art. 146. de paſſ. hunc locum: *providentiæ divinæ decretum æternum adeo infallibile & immutabile eſt, ut exceptis iis quæ idem decretum voluit pendere ex noſtro Arbitrio, cogitare oporteat reſpectu noſtri nihil evenire quod neceſſarium non ſit, & quadantenus fatale; adeo ut abſque errore cupere non poſſimus ut aliter eveniat.* Ad hæc Revius in ſtatera p. 228. annotat: *hîc videmus actus liberi arbitrii noſtri excipi à providentia divina. cætera omnia fatali neceſſitate evenire, non ea tantùm quæ colligitur ex divino ſuper iis decreto, ſed & quæ ponitur in cauſarum naturalium complicatione, unde illicitum ſit deſiderare (ac conſequenter Deum precari) ut aliter eveniant. quaſi Deus ipſe (quod ſenſiſſe dicuntur Stoïci) huic cauſarum neceſſitati ſubjectus ſit.* ℞. 1. dum Carteſius ait, *quæ idem decretum voluit*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*voluit pendere ex noſtro Arbitrio* , actus noſtræ voluntatis voluntati divini decreti omnino ſubjicit. 2. dicit reſpectu noſtri omnia eſſe neceſſaria, exceptis iis quæ pendent ex noſtro Arbitrio, quoniam nimirum hæc libera ſunt. Excipit ergo noſtræ voluntatis actus non à providentia Dei; ſed à tali neceſſitate, qualis eſt in aliis rebus reſpectu noſtri conſideratis. 3. quòd non debeamus cupere ut res aliter eveniant, quàm Deus præordinavit, quotidie petimus dicendo: *Fiat voluntas tua.* Interim quàm diu incerti ſumus de eventu, petere poſſumus ac debemus, ut Deus illa faciat evenire, quæ ipſi glorioſa & nobis ſalutaria. Diſtinguatur inter ſenſum diviſum & compoſitum. 4. ratione noſtri neceſſaria aſſerens, non ſubjicit Deum cauſarum neceſſitati: illius enim reſpectu contingentia ſunt, quia Deus eſt ſummè indifferens Reſpp. ſext. §. 6.

10. Objicit 5. Revius art. 152. de paſſ. *unum duntaxat in nobis obſervo quod juſtam cauſam nobis poſſit ſuppeditare noſmetipſos æſtimandi, nempe legitimum uſum liberi noſtri arbitrii, & imperium quod in noſtras voluntates exercemus. Nam præter ſolas actiones pendentes ex iſto arbitrio, nihil eſt unde poſſimus cum ratione laudari, vel vituperari, illudque nos quodammodo reddit Deo ſimiles, nos noſtri Dominos faciendo,*

*iendo, modò per ignaviam non amittamus* *ura quæ nobis confert.* Ad hæc Revius refutandi animo: *uſum liberi noſtri arbitrii & imperium quod habemus in noſtras voluntates, juſtam nobis rationem ſuppeditare nos ipſos æſtimandi.* R/. 1. Si Revius vult ut homines ſe & ſua nihili faciant, Ergo prohibet ne nos ipſos diligamus, aut proximum ſicuti nos ipſos, contra Mandatum Chriſti Matth. XXII. 39. neque concedit ut carnem quiſque ſuam nutriat & foveat, contra Apoſtolum Eph. V. 29. aut ſua ſit ſorte contentus contra 1. Tim. VI. 6. 2. ſin concedit quòd alicujus *æſtimare nos* poſſimus, quæ pluris æſtimabimus quàm illa quæ maximè noſtra ſunt & in quibus maximè reſplendet imago Dei? Tales ſunt actiones liberæ propter quas laudem mereremur P. I. 37. *Res pulcherrima libertas arbitrii.* Voſſ. de Orig. Idol. lib. 2. cap. 50. Vide Syntag. Theol. Polani lib. 10. cap. 3. de charitate hominis erga ſeipſum. cap. 28. de αὐταρκείᾳ cap. 29. de φιλοτιμίᾳ. 3. Quòd imago Dei, quatenus conſiſtit in voluntatis libertate, nos Deo ſimiles reddat, & quòd ea rectè utendo magis magiſque Deo aſſimilemur, omnes Theologi affirmant. Quæ inſuper à Revio in ſtatera ex Meditationibus & Principiis producuntur, ad ſua loca reſervo.

Hacte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

Hactenus examinata, quia in libello de Paſſ. ſola ab adverſario culpari deprehendi, huc referre volui. Nunc iterum ad Diſſertationem de Methodo.

11. Ob. 6. Carteſium dicere, hoc imperio in noſtras cogitationes nos ſatis felices, imò ſolos felices reddi, imò felicitate cum Deo ipſo certare. *Quod ultimum*, inquit Revius p. 229. *ne per calumniam Carteſio impingere videar, obſerva, eum ſuam tertiam regulam, & quam ei ſubjungit philoſophorum artem, unam eandemque eſſe diſertè affirmare, ut hi per eam felices evadebant, ita & ſibi hoc attribuere. Vnde ( ut cætera quoque conveniant ) quemadmodum illi per eam artem felicitate cum Diis ſuis contendebant, ita & Carteſium oportet per eandem felicitate cum Deo ſuo (qui eſt verus Deus) contendere. Niſi ridiculè exceperit, ſe quoque felicitate certare cum Diis philoſophorum iſtorum, id eſt, cum dæmonibus ( nam Dii gentium Dæmonia ſunt 1. Cor. 10. 20. ) quæ ſanè miſeranda eſſet felicitas.*

12. ℞. 1. Felices nos reddi quatenus animi affectus ratione moderamur & regimus, nempe felicitate ethica & morali (de moralibus enim hîc ſolis agitur) omnes fatentur Ethici, quando beatitudinem in actione virtutis ponunt eamque cum Ariſt.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ex 1. Eth. cap. 7. definiunt, operationem animæ rationalis ſecundùm virtutem optimam & perfectiſſimam in vita perfecta (qualis ſcilicet eſt hominis adulti.) 2. ſatis ſe felicem reddi Carteſius non ait abſolutè, ſed tantùm cum reſpectu ad hoc, ut voti fieret compos his verbis in hac regula tertia expreſſis: quod *ſolum ſufficere mihi videbatur* ad impediendum ne quid impoſterum optarem quod non adipiſcerer, atque *me hoc pacto ſatis felicem reddendum*, ubi patet pro iiſdem poni, *mihi ſufficere*, &, *me felicem reddere*. Et qui editionem Gallicam conſulit, nihil hîc deſiderabit; verba ſunt: & cecy ſeul me ſembloit *eſtre ſuffiſant* pour m'empeſcher de rien deſirer à l'avenir que je n'acquiſſe, & ainſi pour me *rendre content* NB. 3. Ultimum planè per calumniam Carteſio impingit Revius, mira enim nimis & miſera iſta eſt conſequentia: regula Carteſiii & ars Veterum ſunt unum idemque. Ergo ſicut ipſi, nimiùm ſibi confidendo & artem ſuam ultra modum jactando, cum Diis ſuis contendebant ſeu diſputabant, ut eſt in Gallico: ita etiam Carteſius cum Deo ſuo. Perinde eſt ac ſi diceres: eadem ars fuit Carteſii & Archimedis, quatenus uterque in Philoſophia excelluit. Ergo ſicut Archimedes robori & efficaciæ demonſtrationum Geometricarum innixus

ſæpe-

ſæpenumero jactitavit, ſi haberet terram aliam in qua pedem figeret, hanc noſtram quam incolimus, è loco ſe commovere poſſe (verba ſunt Chriſtoph. Clavii) idem Carteſius jactitare debet, imò omnes alios excellentes Geometras, quia unam callent artem, eundem in modum de ea gloriari neceſſe eſt. Apage Domine Revi cum tua conſequentia!

13. Exempla obſervatæ Carteſianæ regulæ ſi ex antiquitate deſideres, præſto eſt Socratis, de quo Lælius Peregrinus in tractat. de noſcend. & emendand. animi affect. proœmio: *Socratis vitæ progreſſum ſi attentiùs diſpicias, egregium hominem in eo maximè reperies occupatum, ut affectiones animi atque motus cupiditatis haberet in poteſtate, convicia æquo animo ab uxore tolerabat domi, ut moderatiùs injurias ferret ab inimicis in foro. Poſt Palæſtram, cùm vehementiſſimè ſitis urit, abſtinebat potu, ne, ut ipſemet ajebat, affectibus obſequi aſſueſceret. Honeſtas quoque voluptates, ubi non eſſent neceſſariæ, reſpuebat, ut ſe faciliùs contineret à turpibus: innumeras ejus generis exercitationes in Socrate poſſum referre, quibus id tandem eſt conſecutus, ut & fortunarum tenuitatem regiæ opulentiæ anteferret; & injurioſiùs appellatus, non permoveretur; pulſatus non excandeſce-*

*deſceret; morti demum per ſummum nefas addictus, nulla vivendi cupiditate adduceretur, ut quicquam remitteret de celſitudine animi, vel cauſam ſceleratos apud Iudices dicere ſuſtineret.*

## CAP. XXI.

### *Concluſio Ethicæ Carteſianæ: ubi de hujus perfectione, de vitæ contemplativæ præſtantia deque converſatione cum hominibus & ſolitudine.*

1. EXpoſita regula tertia Carteſius addit: Ut autem hanc Ethicam meam concluderem, diverſas occupationes quibus in hac vita homines vacant, aliquamdiu expendi, atque ex iis optimam eligere conatus ſum: Sed non opus eſt ut quid *de aliis* mihi viſum ſit hîc referam, dicam tantùm nihil me inveniſſe, quod *pro meipſo melius* videretur, quàm ſi in eodem inſtituto in quo tunc eram perſeverarem; hoc eſt, quàm ſi totum vitæ tempus in ratione mea excolenda, atque in veritate juxta Methodum quam mihi præſcripſeram inveſtiganda conſumerem.

2. Lentulus hîc annotat: *apertè vitam quæ in contemplatione verſatur præfert, ad eam-*

*eamque rectè inſtituendam Methodi ſui libellam, jam frequentato ſibi more, commendat.* Tùm Carteſianæ Ethicæ imperfectionem demonſtraturus ait: *Nihil hîc de prudentia rempublicam vel familiam ſaltem gubernandi* &c. *nihil de patria & libertate armis defendenda* &c. *ac ne de ſummo quidem hominis in vita civili bono* &c.

3. ℞. 1. Ethicam hanc imperfectam eſſe ipſe Author in Præfat. Principiorum Gallica apertè confitetur. 2. nec in hac diſſertatione id agitur, ut Ethica tradatur. 3. tantùm *ſibi* & quidem *ad tempus* duntaxat has regulas præſcripſit, non aliis, non ſemper. 4. inaniter Lentulus in Ethica propriè ſic dicta, quam hîc reſpicit Author, requirit prudentiam remp. & familiam gubernandi, quam novit ad Politicam & Oeconomicam pertinere. 5. de ſummo hominis bono actum hîc fuiſſe patuit cap. præcedente. Alia etiam quæ Lentulus omiſſa cenſet in regulis probè inſpectis continentur.

4. Si vitam quæ in contemplatione conſiſtit præfert vitæ activæ (quod tamen ſui tantùm reſpectu facit) idem facit quod ipſi Morales Philoſophi (ne dicam de Contemplationi deditis) non pauci, nec obſcuri faciunt. Videatur Franciſc. Piccolomi-

lomineus Philoſophiæ de Moribus gradu 5. cap. 46. ſqq. verba ejus initio cap. 48. ſunt : *Lis, quæ verſatur inter viros civiles & philoſophos contemplationi addictos, ſi ſuffragiis hominum decernenda eſſet, procul dubio contemplatio cederet: at ſi recta ratione eſſet decernenda, ſecus procul dubio ſe haberet.* Et cap. 49. in medio: *bonum duplex, unum in contemplatione, alterum in actione poſitum; bonum attinens ad contemplationem (& eſt id quod verum dicitur) præſtat bono ad actionem pertinenti.* Rationes breviter colligit Franco Burgerſdic. Philoſoph. Moral. cap. 4. §. 20. *Etſi autem agendo & contemplando ad felicitatem perveniatur; magis tamen ad felicitatem facit contemplatio, quàm praxis; ſapientia, quàm virtus moralis. Etenim contemplatio eſt operatio perfectiſſima facultatis in homine, nempe mentis, habetque præſtantiſſimum objectum, nempe Deum. Præterea ſapientia voluptates habet ſinceriores & ſtabiliores, quàm virtus moralis. Denique* τὸ αὐταρκὲς, καὶ σχολαστικὸν, καὶ ἄτρυτον, *id eſt, à ſe dependere, quietum ac defatigationis expertem eſſe, aliaque omnia, quæ felicitati ſolent tribui, ſapientiæ magis conveniunt vitæque ſpeculativæ, quàm virtuti morali, aut vitæ practicæ lib. 10. Eth. cap. 7.* In fine capitis, ut

L hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

hoc in gratiam Lentuli addam, inquit, Burgerſd. *Viam ad felicitatem ſpeculativam delineat Philoſophia ſpeculativa, præſertim, Metaphyſica.*

5. Sed & ipſe Ariſtoteles idem ſenſit & docuit variis in locis, ut in calce ſexti Eth. Nic. it. lib. 10. cap. 7. ex inſtituto, & 7. de rep. cap. 2. & 14. Plato ejuſdem fuit ſententiæ, quam Marſil. Ficinus in 1. de Republ. ſcitè exprimit his verbis: *quantò oculus præſtat manibus, caput pedibus, ratio ſenſibus, anima corpori, finis omnibus quæ diriguntur ad finem, ſtatus motui, æternitas tempori, tantò contemplatio actioni præſtare videtur.* Solus Epicurus è veteribus Philoſophis (ut habet Laërt. in ejus vita) prudentiam contemplationi prætulit. Ille enim cùm nil ſupra corpus noverit, jure optimo circa divina ſe cœcum penitus manifeſtans, ſola humana magnifecit.

6. Recitat porrò Lentulus verba Carteſii quæ in fine ſunt hujus paragraphi: *cùm voluntas noſtra* &c. & annotat: *His & ſimilibus Cl. Revii æquiſſimam ſtateram appende: non te judicii ponderibus diſtractum, ſpondeo, dimittet*; cùm tamen nihil in ſtatera Revii, quod quidem invenire potuerim, de his habeatur. Nimirum, Lentulus, ubi Reviana deſcribit, Revium non citat,

tat, ubi nulla ſunt quæ deſcribere queat, augendi libri causâ citat.

7. Carteſius ut opiniones ex animo deleret, eo modo quo ſupra expoſitum, à ſolitudine iterum ſe ad peregrinandum, & converſandum cum hominibus contulit. Hîc Lentulus: *Converſatio cum hominibus quomodo judicia de rebus humana & omnes hominum opiniones evellat, non video. Felicem te ſcilicet, qui & ſolitudine adjuvari & hominum frequentia ad novas & inauditas opiniones radicandas, extirpatis ad tempus prioribus omnibus valeas.*

8. ℞. 1. quod garrit de omnibus opinionibus exſtirpandis, id cap. 9. ſatis excuſſum. 2. quoniam converſatione inter homines diſcitur *non omnes eos, qui opinionibus à noſtro ſenſu valdè remotis ſunt imbuti, barbaros idcirco & ſtolidos eſſe putandos; ſed pleroſque ex iis vel æquè bene, vel etiam melius quàm nos ratione uti*, de Meth. p. 14. & quia inter peregrinandum notare poſſumus *multa eſſe, quæ licèt moribus noſtris planè inſolentia & ridicula videantur, communi tamen aſſenſu apud quaſdam alias gentes comprobantur, atque inde diſcimus nihil nimis obſtinatè eſſe credendum quod ſolum exemplum vel conſuetudo perſuaſerit*, de Meth.

 p. 9.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

p. 9. manifeſtum eſt, converſationem facere ad mentem ab opinionibus variis liberandam. 3. Neque ullus admirationi locus eſt, quòd & in ſolitudine meditando & cum hominibus converſando proficere detur.

9. Tandem in fine ſectionis tertiæ Carteſius ait, ſe in Belgium ſeceſſiſſe, ut omnibus ſe avocationibus, quæ inter notos & familiares degentibus occurrunt, liberaret. Vbi Lent. *Non ſeceſſus ille, ſed celebritatis appetitio erat* &c.

10. ℞. 1. quaſi non potuiſſet Carteſius æquè Pariſiis vel in alia patrii ſoli civitate inclareſcere, ſi hoc tantùm quæſiviſſet, & non potiùs otium ſtudiis neceſſarium. 2. nec jure damnas in alio celebritatis appetitionem, cùm ipſe de te teſtari ſoleas, eandem ob cauſam te Galliâ relictâ Herbornam veniſſe. 3. Leidenſem & Vltrajectinam Academias laudando tuæ Sapientiæ aditum apud illarum Curatores (quibus eam dedicâſti) parare tentas, non verò probas quod inſtitueras, Carteſium celebritatis ſtudio in Belgium migrâſſe, cùm vulgo notum ſit, toto ferè tempore eum ruri habitâſſe. Vide Epiſt. Voet. parte prima, pag. 10. *ego autem ruri habito* &c. & Monumentum Holmiæ poſitum: *in villula ſolitarius propè Egmundam in Hol-*

*Hollandia, aſſidua viginti quinque annorum meditatione, auſo potitus eſt.* 4. quòd concludis, Carteſium *blanditias terrore temperâſſe*, agis more tuo. Si affectus tuos ratione temperares talia non ſcriberes.

## CAP. XXII.

### *De Metaphyſicis, ad ſectionem quartam.*

1. AVthor ſpecimen Methodi ſuæ in prima Philoſophia applicatæ daturus, breviter in hac ſectione ſummam Meditationum proponit. Quo id fine fecerit, pleniùs initio præf. ad Lectorem Meditationum his verbis ediſſerit: *Quæſtiones de Deo & Mente humana jam antè paucis attigi in Diſſertatione de Methodo rectè regendæ rationis & veritatis in ſcientiis inveſtigandæ Gallicè edita anno* 1637. *Non quidem ut ipſas ibi accuratè tractarem, ſed tantùm ut delibarem, & ex lectorum judiciis addiſcerem, qua ratione poſtea eſſent tractanda.*

2. Cùm igitur nihil hîc habeatur, quod non in Meditationibus longè accuratiori ſermone tractatum ſit, cumq; Cyriacus Lentulus omnes Meditationes occaſione hujus

ſectionis aggrediatur, nos earum defenſionem ſeorſum ſuſcipiemus, hac Diſſertatione abſoluta. Ordinis enim ſumus quàm Lentulus amantiores, neque ſcriptum primarium & maximè elaboratum (quale eſt Meditationum) quaſi per ſe locum non mereretur, ad ſecundarium & minùs politum (quale eſt de Methodo;) ſed potiùs hoc ad illud referendum eſſe judicamus.

3. Ne tamen nihil dicendo caput hoc imperfectum omnino relinquamus, prima hujus ſect. verba apponemus & quæ Lentulus ad ea pag. 73. annotavit, examinabimus, ut ex hoc veluti ungue (quo petulantiſſimè ſcalpere incipit divinæ veritatis adverſus Atheos ſtrenuiſſimum aſſertorem) leonem illum agnoſcamus.

4. Verba Carteſiii ſunt: *Non libenter hìc refero primas cogitationes, quibus animum applicui poſtquam huc veni; tam Metaphyſicæ enim ſunt & à communi uſu remotæ, ut verear ne multis non ſint placituræ; ſed ut poſſit intelligi an ſatis firma ſint Philoſophiæ meæ fundamenta, videor aliquo modo coactus de illis loqui.*

5. Verba Lentuli ſunt: *Artibus, quas hominum uſus peperit, ad cerebri Carteſiani normam reformatis, aut per contemptum ſive ignorantiam præteritis, Novæ jam Theologiæ fundamenta molitur, è Mathe-*

*mati-*

*maticorum circumſcriptionibus aut humanæ imaginationis ludibrio educenda. Theologiam non injuria appello; ubi de Dei exiſtentia agitur: Novam, quæ Philoſophiæ inventis miſta, omnium Theologorum principia evertit. Ad legem & teſtimonium Deus populum ſuum ablegat: ille ad cogitationem & inde demonſtratam hominis eſſentiam. Ignaros legis divinæ cœli & operum Dei inſpectione Deus convincit Rom. 1. v. 20. Ille dubitationem de cœlo & hoc inferiori mundo proponit, ad indagandam Dei naturam neceſſariam. Apud omnes omnium ſeculorum nationes nefas habitum eſt, dubitare an ſit Deus, aut veritatem ejus & bonitatem in dubium vocare. ille dubitationem ejuſmodi fundamentum maximè neceſſarium cognitionis de Deo & omnis ſcientiæ & aſſertionis etiam de rebus manifeſtiſſimis ponit.* Examinare, *inquit*, DEBEO an ſit Deus, & ſi ſit, an poſſit eſſe deceptor; hac enim re ignoratâ non videor de ulla alia planè certus eſſe unquam poſſe. *Meditat.* 3.

6. R. Quot verba tot mendacia. 1. Artes quas hominum uſus peperit ad cerebri Carteſiani normam fuiſſe reformatas cùm ſe ad primam Philoſophiam accingeret falſum eſt. Equidem in Matheſi jam longiſſima ſpatia confecerat; ſed regulas aliquot

Methodi & Morum ſibi præſcribendo Logicam & Ethicam nequaquam ideo reformaverat. 2. Nullas quoque earum artium per contemtum ſive ignorantiam præteriit, ſed fundamentis Philoſophiæ jactis eas ſuperſtruere cogitavit, & firmiſſimè ſuperſtruxit tum naturalem ſcientiam in Principiorum libris, tum moralis præcipua dogmata in lib. de Paſſ.

7. 3. Fundamenta *novæ Theologiæ* non molitur; Veteres enim concluſiones retinet, Deum exiſtere & veracem eſſe & luminis naturalis authorem & cauſam rerum omnium. Quòd autem concluſiones haſce novis demonſtrationibus fulcit, ſive potiùs (quia *vix ullæ dari poſſunt quin priùs ab aliquibus aliis fuerint inventæ*; uti teſtatur ipſe in Epiſt. ad Sorbon.) quòd *earum primas ac præcipuas ita proſequatur, ut pro certiſſimis & evidentiſſimis demonſtrationibus jam haberi debeant* (ut ibid. aſſerit) id novam Theologiam non facit: aut ſi dicatur nova ratione illius modi, non ideo erit falſa & erronea; ſed veriſſima ac certiſſima.

8. 4. Quòd è *Mathematicorum circumſcriptionibus* Theologiam ſeu Metaphyſicam ſuam moliatur Carteſius falſiſſimum eſt, nam hoc ipſo in loco, ubi rem aggreditur, Mathematicorum demonſtrationes,

falſas

falſas fingendo, ſeponit iiſque nec utitur nec abutitur. Deum verò & Mentem omnis figuræ, dimenſionis & quantitatis Mathematicæ expertes eſſe paſſim docet. 5. Æquè putidum, quòd *ex humanæ imaginationis ludibrio*, quoniam ex ſuæ mentis cognitione ad Dei notitiam provehitur. Atqui nec Deum nec Mentem humanam ſub imaginationem cadere poſſe oſtendit; intellectu enim res intellectuales, non imaginationis vi percipiuntur. Si ex cognitione ſui in cognitionem Creatoris adſcendere, eſt Theologiam ex ludibrio humanæ imaginationis educere, non Carteſius modò, ſed etiam Calvinus ejus criminis reus agitur, qui primo Inſtitutionum capite docet, *Dei notitiam & noſtri res eſſe conjunctas* (ita habet titulus) & in fine ſect. 1. Concludit: *Proinde unuſquiſque ſui agnitione non tantùm inſtigatur ad quærendum Deum, ſed etiam ad reperiendum quaſi manu ducitur.* Ita Stegmannus Photinianiſmi Diſp. 3. q. 1. contra Socinum naturalem Dei notitiam propugnans ait: *cauſa ſecunda arguit cauſam primam, mens humana deducit ad notitiam divina.* Vides, opinor, Lentule, iiſdem tecum armis pugnandum eſſe, quibus Sociniani procumbunt, quorum & opiniones & rationes tibi ſunt perquam familiares. v. g. quando p. 131. 132. & alibi, ex eo

quod fide Deus cognoſcatur, naturalem Dei cognitionem labefactare conaris. Sed ad rem præſentem revertamur, &, quod Theologi affirmant, etiam Philoſophi alicujus teſtimonio comprobemus. Franciſc. Piccolomin. in procœm. lib. 1. de hum. Mente: *Quicunque humanam mentem conſiderat, in parvo Mundo intuetur imaginem Dei, in humili ſede habitatorem Regium &c. Tenentur itaque animi generoſi, ut de ſui perfectione, ita de Mentis conſideratione eſſe ſolliciti.*

9. Audiatur & Philoſophus Platonicus: *Perfectum & abſolutum hominis officium eſt* (per hominem intelligit ibi mentem utentem corpore) *primò quidem ut naturam ſuam animadvertat, deinde ab illa tanquam ab imagine & effectu ad divinam mentem exemplar ejus & cauſam convertatur.* Sic Marſil. Ficinus in Argumento Alcibiad. 1. Etiam in confeſſo eſt, per ſcientias reparari, quantum noſtra ſinit infirmitas, naturalem cognitionem in primo parente amiſſam: atqui ille à Dei notitia ad reliquarum ſcientiam fuit progreſſus, id quod Thomas Anglus de Orig. Mundi cap. 8. §. 6. docet his verbis: *ex eo quod dicitur* (Deus) *inſpiraviſſe in faciem ipſius, & rurſus quod tulit eum & præcepit ei, ſatis apparet primum cognitum fuiſſe Deum, & per ipſum ad cætera cognita deriva-*

*riva-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*rivatam ipſius ſcientiam: primum enim quod apertis oculis objiciebatur erat inſpirator ante faciem ipſius conſtitutus: hunc itaque primum agnovit, adoravit & adamavit, ipſo monſtrante herbas & plantas, animalia & volucres, & vim, & ſingulorum naturas diſtinxit, & dono accepit in uſum & ſervitutem.*

10. Ex dictis 6. agnoſcitur, quàm inane ſit Lentuli mendacium, aſſerentis, primam Carteſii Philoſophiam *omnium Theologorum principia evertere*, cùm eadem principia ipſi Theologi citati aliique maximè probent & amplectantur. Hos inter Auguſtinus eminet, quem quartarum Ob. Author, & ipſe Theologus, initio ſui diſcurſus producens, *Hîc primum*, inquit, *mirari ſubit virum Clariſſimum* (Carteſium) *idem pro totius ſuæ Philoſophiæ principio ſtatuiſſe quod ſtatuit D. Auguſtinus, acerrimi Vir ingenii, nec in Theologicis modò, ſed etiam in Philoſophicis rebus planè mirandus. Lib enim* 2. *de Libero arbitrio cap.* 3. *Alipius cum Evodio diſputans probaturuſque Deum eſſe*, Prius, *inquit*, abs te quæro, ut de manifeſtiſſimis capiamus exordium, utrum tu ipſe ſis, an tu fortè metuis ne hac in interrogatione fallaris, cùm utique ſi non eſſes, falli omnino non poſſes? *quibus ſimilia ſunt Authoris noſtri* (Carteſii) *Verba*, ſed eſt deceptor neſcio



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

quis ſummè potens, ſummè calidus qui de induſtria me ſemper fallit: haud dubiè ergo etiam ſum ſi me fallit.

11. 7. Deus *ad legem & teſtimonium populum ſuum ablegat.* Etiam Carteſius quamvis Theologiam non doceat ex profeſſo, tamen *memoriæ noſtræ pro ſumma regula jubet infigi, ea quæ nobis à Deo revelata ſunt, ut omnium certiſſima eſſe credenda*, in fine primæ part. Principp. Quis autem ignorat, Theologiam Supernaturalem, non excludere Naturalem?

12. 8. Carteſius Philoſophiam orditur à ſe ſuaque cogitatione & eſſentia, exinde porrò Deum eſſe evincit. Idem Apoſtolus fecit in concione Athenis habita Act. XVII. 27. 28. *profectò non longè abeſt ab unoquoque noſtrûm. In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus: ſicut & quidam veſtratium poëtarum dixerunt, Nam hujus progenies etiam ſumus.* Ad verba illa, *non longè abeſt*, ita Stegman. Photinianiſ. Diſp. 3. q. 2. *quibus cauſa redditur, quare cognitio Dei naturalis non ſit difficilis* (NB) *quia ille nobis proximus eſt* &c. Etiam in praxi valet iſta Methodus, unde Thom. à Kemp. de Imit. Chriſti lib. 1. cap. 3. n. 4. *humilis tui cognitio certior via eſt ad Deum, quàm profunda ſcientia inquiſitio.*

13. 9. Car-

13. 9. Carteſius Mentem ſuam & Deum exiſtere, multò certius eſſe oſtendit, quàm exiſtere rem ullam corpoream, adeò ut licèt dubitemus de omnis rei corporeæ exiſtentia, non poſſimus tamen ambigere de exiſtentia Mentis noſtræ ita dubitantis, neque hanc poſſimus contemplari, quin illico Divinam Mentem exiſtere, â quo noſtra tota ſemper pendeat, intelligamus. Ex Dei deinde cognitione ad rerum creatarum & corporearum progreditur in Phyſicis, & ipſam etiam veram Corporum exiſtentiam tum in ſexta Med. tum initio ſecundæ part. Principp. certiſſima demonſtratione contra Scepticos tuetur. Nihil in hac Methodo eſt, quin à cordato laudari debeat. Non populo per ſenſibilia erudiendo, at Scepticis convincendis prima accommodatur Philoſophia, qui de ipſis ſenſibilibus hæſitando fluctuant. Non tollitur demonſtratio Dei à poſteriori, licèt ille ut corporearum rerum principium in Naturalis Philoſophiæ limine ab omnibus conſideretur.

14. 10. *Dubitationem de Dei exiſtentia ejuſque veritate & bonitate fundamentum maximè neceſſarium cognitionis de Deo & omnis ſcientiæ à Carteſio poni*, Lentulus æquè proterviter fingit ac finxit præcedentia. Et quem adjicit ex

Med. tertia locum, non id quod ipſe maledicendo excogitat, ſed planè contrarium demonſtrat. Nam ibi demonſtrationem exiſtentiæ divinæ daturus ait: *examinare debeo an ſit Deus* h. e. probare ipſius exiſtentiam debeo: quis autem Metaphyſicorum quæſtionem illam non proponit, quis non argumenta pro ea examinat? Fecit id quoque S. Auguſtinus, ut paulò antè accepimus ex quarto Opponente. Dei exiſtentiâ cognitâ Carteſius vult examinare, *an poſſit eſſe deceptor* (quibus verbis utitur occaſione objectionis antea prolatæ) ubi invenit, hoc planè repugnare, ac proinde Deum eſſe ſummè veracem probat Med. quarta. *Neque enim poteſt Deus, qui ſumma veritas & bonitas eſt, humanum genus, prolem ſuam decipere.* Marſ. Ficin. de Relig. Chriſt. cap. 1. Addit Cartes, *hac enim re ignorata*, id eſt, Dei exiſtentis veracitate naturali lumine nondum demonſtratâ, *non videor de ulla alia planè certus eſſe unquam poſſe.* Ergo pro fundamento omnis ſcientiæ ponit, non dubitationem de Dei exiſtentia & veritate; ſed utriuſque demonſtrationem indubitatam.

15. Hæc ad guſtum hoc loco ſufficiant, reliqua in Meditationum defenſione fuſiùs accuratiuſque tractabuntur. Tantiſper

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

tiſper igitur benevolus Lector tranſiliat ea quæ Lentulus à pag. 74. uſque ad 152. proponit, & mecum nunc ad quintam hujus diſſert. ſectionem, & ſextam tranſeat.

## CAP. XXIII.

### *Ad ſectionis quintæ initium.*

1. CVm in hac ſectione Phyſica tractentur, ſimiles ob cauſas ad tres Principiorum libros Phyſicos à nobis reſervabuntur, ob quas ea quæ in antecedente ſectione proponuntur, ad Meditationes Metaphyſicas retulimus. Proinde initium duntaxat hujus, uti fecimus in præcedente, hac vice expendemus.

2. Ita verò hanc ſectionem inchoat Carteſius: *Libentiſſimè hîc pergerem, & totam catenam veritatum quas ex his primis deduxi exhiberem; Sed quoniam ad hanc rem opus nunc eſſet, ut de variis quæſtionibus agerem inter doctos controverſis, cum quibus contentionis funem trahere nolo, ſatius fore credo ut ab iis abſtineam, & ſolùm in genere quænam ſint dicam, quò ſapientiores judicare poſſint, utrum expediat remp. literariam de iis ſpecialiùs edoceri. Perſtiti ſemper in propoſito nullum aliud principium ſupponendi, præter illud quo modò uſus ſum ad exiſtentiam Dei & animæ demon-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*demonſtrandum, nullamque rem pro vera accipiendi, niſi mihi clarior & certior videretur, quàm antea Geometrarum demonſtrationes fuerant viſæ. Nihilominus auſim dicere, me non ſolùm reperiſſe viam, qua brevi tempore mihi ſatisfacerem, in omnibus præcipuis quæſtionibus quæ in Philoſophia tractari ſolent; ſed etiam quaſdam leges obſervaſſe, ita à Deo in natura conſtitutas, & quarum ejuſmodi in animis noſtris notiones impreſſit, ut poſtquam ad eas ſatis attendimus, dubitare nequeamus, quin in omnibus quæ ſunt aut fiunt in mundo, accuratè obſerventur. Deinde legum iſtarum ſeriem perpendens, animadvertiſſe mihi videor multas majoriſque momenti veritates; quàm ſint ea omnia quæ antea didiceram, aut etiam diſcere poſſe ſperaveram.*

3. Eorundem verborum dimidiam partem Revius ſtateræ p. 50. exſcribit, potiùs ut libri ſui molem augeat, quàm ut impugnet. Lentulus verò pag. 153. ſequentia ſubjungit: *Quid dicam deſultoriam levitatem, niſi hanc mutandi toties propoſiti in rerum veritate inveſtiganda mobilitatem, non video. Auream nobis veritatum catenam promiſerat, ab animæ & Dei exiſtentia demonſtrandarum; vix jacto utcunque principio, vereor ne in ſtramineam nodorum laxitatem exeat. Abruptæ operis inſtituti machinæ*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

chinæ hanc cauſam adfert, quòd orturis ex hac re inter doctos controverſiis, funem contentionis trahere nolit. Atqui prævisam oportuit hanc prodeundi aſperitatem, quàm temerè magnas pollicitationes ſecutos, in viam dicam an in angiportum, unde cum pudore pedes reducendi erant, introducere. Deinde, quo pacto in rebus de natura contentionem novâ modeſtiâ fugiſti, in doctrina de Deo, & in ponendo omnium diſciplinarum principio non vitâſti? niſi fortè minori cum periculo iſtic quàm ibi diſſentiatur, & leviùs in natura obſcuritatem, quàm in Dei claritatem diſſerendi audaciâ peccetur. Commodum tamen à catena ad leges tranſitum molitur, ut quos illius firmitate vincire deſperaverat, harum terrore in officio credulitatis contineat. Quid autem vocet majoris momenti veritates, legum iſtarum tabula deſcribendas, ambigendi pretium eſt. Sive enim clariorem percipiendi & veriorem modum intelligit, catenam ante fabricæ traditam incertitudinis arguit. Sin res his legibus devinciendis capit: non video, quid Deo & animæ immortalitate, quam nectere catena cœperat, excellentius & majoris momenti eſſe queat. Quamvis enim ſecundùm Carteſium Deus dicatur ſui cauſa & à ſe eſſe, non amplius negativè, ſed

quàm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*quàm maximè poſitivè (Reſponſione ad primas Objectiones) tamen minoris momenti Veritatem de Deo quàm de Natura ſtatuendum non erat. cùm præſertim, Deum eſſe ſui cauſam & à ſeipſo poſitivè effici, non facilè quis noſtrûm Carteſio conceſſurus eſſe videatur. Nec ex eo quod (eadem Reſponſione) multò ampliorem facilioremque materiam claræ & diſtinctæ cognitionis in eo inveniat, quàm in ullis rebus creatis; ſi id maximè verum eſſet, examinanti ſequeretur, earum rerum conſiderationem minoris quàm rerum creatarum contemplationem momenti eſſe. Sed fortaſſis aërem hîc ferio, nec mentem Doctoris, quaſi de prioris vitæ erroribus locuti, capio. Verùm ubi animum ſcribentis intuendi facultas non datur, ambiguam locutionem ad ea, quibus proximè cohærent, referimus.*

4. ℞. 1. Nulla hîc deſultoria levitas, nulla propoſiti mutatio, nihil Carteſius promiſerat, quod non præſtiterit. Sed non promiſerat ſe in hac diſſertatione totam Phyſicam expoſiturum, quod ab eo flagitare ſtulti eſt. 2. Non ideo abrumpit veritatis inveſtigandæ opus inſtitutum, quòd illius inveſtigatæ ſummam Lectori tantùm hîc exhibet, quin potiùs in fine hujus Diſſert. teſtatur ſe totam vitam in opere iſto ad umbilicum ducendo locaturum. 3. Controverſias quantum licuit vitando prudentiùs egit quàm

quàm Lentulus in alienam meſſem abſque ulla neceſſitate infelicem falcem immittendo. Cur autem vitaverit in calce Diſſert. hujus edocet.

5. 4. Cur de Deo ſcientiæque omnis principio priùs meditata ſua in lucem ediderit, quàm Phyſica, cauſæ ſunt plures: prima quòd Methodi ſuæ ductu Metaphyſica priùs invenerat atque abſolverat quàm Phyſica, unde illa priùs exhibere poterat. Secunda, quia ordo docendi poſtulat, ut illa priori loco Lectoribus proponantur, utpote in quibus horum continentur fundamenta. Tertia, quia doctrina de Deo non eſt tot controverſiis obnoxia, quot Phyſica, & vix exſpectabat Carteſius qui pro Atheis & Scepticis, quos in Meditationibus confutat, certamen inire vellent. Obſervetur ex ſecundis Reſpp. hic locus p. 73. *Eſt notatu valdè dignum quòd omnes Metaphyſici in Dei attributis ( iis ſcilicet quæ per ſolam humanam rationem cognoſci poſſunt) deſcribendis unanimiter conſentiant, adeo ut nulla ſit res Phyſica, nulla ſenſibilis, nulla cujus ideam quàm maximè craſſam & palpabilem habeamus, de cujus natura non major opinionum diverſitas apud Philoſophos reperiatur.*

6. 5. Quid appellet *majoris momenti veritates* dubitandi locus nullus eſt, cùm eas expreſsè opponat, non veritatibus Metaphyſi-

cis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

cis, ſed *iis omnibus quæ antea didicerat aut etiam diſcere poſſe ſperaverat*, nempe in Phyſicis, antequam ſolida Philoſophiæ principia inveniſſet. Plures enim ac majores ſunt veritates Phyſicæ quas ex inventis principiis deduxit, quàm illa quæ (non dico, quas veritates) à præceptoribus, libris & aliunde olim adoleſcens acceperat.

7. 6. Deum *à ſe poſitivè effici* nuſpiam Carteſius aſſeruit, nam in primis Reſpp. hîc citatis ita loquitur p. 57. *etiamſi Deus nunquam non fuerit, quia tamen ille ipſe eſt qui ſe revera conſervat, videtur non nimis impropriè dici poſſe ſui cauſa. Vbi tamen eſt notandum, non intelligi conſervationem quæ fiat per poſitivum ullum cauſæ efficientis influxum, ſed tantùm quòd Dei eſſentia ſit talis ut non poſſit non ſemper exiſtere.* Quod clariùs exponit Reſpp. quart. initio Reſp. ad alteram partem p. 127. *Quod Deus ſit à ſe poſitivè & tanquam à cauſa; ubi tantum intellexi rationem propter quam Deus non indiget ulla cauſa efficiente ut exiſtat, fundatam eſſe in re poſitiva, nempe in ipſamet Dei immenſitate, quâ nihil magis poſitivum eſſe poteſt; ille verò* (opponens quartus) *probat Deum à ſe non produci, nec conſervari per poſitivum aliquem cauſa efficientis influxum, quod planè etiam affirmo.* Non aliud volunt Scholaſtici quando

do dicunt, Exiſtentiam eſſe de Eſſentia Dei, & jamdudum docuit Clariſſ. Heereboortius in coroll. 10. Diſputationis de Notitia Dei naturali præclaros alios authores ita fuiſſe locutos, uti Carteſius. *Deum*, inquit, *vi ſuæ eſſentiæ exiſtere, nihil eſt aliud, quàm eum eſſe à ſe poſitivè. Prior phraſis eſt Baronii in Philoſ. Theol. Ancill. Exerc. 1. art. par. 3. poſterior Hieron. Tom. 9. in Eph. 3. Auguſt. Tom. 3. de Trinitate l. 7. c. 1. & Tom. 4. l. 38. 44. Quæſt. 15. & 16. Videatur & Calvinus in Inſt. l. 1. c. 5. part. 6. ubi utriſque duriùs loquitur: quia æternum eſſe &* à ſeipſo principium habere, *neceſſe eſt, unde omnia trahunt originem.* Hæc ex obſervatione Heereboortii, quibus addo verba Majemonidis Mor. Nevoch. part. 1. cap. 63. in fine: *quòd Deus ſibi ſufficiat, neque opus habeat exiſtentiâ alius alicujus Entis, aut ut ab alio conſervetur: ſed exiſtentia Dei ſibi ipſi ſola ſufficiat:* quæ conveniunt cum verbis Carteſii initio hujus §. adductis. Pudet pigetque de nudis verbis tantas iniri pugnas, cum in re ſit conſenſus apertiſſimus.

8. Sed ad Lentulum revertor, qui veriſſimè tandem concludit ex longo Rhetoricationis itinere ad ſe reverſus: *fortaſſis aërem hìc ferio.* Nempe id ſępiuſculè bono viro contingit,

tingit, ut non Carteſium, ſed aërem; aut Carteſium quidem, ſed ferro non perforante feriat: ut liceat Auſonii verſus parum immutatos uſurpare:

*Non leo tam tenui patitur ſub arundine letum,*
*Nil vires ferri, nil ferientis agunt.*

## CAP. XXIV.

### *Ad ſectionis ſextæ initium, ubi de opinione circa motum terræ.*

1. HVjus ſectionis initium ſic habet: *Tertius autem nunc agitur annus, ex quo perveni ad finem tractatus, quo iſta omnia continentur, incipiebamque eum recognoſcere, ut poſtea typographo traderem; cùm reſcivi viros quibus multum defero, & quorum authoritas non multò minùs in meas actiones poteſt, quàm propria ratio in cogitationes, opinionem quandam Phyſicam improbâſſe, paulò antè ab alio in lucem editam; cui nolo dicere me adhæſiſſe, ſed tantùm nihil in illa ante ipſorum cenſuram obſervaſſe, quod ſuſpicari poſſem aut religioni aut reipublicæ noxium eſſe; nec proinde quod me impediturum fuiſſet ipſam tueri, ſi ratio veram eſſe perſuaſiſſet; hocque mihi metum inuſſiſſe ne pariter inter meas*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*meas aliqua inveniretur in qua à vero aberraſſem ; Quanquam ſanè magno ſemper ſtudio curavi, ne ullis novis opinionibus fidem adhiberem, quarum demonſtrationes certiſſimas non haberem, aut quidquam ſcriberem quod in ullius damnum cedere poſſet. Hoc verò ſatis fuit ad me movendum ut à propoſito illas evulgandi deſiſterem. Etiamſi enim rationes quibus ad cogitationes meas edendas inductus fueram validiſſimæ eſſent, genius tamen meus, qui ſemper à libris ſcribendis abhorruit, fecit ut ſtatim multas alias invenirem, quibus me ab illo labore ſuſcipiendo excuſarem. Et iſtæ rationes ab utraque parte tales ſunt, ut non ſolùm mea eas hîc recenſere aliquatenus interſit, ſed etiam fortaſſe reipublicæ literariæ illas cognoſcere.*

2. Revius ſtateræ pag. 54. *Non eſt conjectu difficile, quænam ſit illa opinio, & quinam viri illi auctoritate apud Carteſium pollentes qui eam improbârunt. Loquitur enim procul dubio de opinione Copernicana, ſuper motu terræ & quiete ſolis, quæ à Congregatione quinque Cardinalium, qui Indici librorum præpoſiti, Anno* CIↃ IↃCXVI. *his verbis condemnata fuit* &c.

3. ℞. Non eſt cur diu conjecturæ tuæ refellendæ immoremur, ſufficit eſſe conjecturam, de ipſa re agêtur ad partem tertiam

tiam Principiorum. Hoc certè loco ſuas opiniones apertè diſtinguit Carteſius ab illa quam refert improbatam, hanc enim ut alienam conſideravit, non ut ſuam. Attende verba: *ne pariter inter meas* &c. Verumenimvero commodè evenit, Domine Revi, quòd Papa vel Cardinalis non ſis, aliàs mox ſimile fulmen intorqueres. Interim ſapientes viri rationis ponderi plus dabunt, quàm bullis bullá levioribus. Nec Lovanienſibus tanti fieri ejuſmodi edicta video, ut eâ causâ rationibus expendere rem ſuperſedeant, cùm diſputatione Lovanii 1651. 31. Iulii & die ſeq. habita, præſide D. ac M. Guilielmo van Gutſchoven Lovanienſi S. T. Licentiato & Philoſophiæ Profeſſore primario, poſita & aſſerta hæc corollaria: 3. *Non avium volatus, gravium caſus, ex tormento globi exploſio, multò minùs Scripturæ locus, quòd Ioſue pugnante Sol ſteterit, terram quieſcere probant.* 4. *Tycho verbo minùs, aſt reipſa plus motus terræ tribuit, quàm Copernicus.*

4. Lentulus annotat p. 185. *Cùm veritas veritati non adverſetur; nec idem eadem de re perſuaſus eſſe poſſit, ſe demonſtrationes certiſſimas habere, & tamen metuere ne à vero aberraſſet: mirum qui in mentem venire poſſit quibuſdam*

νεοφύ-

*νεοφύτοις, errorum omni offendiculo Carteſium liberare, & quaſi pede nuſquam offenſuro auditores ſuos deducere &c.*

5. R. Fingis Carteſium indicare, quòd perſuaſus ſit ſe demonſtrationes certiſſimas habere *de eadem re*, in qua idem metuat ne à vero aberrârit. Carteſium à ſectatoribus errorum omni offendiculo liberari ſemper ogganis fruſtra, cùm illis unum hoc ſufficiat, quòd tu & tui ſimiles nullos in eo errores demonſtrare poſſitis, licèt in eo toti deſudetis. Quod in ſeqq. ais Carteſiana *opera nihil eſſe niſi fluctuationes*, id ſolùm probat animi tui in maledicendo immotam pervicaciam. Dum *malo genio nequiter & impiè ſummam potentiam* à Philoſopho affingi ais, nequiter agis. Nil tale haberi Meditatione prima, ad quam alludere videris, cùm ad eam perventum fuerit, tibi ac Doctori tuo Revio oſtendam. Permitte verò mihi, ut verbis te alloquar Scaligeri, ex fine Exercit. 251. *Non eſſe locum hîc huic rei conſiderandæ* &c. *Tibi verò tuoque ingenio nihil difficile aut præpoſterum. Omnia præſentia ſunt, tanquam Deo ipſi, quæ ubi, & quando libitum fuerit, & promis, & condis, judiciorum noſtrorum tam ſecurus, quàm jacturæ dignitatis tuæ.*

6. Pergis pag. 186. *Rationes deinde di-*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*vulgandi aut ſupprimendi partus ſui, quas domi ſecum aut inter libros ventilare debebat, in tædium lectorum augendæ libri moli inſevit.* ℞. quaſi verò augendæ libri modi hoc inſeverit, quod & ſua interfuit dicere, & reip. literariæ cognoſcere? quaſi non ſimile faciant alii ſcriptores? Inſpice Kepleri (ne alios memorem) Epit. Aſtron. Copernic. pag. 420. Videbis eum illud in unius libri partis præfatione feciſſe, quod noſter Author in hac Diſſertatione, quæ totius Philoſophiæ ab ipſo traditæ ac tradendæ præfationem continet.

7. Attexis p. 187. *Opinionem illam Phyſicam, quam viri quorum judicio tantum defert Carteſius, improbaverunt, non ſine cauſa vir Clariſſimus opinatur eſſe ſententiam nuper defendi cœptam, & de motu terræ, & quiete in centro mundi ſolis: damnatam à pontificiorum cœtu; in viſcera Eccleſiæ reformatæ intrepidè ſerpentem. Rationes à natura petitas, quas ab utraque parte non contemnendas habeat, non eſt hujus loci ventilare. Hoc ſaltem dico, metuendum eſſe tandem, ne majori apud pontificios, quàm eos qui ſcripturarum authoritatem hactenus* μέχρι τοῦ αἵματος *certando defenſitârunt, ſcripturæ ſacræ pretium & authoritatem valere. Illi opinionem Mathematicorum novam &c.*

8. ℞.

8. ℞. *Vir ille Clariſſimus* Revius tuus eſt, uti vidimus, à quo niſi adjutus fuiſſes, non puto inermem te in hanc aciem prodire auſum. Sententiam de motu terræ & quiete in centro mundi ſolis *nuper defendi cœptam* cùm opinaris, & *novam* vocas, valde ignarum te prodis antiquitatis, quam crepare ſemper aliàs conſuevisti. Ex antiquis ipſis (verbis utor Gerh. Ioh. Voſſii) ſimiliter ſapuit Pythagoras: ut qui Solarem ignem conſtituerit in meditullio mundi, eumque dixerit Διὸς φυλακὴν, Iovis cuſtodiam; ut eſt apud Ariſtotelem in ſecundo de cœlo cap. XIII. Eadem quoque ſententia fuit Ariſtarchi Samii: ut qui & ipſe ſcripſerit, ſtellas fixas & ſolem non moveri; terram autem circa ſolem in orbem verti; ut teſtatur Archimedes de Arenæ numero. Mitto Philolaum, Hicetam Seleucum, Cleanthem Samium, Heraclidem, Ecphantum; imò Platonem jam ſeniorem; de quo id traditum Theophraſto. Mirum verò & in hac opinione fuiſſe multò omnibus iſtis antiquiorem Numam Pompilium: qui, ut proditum Plutarcho, templum Veſtæ rotundum fecit ad imaginem Vniverſi, inque medio ejus conſtituit æternum ignem, ut Solaris ignis ſymbolum.

9. *Non eſt hujus loci ventilare* ] ℞. Sed nec erant hujus loci declamationes illæ,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

quibus paginas aliquot complevisti. Animadvertere autem debebas 1. te non modò Carteſianam de motu aut quiete terræ ſententiam, ſed quid ipſe motus in communi ſit, planè ignorare. 2. Solem in centro mundi à Carteſiana Philoſophia non collocari, quippe quæ nec centrum ullum, nec circumferentiam Vniverſi determinare præſumit. 3. plures eſſe & fuiſſe pios & Orthodoxos tum Academiarum Profeſſores, tum Eccleſiarum Paſtores, qui opinionem de motu terræ foverint ac defenderint. 4. te cùm nec Philoſophiæ Carteſianæ conſentaneam, nec Scripturæ ſacræ contrariam eam probaveris, declamatione tua operam ludere, ac denique forenſi rabula impudentiorem, alieno & loco & tempore de ignota cauſa perorare.

## CAP. XXV.

*Ad parag. ſecundum: de Methodi Carteſianæ uſu, de Philoſophiæ principiis, Phyſicæ utilitatibus in dominio, rerum naturalium acquirendo, ſanitate tuenda &c.*

1. SEcundum hujus ſectionis §. ita Carteſius incipit: *Nunquam ea magnifeci quæ ab ingenio meo proficiſcebantur, & quam-*

*quamdiu nullos alios ex ea qua utor Methodo fructus percepi, niſi quod mihi in quibusdam dubiis ſatisfeci ad ſcientias ſpeculativas pertinentibus, aut meos mores componere conatus ſum ſecundùm rationes quas me docebat, non putavi me quicquam ea de re ſcribere teneri.*

2. Ad hæc Lentulus p. 191. *Quàm propè veritati accedat glorioſa modeſtia, nunquam te ea magni feciſſe, quæ ab ingenio tuo profecta ſunt, ut actiones tuæ & reliqua ſcripta aboleantur, vel ex hoc loco, convinceris. Et ſciendi & vivendi regulam tibi Methodum tuam ponis. 1. in quibusdam dubiis tibi* SATISFECISTI *ad ſcientias ſpeculativas pertinentibus. Quæ autem ſint iſta* QVÆDAM *dubia, ipſe in epiſtola ad Patrem Dinet Societatis Ieſu aperuiſti.* Spero, *inquis*, me veritatem eorum omnium de quibus in Philoſophia ſolet diſputari, tam clarè eſſe expoſiturum, ut quicunque illam quærent, perfacile ipſam ibi ſint inventuri. *Et quibusdam interjectis*: plus ſexcentis quæſtionibus explicui, quæ ſic à nullo ante me fuerant explicatæ &c. *Effunditur deinde in laudationem principiorum Philoſophiæ ſuorum.* Quantum ad principia, ea tantùm admitto, quæ omnibus omnino Philoſophis hactenus communia fuêre, ſuntque iccirco omnium antiquiſſima;



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

& quæ deinde ex iis deduco, jam antè in in ipſis contenta, & implicita fuiſſe, tam clarè oſtendo, ut etiam antiquiſſima, utpote humanis mentibus à natura indita, eſſe appareat. *Fortè quis mecum quæritet, ubinam extent illa non ſatis unquam laudata principia, omnibus Philoſophis communia, ideoque antiquiſſima, & humanis mentibus à natura indita. Suſpicari in mentem venerit, eſſe aliquem librum, qui lucem nondum viderit, nec manibus dum hominum teratur. Non ita eſt.* Etenim in paucis illis Meditationibus quas edidi principia omnia Philoſophiæ quam paro continentur. *Sic idem de ſeſe & principiis ſuis in eadem ad Patrem Gallum epiſtola. Quam vana oſtentatione hic glorietur, vel mediocri acumine Meditationes ejus perlegentibus facilè patebit.*

3. *Vel ex hoc loco convinceris*) convince igitur, glorioſe miles. *& ſciendi & vivendi*) ſi Methodi ſuæ beneficio tum ad theoreticas, tum ad practicas veritates perductus fuit, quid ni potuerit ſecundùm has mores ſuos emendare? Tumorum regulas convitiis & calumniis & malevola obtrectatione conculcas, hac tua Sapientia teſte.

4. *Quæ autem ſint iſta quædam dubia &c.*) Perperam id aſſeris. Nam in quibusdam

dam dubiis ſibi ſatisfecerat antequam notiones generales Phyſicam ſpectantes ſibi comparâſſet, illa verò quorum mentionem facit in citata epiſtola, poſtea demum invenit, ſicuti ex hoc §. patet: *Sed ſtatim atque notiones* &c. ubi nota particulam adverſativam præcedentibus verbis oppoſitam.

5. *Vbinam exſtant illa non ſatis unquam laudata principia*) Rɛ. Epiſtolæ illius p. 152. illa de quibus loquitur principia ſunt, *figuræ*, *motus* & *notiones communes Metaphyſicæ*, uti ibidem diſertè ſcribitur. Deinde in fine Epiſtolæ quando ait in Meditationibus omnia Philoſophiæ principia quam parat contineri, nihil aliud intelligit, quàm *exiſtentiam mentis & cogitationis*, *ex qua evidentiſſimè deduxit Deum eſſe*, *qui auctor ſit eorum omnium quæ in hoc mundo reperiuntur*, *quique cùm fons ſit omnis veritatis intellectum noſtrum ejus naturæ non creârit ut decipi poſſit in judiciis quæ facit de rebus quas clariſſimè & diſtinctiſſimè percipit*, quemadmodum docet in Epiſtola Gallicæ Princípp. editioni præfixa, ubi addit: *Hæc omnia mea principia ſunt quibus in rebus immaterialibus ſive Metaphyſicis utor; ex quibus rerum corporearum ſeu Phyſicarum principia quàm clariſſimè deduco, ſcilicet dari corpora in*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*longum, latum & profundum extenſa, variis figuris prædita, & quæ diverſimodè moveantur. Habes hîc ſummatim omnia Principia ex quibus veritatem aliarum rerum deduco. Altera ratio quæ Principiorum evidentiam probat hæc eſt; Illa omni tempore cognita, quin imò pro veris & indubitatis à cunctis hominibus habita fuiſſe, ſolâ Dei exiſtentiâ exceptâ, quam aliqui in dubium revocârunt, quia ſenſuum perceptionibus nimium tribuebant, & Deus nec videri nec tangi poteſt.* Poſtremò ſubjungit: *Verùm etiamſi omnes illæ veritates quas pro Principiis meis habeo, ſemper & ab omnibus cognitæ fuerint, nemo tamen quod ſciam, hactenus fuit qui pro Philoſophiæ Principiis eas habuerit, id eſt qui agnoverit omnium aliarum rerum quæ in mundo ſunt notitiam ex iis deduci poſſe.* Ex quibus diſcis, aliud eſſe, Carteſiana Principia omnibus eſſe communia, quatenus pro veris à cunctis admittuntur, aliud verò eſſe, ſi quæras, an ab omnibus habeantur pro Principiis, quòd multò plus eſt. Etenim permulta certa & vera eſſe nobis perſuademus, quibus Principiorum conditiones & officia non illico tribuimus.

6. Pergit Lentulus pag. 193. demonſtraturus Carteſiana Principia ab omnibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

bus Philoſophis non eſſe habita *pro Principiis*, cùm demonſtrare deberet, non eſſe habita *pro veris & certis*. At ponamus verba, ut reliquas ejus prævaricationes obſervemus: *Quis Peripateticorum, Stoïcorum, Epicuræorum dubitationem de rebus omnibus veritatis inquirendæ fundamentum poſuit? Quis omnium quæ unquam viguerunt ſectarum ex hoc principio*, Cogito ergo Sum, *Dei & naturæ cognitionem deduxit? Quotusquisque Philoſophorum vel mediæ plebis homunculus, probationem exiſtentiæ Dei neceſſariam judicavit, aut illis argumentis ad eam demonſtrandam uſus eſt? Prætereo cætera ipſis aranearum telis inaniora. 2. Mores ſuos, non ad divinæ legis formam, ac ne quidem ad ſapientium virorum vel ſeparatas vel in unum collectas ideas, ſed ſecundùm methodi ſuæ rationes componere conatus eſt. Laudabile ſanè conamen, ſi ſuæ quisque vitæ feliciter & decorè agendæ certa ſibi regula eſſe poteſt. Sin etiam inter pientiſſimos*, πολλὰ πταίομεν ἅπαντες *Iacob.*3.*certiori aliunde vitæ & morum fulcra conquiramus, nec ſuo quisque ingenio aut morum ſanctitati confiſus* πολλοὶ διδάσκαλοι γινώμεθα.

7. *Dubitationem de rebus omnibus*) R. Carteſius paulò antè cuncta ſuæ Philoſophiæ



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

Principia nobis enarravit, quæ inter non comparet Dubitatio de rebus omnibus. Verum quidem eſt, quòd illa principia dubitando & inquirendo invenerit. Sed in eo benè illum egiſſe partim cap. 9. didicimus, partim in defenſione Meditationis primæ cognoſcemus. Peripateticos eorumque principem Ariſtotelem dubitationem inquirendæ veritatis initium feciſſe Clariſſ. Heereboortius Diſputatione ſuprà citata evicit. Verba Ariſtotelis ſunt 3. Metaph. cap. 1. *Ad illam quæ quæritur ſcientiam, neceſſe eſt primum nos percurrere de quibus primò eſt dubitandum. Hæc autem ſunt, & quæcunque de iis aliter quidam exiſtimârunt, & ſi quid ultra hæc prætermiſſum ſit. Eſt autem operæ pretium, aliquid facultatis habere volentibus, bene dubitare: nam poſterior facultas, ſolutio eſt eorum, quæ antè dubitata fuerunt. Solvere autem non eſt, cùm nodus ignoretur: ſed intellectus hæſitatio, manifeſtum hoc de re facit. Quatenus enim dubitat, eatenus ſimile quiddam ligatis patitur: utroque namque modo impoſſibile eſt ad ulteriora procedere: Quare omnes primò difficultates ſpeculari par eſt, & horum gratiâ, & propterea, quod illi, qui quærunt, niſi primò dubitent, ſimiles ſunt illis, qui quonam ire oporteat, ignorant; & adhæc, neque,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*que, utrum invenerint, quod quæritur, annon, cognoſcere poſſunt. Finis etenim his quidem non eſt manifeſtus: illi autem, qui antea dubitaverit, pateſcit. item, melius ſeſe habere neceſſe eſt illum ad judicandum, qui, tanquam adverſarios, omnes utrinque rationes, audiat.*

8. *Quis omnium*) ℞. ex ſui exiſtentis cognitione ad Dei, ex Dei exiſtentis & veracis ad naturæ cognitionem provehitur Carteſius, quis unquam hanc Methodum improbavit? De Mentis ad Deum adſcenſu Authores cap. 22. ad partes noſtras vocavi. Viam à Dei notitia ad Naturæ ſcientiam tenent omnes probi Phyſici, quando Phyſiologiæ initio de cauſa prima & univerſali differunt. At quid quæſo te impellit, Domine Lentule, ut huic methodo adeò te inimicum præbeas? Si ipſe tui ac Dei cognitione minùs delectaris, ſi recuſas à Dei principis ſubditarum ei rerum cognitionem arceſſere, aliis hanc viam relinque, qui eam ſimplici animi pietate libenter terunt, ac tibi ſaniorem mentem precantur.

9. *Probationem exiſtentiæ Dei neceſſariam judicavit*) ℞. Omnes Metaphyſici, omnes qui contra Atheos ſcripſère. Ab hac probatione ſuos de Veritate Religionis Chriſtianæ libros inceperunt Mornæus,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

Grotius, alii. Quid de Naturalis Theologiæ Scriptoribus loquor? nemo eorum, qui Supernaturalem tradunt, reperitur, quin in Loco de Deo ante omnia exiſtentiam ejus demonſtret. Scilicet omnes illi oleum perdunt, ea agentes, quæ nec ad eſſe, nec ad bene eſſe neceſſaria ſunt. Aut tu malevolus es optimi cujuſque obtrectator, aut nunquam legiſti tritos cunctorum manibus libros.

10. *Aut illis argumentis*) ℞. Carteſius ab intellectu noſtro & notione ſive idea Dei, quæ eſt in ipſo, pro ſupremi Entis exiſtentia argumenta petit. Similibus utuntur alii ſuprà citati, quibus nunc addo Conradum Bergium, Theologum & Philoſophum non è multis. Is Principiorum Theologiæ Theoreticæ cap. 4. ſ. 1. §. 18, 19. ſic ſcribit: *Addi poſſunt argumenta aliqua, quæ, & eſſe Deum, & unum & infinitum eſſe demonſtrent, quæ deſumi queunt 1. ab intellectu noſtro. Nam ſi quicquam in illo verum eſt, illum certè conceptum verum eſſe oportet, qui naturâ neceſſariò ineſt. Atqui ineſt neceſſariò conceptus entis ſimpliciter, ob quam cauſam hunc conceptum ut naturâ notum initio poſuimus. Nam ut præcognito primo vidimus, intellectus à quavis re ſingulari ſuâ naturâ abſtrahit conceptus communiſſimos entis & non entis, eoſque certo ordine inter ſe opponit, ita ut & extrema & media*

*com-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*complectatur. Sicut enim eſt extremum, in quo ſimpliciter excluditur perfectio, nimirum Nihil negativum ſeu non-ens ſimpliciter: ita eſt & alterum extremum, in quo ſimpliciter excluditur imperfectio, quod eſt Deus ſeu ens ſimpliciter* &c. Confer cum his illa Carteſiana Med. quarta: *animadverto non tantùm Dei, ſive entis ſummè perfecti realem & poſitivam, ſed etiam, ut ita loquar, nihili, ſive ejus quod ab omni perfectione ſummè abeſt, negativam quandam ideam mihi obverſari* &c. Bergius ibid. §.9. addit: *Ex hoc argumento intelligi poteſt, quo pacto Deum non tantùm in rebus generatis & productis extra mentem; ſed etiam intus in animo ſentire propemodum ac palpare poſſimus.* Sed quid Bergium nomino, infiniti ſunt, qui ſimilibus argumentis Dei comprobavêre exiſtentiam, quamvis ex omnibus nemo, quantum nobis eſt compertum, tali ἀκριβείᾳ ea fuerit perſecutus, quali Philoſophus noſter. Hanc ſollertiam culpæ ducis, inique judex?

11. *Prætereo cætera ipſis aranearum telis inaniora*) ℞. Cætera Carteſii Principia (nam de iis ſolis hîc ſermo eſt) ſunt Dei *veracitas* & *infinitas*. Ab illa omne cognitionis & ſcientiæ lumen Philoſophus noſter arceſſit P.I. 29. & alibi: ab hac leges naturæ ſeu regulas Motûs, quæ Phyſicæ ſunt funda-

mentum, de Meth. p. 39. P. II. 36. ſqq. Hæc Principia (nulla enim ſunt poſt Mentis noſtræ Deique exiſtentiam, quæ dixiſti, quàm reliqua attributa divina) indicium faciens pietatis tuæ, aranearum telis inaniora vocitas.

12. *Mores ſuos non ad divinæ legis*) ℞. quaſi Morales regulæ (quas Methodi beneficio invenit & vitâ exprimere tentavit Carteſius) repugnent divinis legibus, nec ſimul ethicis, ſimul divinis præceptis queat obtemperari? Aliter Morales Philoſophi, aliter cordati omnes, naturæ lumen ſupernaturali ſubordinantes, non opponentes. Ac ne quidem ſapientium Virorum ſententiis obedire Philoſophus detrectavit, vel regulâ morali primâ & hujus ſectionis initio teſtantibus. Sed incredibilis tuæ maledicentiæ nec modus eſt, nec terminus.

13. Pergit Carteſius: *Sed ſtatim atque notiones aliquas generales Phyſicam ſpectantes, mihi comparavi, earumque periculum facere incipiens in variis particularibus difficultatibus, obſervavi quouſque illæ me deducere poſſint, & quantum à principiis differant quæ hactenus in uſu fuerunt; credidi me eas occultas detinere non poſſe, abſque gravi peccato adverſus legem jubentem ut, quantum in nobis eſt, generale omnium hominum bonum procuremus.*

14. Ad

14. Ad quæ Lentulus : *Atqui hac ipſa pagina dixeras, non putaviſſe te quicquam ea de re ſcribere teneri : & infra poſt diſceptationem aliquam, conſilium illud iterum recipis, & rejectum alio loco reſumis. Ita in re non magna ambiguitatis animum diſtrahendo, ſi quid alios certi docere poſſis miror.*

*Carteſii, magno quas pollicitatur hiatu,*
*Principium, Medium, Finis* DVBITATIO
*Legum.*

15. *Hac ipſa pagina*) ℞. non putavit ſe quicquam ſcribere teneri, quamdiu ſibi tantùm in quibuſdam dubiis ſatisfecit, generalibus Phyſicæ notionibus nondum repertis. At his repertis cognovit talia inde deduci poſſe, quæ aliis etiam in plurimis ſatisfacerent. Quæ cùm clariſſimè hac ipſa pagina ab Authore dicantur, miror cur non pudeat cavillationis te tuæ. Prætereo quod paulò ante mentiebare, Carteſium *non ſatis cautum fuiſſe in amplexando ingenii ſui fœtu,* & pergo ad reliqua.

16. *In re non magna ambiguitatis*) ℞. De publico bono ſcriptis promovendo deliberatio tibi res vilis videtur. Carteſius cùm humano generi utiliſſima longo multorum annorum ſtudio inveniſſet, quando & quomodo communicanda eſſent publico, ſeriò ſecum deliberavit. Tu paucarum ſeptimanarum præcipitata ſcriptitandi opera (ut tibi reſor-

reſorbenda præbeam verba Dedicationis tuæ) conſarcinatum famoſum & publicæ rei noxium libellum ſine deliberatione in lucem protrudis: Vter fecerit meliùs, Lector æſtimet.

17. *Si quid alios certi docere*) R. perversè confundis ipſum docendi actum cum conſilio quod Author inivit de edendo ſcripto quo doceret. Si rationes ſcribendi & non ſcribendi in utramque partem apud animum ſuum priùs expendit, non ideo docuit alios incerta, poſtquam ad ſcribendum ſemel ſe determinavit:

*Lentulus obtrectans magno nugatur hiatu,*
*Principium, Medium, Finis* CONFVSIO *libri.*

18. Carteſius porrò: *ex iis enim* (ſcil. notionibus generalibus Phyſicam ſpectantibus) *cognovi, ad notitias vitæ valde utiles poſſe perveniri; & loco Philoſophiæ illius ſpeculativæ quæ in ſcholis docetur, poſſe Practicam reperiri, qua cognitis viribus & actionibus ignis, aquæ, aëris, aſtrorum, cœlorum aliorumque corporum quæ nos circumſtant, adeo diſtinctè atq; diverſas opificum noſtrorum artes novimus; adhibere pariter ea poſſemus ad omnes uſus quibus inſervire apta nata ſunt; atque ita nos velut dominos & poſſeſſores naturæ efficere. Quod ſanè eſſet optandum non tantum ad infinitorum artificiorum inventionem, quæ efficerent ut ſine labore*

*bore fructibus terræ & omnibus ipſius commodis frueremur; ſed præcipuè etiam ad valetudinis conſervationem, quæ ſine dubio primum eſt hujus vitæ bonum & cæterorum omnium fundamentum. Animus enim adeò à temperamento & organorum corporis diſpoſitione pendet, ut ſi ratio aliqua poſſit inveniri, quæ homines ſapientiores & ingenioſiores reddat quàm hactenus fuerunt, credam illam in Medicina quæri debere. Verum quidem eſt eam quæ nunc eſt in uſu, pauca quorum adeo inſignis ſit utilitas continere. Sed quamvis ipſam contemnere nullo modo ſit animus, confido tamen nullum fore, etiam inter eos qui illam profitentur, qui non confiteatur, omnia quæ hactenus in ea inventa ſunt, nihil propemodum eſſe, reſpectu eorum quæ ſcienda adhuc reſtant: hominesque ab infinitis tam corporis quàm animi morbis immunes futuros, imò etiam fortaſſis à ſenectutis debilitatione, ſi ſatis magnam cauſarum à quibus mala iſta oriuntur, & omnium remediorum quibus natura nos inſtruxit, notitiam haberemus.*

19. Audiamus de his tonantem Lentulum: *Dulcedine ſpeculationum & operis promiſſi amore abreptus, ſomniare iterum & extra ſanæ mentis liram ferri incipit: ſed diverſo quàm prima Meditatione delirio. Ibi enim horrore & aſcendentis atræ bilis fuli-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*fuligine, hic delectatione & leviorum ſpiri- tuum, cogitationis ſedem leniter tangentium, jucunditate perfunditur. Vtrobique in naturam & ejus opificem Deum injurius. Ibi cœlum & terram eſſe negando, dominium in ea Deo eripiebat, imò & eſſentiam: hîc ſibi naturam ſubjiciendo æqualem quodammodò Deo majeſtatem affectat. Imò cum Deo de poteſtate & erga genus humanum benignitate certat, morborum animi & corporis abolitionem, ſenectutis & eam ſecutæ debilitatis ablationem, & quod inde ſequitur, mortis exterminium pollicendo. Philoſophiam primò* practicam *nobis promittit: non quo ſenſu à Peripateticis appellatur, vitiorum & animi morborum adverſaria, & affectuum ad rationem temperandorum moderatrix: ſed nova prorſus* denotatione, *ingeniorum à naturæ contemplatione ad ejus operationem & dominium avocatrix. Conferantur jam hæc cum ſuperioris paragraphi initio: Nunquam ipſum ingenii ſui partum magni feciſſe. Certè hic abortum, nunquam in lucem proditurum, tanta cupiditate amplexatur.* Cognitis viribus & actionibus ignis, aquæ, aëris, aſtrorum, cœlorum aliorumque corporum quæ nos circumſtant, *admirandæ nobis facturæ & vitæ ſuaviter agendæ nobis ſpem facit. Sed* 1. *& vires corporum & actiones tollit, nihil præter extenſionem, & huic ad-*

*junctum ſitum, figuram, loci mutationem relinquendo. 2. Adam & ingenii perſpicuitate & diuturnæ vitæ obſervatione melius naturam rerum, quàm quivis noſtrorum cognitam habuit: vel ſi mavis Salomon & prioribus & ſecuturis hominibus ingenii ſagacitate omnem æmulandi fiduciam abſtulit: & tamen nec ad eam ſanitatis & vitæ conſervandæ perfectionem aſcendit, nec in naturam rerum dominationem affectavit. 3. Quin ergo tu & diſcipuli tui ſtatis promiſſis: & ſi invidiâ erga genus humanum ardetis, ſaltem vobis & vitæ ſuaviter agendæ diuturnitatem, & artificiorum infinitorum inventionem præſtatis; & veſtrum tandem gregem* dominos & poſſeſſores naturæ *efficitis.* Quod ſanè eſſet optandum, *fateor & ipſe: ſi optanda ea ſunt, quæ ſi aſſequare, Deum imperii ſolio exturbant, ſi conſecutionem eorum omnis ſana ratio abnegat, inanis cogitationis ſtolidam jucunditatem arguunt. Rogati tamen per amicitiam & nobis beatitudinis veſtræ partem non invidete*, ut ſine labore fructibus terræ, & omnibus ipſius commodis fruamur. *Vel ſi id nobis impertiri nefas eſſe judicatis, veſtræ ſapientiæ arcanis non initiatis; faceſſite hinc è mundo noſtro in veſtram ſive Eutopiam ſive Vtopiam,* &c. *Nobis agendo & operando victum eſſe quærendum arbitramur, adeo ut ſecundùm*

*dum eloquium D. Pauli, Qui non vult operari, ne manducet quidem. Terram ipſam propter primi hominis lapſum maledictam eſſe, ut non ſine ærumnis fruges percipiantur, divino oraculo credimus. Nec Ethnici, quamquam obſcurâ cognoſcendi nebulâ, ab hac cognitione procul abfuêre: Expulſo auri, quod ſub Saturno floruerit, ſeculo, Iovem laboribus voluiſſe mentes hominum exercere, ne otii torpedine ſitum adducerent. Aut novus igitur, redactâ in poteſtatem veſtram naturâ, orbis vobis eſt fingendus: aut ſi hoc noſtro uti velitis, calamitates vobis, & qua lege nati eſtis, rerum humanarum vices ſubeundas eſſe cogitate. Valetudinem cùm* ſine dubio primum hujus vitæ bonum, & cæterorum omnium fundamentum *appellatis: ignorare videmini virtutum, pietatis & inde ortæ animi tranquillitatis ſolatium: Et januam horti Epicuræi pulſare, doloris vacuitatem & laborum fugam, ut bonorum extremum amplexati. Vbi jam veſtra eſt de anima à corpore diſtinguenda & corpore negligendo gloriatio? Iam animus vobis totus* à temperamento & organorum corporis diſpoſitione pendet: *jam ſapientiæ & ingenii vim in Medicina, corporis curam profeſſa, quærendam eſſe exiſtimatis. Non quod Medicinæ Doctoribus, quibus ad ſtuporem excellentibus in hac mundi fœce fruimur*

*hanc*

*anc laudem deferatis : ſed quod vobis eam eſervandam eſſe ſomnietis. Veſtrâ operâ, odò velitis,* ab infinitis tam corporis quàm nimi morbis immunes futuros, imò etiam ortaſſis à ſenectutis debilitatione , *homines â uſuros , ſtupendo auſu pollicemini. Salmoea veteres , Iovem fulminatorem imitaum , verô fulminis ictu conflagrâſſe , & oſt mortem etiam apud inferos gravem impietatis pœnam luere ; Marſyam ob provoationem Apollinis ad certamen tibiarum uiſſe vivum excoriatum tradiderunt. Phaëhonta ſuo & publico cum damno regendum olis currum conſcendiſſe ; Icarum nimis ali volatus pœnam dediſſe , fabuloſa narraione monuêre. Nimirum compeſcendas eſſe ominum cogitationes , improba ſpe & diinorum imitatione ſe efferentes , traditioum fictione docuêre. Quid noſtrorum honinum , nova pollicitationum de vi hunani ingenii portenta , priſcorum fabulas & Salmonei Veſaniam prætergreſſa ſi viderent , quo piaculo gentem , quæ iſta monſtra ferret , expiandam eſſe judicarent. Et nos Chriſtiano in orbe ſcholarum in cathedris tam nefariam doctrinam magno cum levium animorum applauſu ſonare , non perhorreſcimus ?*

20. *Prima Meditatione*) ℞. Ad eam perducti atroces tuas de Deo abnegando &c.

calu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

calumnias detegemus: nunc huic loco inſiſtendum. Præ cæteris illud mordaci dente arrodis, quòd Carteſio dicente, accurata rerum phyſicarum cognitione nos *veluti dominos & poſſeſſores naturæ* efficiamus. Primò igitur quo id ſenſu & ratione dicat, deinde an ſimile dixerint alii probi ac docti, denique quibus argutiis tu contradicas, videamus.

21. Quemadmodum Iuris Doctores dominium rerum cum earundem poſſeſſione conjungunt, quatenus *ex dominiis poſſeſſiones vim omnem mutuantur*. VVeſenbec. ad Digeſt. lib. 41. tit. 1. §. 1. Dominiumque definiunt, quòd ſit *jus de re corporeâ liberè diſponendi*: ita Carteſius Phyſicam commendaturus ait, nos veluti dominium & poſſeſſionem naturæ per eam acquirere, quatenus nimirum viribus & actionibus rerum cognitis ipſas adhibere poſſumus ad omnes uſus, quibus inſervire eas homini voluit Conditor optimus. Ex natura quippe relatorum patet, ſi res homini inſerviant, hominem iis dominari.

22. Hoc dominium collocat Cartes in rebus non modò terreſtribus, verùm etiam cœleſtibus, non quidem prout ſunt in cœlo, ſed quatenus *nos circumſtant* radiis, lumine & calore in nos & noſtra agentes. Nam & hîc adhibere licet illud: *Sapiens dominabi-*

*tur*

*tur aſtris*,cujus expoſitionem vide apud Titelman. Phyſ. lib. 12. cap. 21. Porrò Philoſophus dominium hoc non abſolutè tale aſſerit, ſed quaſi tale, inquiens, *nos velut dominos* &c.

23. Omnes autem Theologi, de Hominis ad imaginem Dei creatione agentes, dominium ipſi in reliquas Creaturas à Creatore conceſſum eſſe, ex initio Geneſeos docent. Gen. I. 28. *implete terram eamque ſubjicite & dominamini in piſces maris & in volucres cœli & in omnes beſtias reptantes ſuper terram.* Hac *dominatione quam habuit* (homo) *in omnia animalia omneſque hujuſce terræ Creaturas, Deum ipſum omnium rerum dominum repræſentabat in terris.* Bucan. Inſtit. Theolog. Loco IX, Quæſt. 11. *In juris hujus poſſeſſionem & executionem eum miſit quum omnes beſtias agri, omneſque volucres cœli ad Adamum adduxit, ut videret quî vocaret ſingulas* &c. *Gen.* II. 19. *Ita Deus tradidit homini imperium in animantia & ſtitit illa coram homine, ut ſiſti ſolent ſubditi coram novo Principe inaugurando & accipiendis mandatis ejus. Atque* ὀνομαθεσία, id eſt, *nominum impoſitio, fuit ſignum dominii & imperii* &c. *Idem dominium confirmatum Gen.* VII. 2, 3. IX. 2, 3. *Huc pertinet Pſal.* VIII. 7, 8, 9. *gloria & majeſtate coronâſti eum. Præfeciſti*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*ciſti eum operibus manuum tuarum. Omnia poſuiſti ſub pedibus ejus.* Polan. Syntag. Theolog. lib. 5. cap. 35.

24. Neque hac de re ulla inter Theologos agitatur controverſia. Tantùm diſputatur contra Socinianos & Remonſtrantes, in ſolo iſto dominio imaginem Dei in homine conſtituentes: & inter alios etiam quæritur, an mulier quoque conſors fuerit facta illius imperii, quod affirmant rectiùs ſentientes, & inter eos S. Gediccus ſexus muliebris contra Anonymum defenſor.

25. Ex Philoſophis Keckerman. præcogn. phil. lib. 1. cap. 4. pag. 27. *hinc etiam magna illa hominis dignitas pendet ſupra reliquas omnes creaturas, propter quam & mundi miraculum à Stoïcis dicitur, & rerum omnium medium, nexus rerum finis ac dominus* 1. Pol. 5. 2. Phyſ. 2. 1. Met. cap. 1. *rerum materialium & immaterialium horizon.* Idem ſyſt. phyſ. l. 4. c. 4. p. 285. *Hominem tanquam nobiliſſimam creaturam & tanquam complementum omnium creaturarum, oportebat omnibus creaturis dominari, eaſque regere; quod enim eſt in quoque genere perfectiſſimum, ab eo omnia minùs excellentia iſtius generis pendere & regi debent. Qui autem alterum regere debet, eum oportet noſſe eum, quem regere debet. Principis eſt virtus maxima, noſſe ſuos,*

id

id eſt, *prima virtus gubernatoris conſiſtit in notitia gubernandorum.* Lev. Lemnius de Occult. Nat. Miraculis lib. 1. cap. 2. *hominis uſui cuncta patent ac ſunt expoſita. Quod ipſum agnoſcit Pſaltes Regius gratique animi argumenta proferens, feciſti illum,* inquit, *paululò minorem angelis, imò propemodùm ut Deum quendam gloria & honore decorâſti, illumque præfeciſti operibus à te creatis. Hanc autem prærogativam etiam à mundi exordio obtinuit, adeo ut omnia dum vigent & conſiſtunt, homini ſint obſequioſa & famulentur. Sic enim Geneſeos primo omnium rerum principatum ac præfecturam Deus homini aſſeruit* &c.

26. Præ cæteris egregiè hac de re Varro Belgicus Gerh. Ioh. Voſſius de Orig. Idol. lib. 13. cap. 50. ubi de elephanto loquens, *quin etiam*, inquit, *regitur à puero 13 annorum* &c. *Imò etiam priuſquam domueris, jam hominem timet. Siquidem ſi veſtigium viderit, ex odore (quo plurimùm valet) cognoſcit, ſitne beſtiæ, an hominis: neque id modò, quando is nudis inceſſerit pedibus, ſed etiam calceis indutus: quod ſi humanum eſſe veſtigium animadverterit, utcunque hominem non conſpexerit (ut Plinii verbis utar)* intremiſcit inſidiarum metu, circumſpectat, nec calcat, ſed erutum proximo tradit, ut ille ſequenti, nuntio ſimili, uſq; ad extremum,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

circumagente tunc agmine, & revertente. *Quibus ſimilia refert Ælianus lib.* IX. *de Animal. cap.* LVI. *Meritò autem miratur Plinius, metui, quem nunquam viderint; cùm ſylvæ in quibus elephanti, minimè frequententur. Addit deinde:* ſanè mirentur ipſam veſtigii raritatem: ſed unde ſciunt, timendum eſſe? imò verò cur vel ipſum conſpectum paveant, tanto viribus, magnitudine, velocitate præſtantiores? *Videlicet illuſtre & hîc habemus argumentum providentiæ Dei: qui cuncta homini animantia ſubjecit ex Gen.* 1. 26. *Pſalm.* VIII. 7,8. *Scio, dominii hujus multum deperiiſſe homini per peccatum: nec ſic tamen, ut non magnam partem remanſerit. Hinc igitur metus ille in maximis etiam belluis.* Idem cap. 40. *Agnoſcit etiam hoc imperium Naſo, cùm ait* 1. *Metamorph. fab.* 11.

*Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ,*
*Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet,*
*Natus homo eſt.*

27. Sed omnium maximè appoſitè ad Carteſiii inſtitutum Clariſſ. Gerh. de Neufville, præceptor olim meus, initio præfat. Phyſiolog. Naturalis ſcientiæ dignitatem atque utilitatem explicans, *unicum*, ait, *tantùm*

*tùm hoc conſiderandum ſubjicio, hominem videl. à Deo Opt. Max. conſtitutum eſſe totius hujus rerum univerſitatis regem & monarcham, cujus uſibus & ſervitio omnia, quæ toto univerſo continentur, ita ſunt mancipata, ut & viam cognoſcendi colendique ipſum opificem, & omnia, ad terrenam hanc vitam naturæ & dignitati ſuæ convenienter degendam, neceſſaria, abundè illi ſuppeditent: unde liquidò conſtat, eundem, ut rebus his omnibus, ad uſus omnifarios, uti ac frui poſſit, omnino etiam earundem vera ac certa notitia, ſine qua nullus earum uſus legitimus & fructuoſus eſſe poteſt, carere neutiquam poſſe.* Idem Iſagog. in elem. Phyſ. c. 2. §. 20. *Ratione tandem poſtremi uſus* (qui eſt, *ut rebus cæteris, nobis divina benignitate liberaliſſimè conceſſis & in uſus noſtros conditis, tantò rectiùs ac convenientiùs uti ac frui poſſimus* §. 17.) *ſcientia naturalis regnum atque imperium in alias creaturas, divino munere homini tributum, at per lapſum hominis plurimùm imminutum atque labefactatum, iterum inſtaurat, firmat ac ſtabilit: unde variæ naſcuntur artes, quæ vitæ noſtræ commodis inſerviunt.* Idem ejuſd. Iſagog. cap. 16. §. 32. *Quæ deinceps proximè ſequuntur phyſicæ ſpecialis partes, circa reliqua corpora perfectè mixta occupantur: quæ omnia hoc terreſtri globo, in quo, velut*

*proprio domicilio, homo principaliter dominii jus exercet, continentur, & in tria regna diſtributa ſunt, animale videl. vegetabile & minerale.* Quæ imitatus videtur Ritſchelius Contemplat. Metaph. p. 1. cap. 6. §. 17. *Diſtribuitur hic materialis mundi globus in tria quaſi regna Mineralium, Plantarum, Animalium.*

28. Hæc omnia vel ignoravit, vel Carteſii vexandi causâ diſſimulavit Cyriacus Lentulus, ille qui omnia legiſſe vult videri, qui toties ſcripturas ſacras & Theologos ad partes vocat contra Carteſium, & ex Philoſophis popularem ſuum Keckermannum perpetuò in ore habet. Corruunt autem ſua ſponte omnes illius cavillationes. Sed audiamus livoris æſtu ardentem hominem.

29. Ait: *ſibi naturam ſubjiciendo æqualem quodammodo Deo majeſtatem affectat.* ℞. Majeſtatem Principi tribuunt Politici, homini eam Pſaltes, ſine læſione divinæ Majeſtatis. Principes, terrarum & mundi domini, perhibentur, manente ſuper eos divino imperio. Intellectus noſter rerum dominus Scaligero nuncupatur, quamvis dependeat à ſummo rerum Domino. Ita ſi *naturæ*, id eſt, rerum naturalium, *veluti domini* efficiamur eas cognoſcendo & ad uſus noſtros adhibendo, nullam cum Deo æqualitatem affectamus. At ſi valerent arguta-

gutationes tuæ, nullis in diſciplinis amplius dominii & ſervitutis nominibus uti liceret. Interea oſtendis quàm Domini titulo & rerum à Deo hominibus ſubjectarum imperio ſis indignus.

30. *Quæ*, inquit, *ſi aſſequare, Deum imperii ſolio exturbant, conſecutionem eorum omnis ſana ratio abnegat.* ℞. Deus imperii ſolio exturbatur, ſi homini, qui Deo ſimilis, imperium ipſe conceſſerit, impudentiſſime mortalium! Omnis ſana ratio abnegat conſecutionem hujus dominii, quod in naturalium rerum cognitione fundatur, quia ſcilicet nulla habetur earum cognitio, Scepticorum fratercule! Novimus dari rerum phyſicarum ſcientiam, quæ non minùs, imò multò magis facit ad naturæ acquirendum dominium, quàm naturæ populorum cognitio ad Rempublicam gubernandam.

31. Hæc de naturæ dominio à Deo homini conceſſo, à Lentulo impudenter & perperam oppugnato. Pergit malevolus de Carteſio calumniari: *imò cum Deo de poteſtate & erga genus humanum benignitate certat, morborum animi & corporis abolitionem, ſenectutis & eam ſecutæ debilitatis ablationem, & quod inde ſequitur, mortis exterminium pollicendo.*

32. ℞. 1. Carteſius nihil pollicetur, ſed aſſerit homines immunes fore ab infinitis



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

morbis &c. ſi cauſarum à quibus producuntur, & remediorum quibus tolluntur, ſatis magnam notitiam haberemus. Hanc ope Phyſicæ comparari inſinuat, in cujus inveſtigatione ipſe ætatem ſuam vult impendere. 2. ſi polliceretur morborum animi & corporis abolitionem, nihil aliud faceret, quàm quod Medici horum, Logici, Ethici illorum curam promittentes. 3. de ſenectutis debilitatione dubitans loquitur: nullo verò modo ſequitur, eos à morte fore liberos, qui à debilitate ſenectæ. Moriuntur enim juvenes & viri morte violenta, qui ſenectutis incommoda nequaquam ſunt experti, moriuntur & ſenes robuſti ac vegeti. Exceſſus è vita foret exſpectandus magis lenis & placidus, non ideo nullus. Ac denique multum differunt vita ſana & vita longa. *Sunt enim nonnulla, quæ ad Spirituum alacritatem, & functionum robur, & morbos arcendos, proſunt; quæ tamen de ſumma Vitæ detrahunt, & atrophiam ſenilem abſque morbis accelerant. Sunt & alia, quæ ad prolongationem vitæ, & atrophiam ſenilem longiùs ſummovendam juvant; ſed tamen non uſurpantur abſque periculo valetudinis*. Verulam. lib. 4. de augm. ſcient. cap. 2. Hinc Marſilius Ficinus alium de ſanitate tuenda, alium de vita producenda librum ſcripſit.

33. Tertium quod carpit adverſarius eſt quòd Cartes nova denotatione Philoſophiam h.e. Phyſicam appellet *practicam*, quæ non in ſpeculatione conſiſtens ad uſum dirigitur. Audiat ſibi reſpondentem Voſſium de Orig. Idol. lib. 2. cap. 70. *Neque ignoro, ita vulgo eſſe perſuaſum, ſcientiam naturalem eſſe* θεωρητικὴν, *non* πρακτικήν. *Verùm pulcrè B. Bernardus ait ſuper Cantica ſermon. 37. ſcire velle eo fine tantùm, ut ſcias, curioſitas eſt. Sed ſcire velle, ut ædifices, charitas eſt. Scire velle, ut ædificeris, prudentia eſt. Hoc igitur iis, qui rerum exquirunt naturam, propoſitum eſſe debet, non ut in curioſa ejus indagatione conſiſtant, ſcire contenti: ſed partim ut hinc Deum diſcant magis amare, ac ardentiùs colere, quod eſt pietatis cœleſtis opus: partim ut meliùs & commodiùs tueri valeant valetudinem & vitam; quod prudentiæ eſt humanæ: quomodo pertinet ad medicinam, agriculturam, architecturam, veſtiariam & artes cæteras.* Pleniùs eadem de re idem egerat in præfatione. Sin hæc ſpeculatio ſublimior videatur Lentulo, ſaltem notare debebat, τὸ πρακτικὸν non raro tam latè ſumi, ut τὸ ποιητικὸν complectatur, licet aliàs ab eo diſcernatur. Et quis non audit quotidie de praxi medica & medicina practica? Præſertim autem in Lingua Galli-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ca, quâ Author ſcripſit hanc Diſſertationem, nomen illud, eo quo adhibuit ſenſu, adhibere potuit.

34. Quartò vult indicare, Carteſium hîc ſibi contradicere, partum ingenii ſui magni faciendo, quod ſuprà negaverat ſe unquam feciſſe. Atqui oſtenſum eſt paulò antè, agi hoc loco de uſu Phyſicæ, quam nondum pepererat, ſed conceperat ſolùm Carteſianum ingenium, & in quâ formanda atque enitenda totâ laborare vitâ conſtituerat.

35. Quintò, abſurditatis arguit Philoſophum, qui hîc de viribus & actionibus Corporum magnificè diſſerat, cùm tamen in Phyſica nihil præter extenſionem, & huic adjunctum ſitum, figuram & loci mutationem relinquat. At ſi Philoſophiam intelligeret, vim & efficaciam magnitudini & figuræ per motum determinatis non denegaret. Nec poteſt ignorare cultrum ferreum, ſatis magnum, durum, acuminatum & validè motum panem diſcindere. Videat interim, quia Carteſiana intelligendi non eſt capax Regii fundamenta Phyſica pag. 5. 6.

36. Sextò, quòd Adamo & Salomoni abrogat eam ſanitatem & vitæ conſervationem, ut & dominium in res creatas, quod accurata rerum naturalium ſcientia promittit, id partim ſine ratione, partim contra rationem facit, ut licet è ſuperius à me

dictis

dictis concludere, quemadmodum & reliquorum à Lentulo hîc interjectorum falſitas inde pateſcit.

37. Septimò culpat Philoſophum, quòd aſſerat Phyſicam perfectam præſtare poſſe, ut *ſine labore* fructibus terræ *&c.* frueremur, contra divinum mandatum de victu operatione quærendo. ℞. Authorem nihil aliud voluiſſe per illud, *ſine labore*, quàm facilitatem laboris, non vacuitatem denotare. Ita pro ſynonymis uſurpamus illa; *facilè*, *nullo labore*, *ſine labore*, *nullo negotio*, *ſine difficultate*, quod Galli efferunt hac formula, *ſans peine*, *ſans aucune peine*, & ſic legitur in editione Gallica. E. G. Si attendens difficultatem, quæ olim erat in libris deſcribendis, dicam, typographiâ inventâ ſine labore libri multiplicantur, nemo exiſtimabit me ideo velle typographum laboris immunem pronunciare. Ita cognitio rerum alias quoque artes facilitat.

38. Octavò admordet, quòd Carteſius *valetudinem primum hujus vitæ bonum* dixerit & reliquorum omnium fundamentum, quaſi ignoremus virtutum, pietatis & inde ortæ animæ tranquillitatis ſolatium, ubi cum Epicuro nos confert. ℞. Hæc Dei gratiâ novimus maximi eſſe facienda, nec te opus monitore. Verùm & tu ſcire



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

debebas, animi hæc eſſe bona propria, non *hujus vitæ* (de quo Carteſius loquitur) temporalis, quæ in corporis animæque conjugio conſiſtit, quo ſenſu idem initio Dioptrices ait: *totius vitæ noſtræ regimen à ſenſibus pendere*, quod profectò ratione vitæ ſpiritualis & intellectualis non eſſe intelligendum, tota ejus Philoſophia clamat. Quod verò de ſanitate hîc in laudem Phyſicæ dicit Carteſius, idem eodem fine ſuprà citatus D. de Neufville præfationis in Phyſiolog. initio his verbis: *Quanta ſit naturalis ſcientiæ, non modò dignitas & præſtantia, ſed præcipuè utilitas ac neceſſitas, non tantùm in omni genere doctrinæ, quæ ex illa, velut magna reliquarum ferè omnium ſcientiarum atque artium matre & prima ſcaturigine, derivatur, ſed & in communi hominum vita, præſertim ſanitate, bono, inter omnia temporalia & caduca, maximè expetendo, & ſine quo reliqua nihil aut parum proſunt, conſervanda, & contrà à morbis, humani generis peſtibus infeſtiſſimis, averruncandis & profligandis, notius eſt, quàm ut mea declaratione & probatione hîc magnopere indigeat.*

39. Nono reprehendit, quod animus dicatur à temperamento & organorum corporis diſpoſitione pendere &c. Sed nihil ad-

adfert quo refutet Galenum & alios innumeros, quod mores animi corporis temperamentum ſequantur, aſſerentes, ne dicam de quotidiana experientia. Audiat ſolummodò Ciceronem Tuſcul. Quæſt. lib. 1. *ipſi animi magni refert quali in corpore locati ſint. multa enim è corpore exiſtunt, quæ acuant mentem, multa, quæ obtundant. Ariſtoteles quidem ait, omnes ingenioſos melancholicos eſſe* &c.

40. Poſtrema in hoc §. Carteſii verba ſunt: *Cùm autem propoſuerim totam meam vitam collocare in ſcientiæ adeo neceſſariæ inveſtigatione, & inciderim in viam quæ mihi talis videtur, ut ſi quis eam ſequatur, haud dubiè ad optatum finem ſit perventurus, niſi aut brevitate vitæ aut experimentorum defectu impediatur: judicabam nullum melius eſſe adverſus duo iſta impedimenta remedium, quàm ſi fideliter publico communicarem id omne, quantulumcunque eſſet, quod reperiſſem, & præclara ingenia incitarem, ut ulteriùs pergere contenderent, ſingulique quod in ſua facultate eſſet ad experimenta facienda conferrent, atque etiam eorum omnium quæ addiſcerent publicum participes facerent, eo fine ut ultimi incipiendo ubi præcedentes deſiiſſent, & ita multorum vitas & labores conjungendo omnes ſimul lon-*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*gius progrederemur, quàm ſinguli privatim poſſent.*

41. Adverſus hæc Lentulus poſt nugacem rhetoricationem iſta promit: *Eorum qui ingêntia promittunt ea conſuetudo eſt; ubi vana ſpe incautos allectârint, metæ à poſteris & plurimorum conjuncta ope detegendæ, nebulam offundunt. Aut tu à Commenio, aut ille à te, artem promittendi didicit. Tibi ipſi, qua quidem in re ſæpiculè peccas, adverſaris. Lapidem quaſi angularem ædium Sapientiæ à te extruendarum poſueras:* opera quibus diverſi artifices, inter ſe non conſentientes, manum adhibuere, raro tam perfecta eſſe, quàm illa quæ ab uno abſoluta ſunt. *Nunc animo in contrarium verſo* multorum vitas & labores conjungendo omnes ſimul longiùs progredi, quàm ſinguli privatim poſſint, *autumas. Ita cum Horatiano illo, tui ſimili, Sapiente:*

*Diruis, ædificas, mutas quadrata rotundis.*

42. R/. qui fundamentis à ſe jactis Phyſicam ſuperſtrui poſſe aſſerit ejuſque inſignes uſus deſcribit, ut & ipſe magis ad eam incitetur promovendam, & alios ad ejus inveſtigationem cohortetur, ingentia nimis non promittit. 2. Commenium & hîc & in dedicatione contumelioſè traducis, qui Vir plus profuit publico, quàm tu unquam ſis profuturus. μωμεῖσθαι ῥᾷον ἢ μιμεῖσθαι. 3. Carteſius

ſibi non adverſatur, quia licet fateatur plures longiùs progredi poſſe quàm unum, non tamen aſſerit id æquè perfectum fore quod plures elaborant ſibi ſuccedentes, ac illud quod unus potuiſſet, ſi tam diu vixiſſet. Ac deinde plures illos iisdem principiis Phyſicis jam poſitis vult ſuperædificare conſentiendo, non ab anteceſſoribus diſſentiendo.

## CAP. XXVI.

### Ad §. 3. Quin etiam de experientiis &c. *De Philoſophiæ Carteſianæ Principiis & Experimentis ad Phyſicam perficiendam neceſſariis.*

1. CArteſius poſtquam de utilitate Phyſicæ ſolidioris multa deq; experimentorum ad eam perficiendam neceſſitate pauca dixiſſet, ordinem indicat quem in contemplanda natura fuerit ſecutus, ſimul experimentorum uſum & neceſſitatem ſpecialiùs explicat. *Primum conatus ſum* (hæc pertinent ad partem ſecundam Princip. id eſt, ad Phyſicam generalem) *generatim invenire principia, ſeu primas cauſas omnium quæ ſunt aut poſſunt eſſe in mundo; ad Deum ſolum qui ipſum creavit attendendo, easq; aliunde non educendo quàm ex quibusdam veritatis ſeminibus, animis noſtris à natura inditis. Poſtea expendi*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

(hæc & quæ ſequuntur ſpectant ad tertiam & quartam Principp. partem totamque Phyſicam ſpecialem) *quinam eſſent primi & maximè ordinarii effectus, qui ex his cauſis deduci poſſent; videorque mihi hac via cognoviſſe cœlos, aſtra, terram, imò etiam in terra aquam, aërem, ignem, mineralia, & quædam ejusmodi alia, quæ ſunt omnium maximè communia, ſimpliciſſimaque, ac proinde cognitu facillima. Deinde cùm volui ad particulariora deſcendere, tam multa diverſa mihi occurrerunt, ut crediderim opus eſſe ingenio plusquam humano, ad formas aut ſpecies corporum quæ in terra ſunt, ab infinitis aliis, quæ in ea poſſent eſſe, ſi Deo placuiſſet illas ibi collocare, dignoſcendas, ipſasque deinde ad uſum noſtrum referendas; niſi per effectus cauſis obviam eamus, & multis particularibus experimentis adjuvemur. Deinde animo revolvens omnia objecta quæ unquam ſenſibus meis occurrerant, dicere non verebor me nihil in iis obſervâſſe, quod ſatis commodè per inventa à me principia explicare non poſſem.*

2. *Corticem horum verborum intuentibus* (ita Lentulus) *nihil abſurdi prima apparitione occurrit: ſimilisque videri queat D.C. beſtiæ illi* (*Dan.* 7.) *quæ depoſitâ formâ leonis, & evulſis aquilæ alis, conſtitit in pedes more hominis, & cor humanum ei datum eſt.*

*Verùm*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*Verùm interiora & medullam ſcrutantibus, amaror eodem veneni ſucco tinctus deprehenditur. 1. Principia & primas cauſas cùm inventioni ſuæ aſſignet, non eadem cum jam inventis, nec à maxima hominum eruditorum parte recepta intelligit.* 2. *Dei, methodo nimirum Carteſiana inveſtigandi, cognitionem naturæ intellectæ ſtatuit. 3. iterum variando, cauſas rerum non aliunde educit*, quàm ex quibusdam veritatis ſeminibus, animis noſtris à natura inditis. *Quibus verbis idolum ſuum*, COGITO *ergò* SVM, *non obſcurè innui exiſtimo. Quaſi verò, ſi maximè inde rerum cognoſcendarum principium moveri poſſit, tam facilis ſit homini cuivis ſui cognitio. Clarorum eruditione virorum judicio à penetrali naturæ perſpecto ad ſui contemplationem homo deducitur, contrariâ planè ei quam Carteſius inſiſtit viâ.* Intrandum eſt igitur in rerum naturam, & penitus quid ea poſtulet, pervidendum. Aliter enim nosmetipſos noſſe non poſſumus: quod præceptum quia majus erat, quàm ut ab homine videretur, idcirco aſſignatum eſt Deo. *Cic. V. de Finibus. Carteſius verò deſperatâ omnium rerum comprehenſione, quaſi in re omnium facillimâ, in ſui cognitione ſubſiſtit. 4. Cauſis rerum cognitis, res ipſas quarum ſunt cauſæ ſcrutatur: quæ quidem viæ naturæ ordine certior eſt; ſed non iccirco nobis arcana rerum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*rum rimantibus tutior aut facilior. Alio in quærenda, alio in tradenda diſciplina modo progredimur: ibi naturæ ordinem & priora ſecuti, hîc à poſterioribus ad priora ferè deducimur.* 5. opus eſſe ingenio plus quàm humano *ad rerum particularium indagationem ubi monet, modeſtia laudabili infirmitatem ſuam agnoſcere videtur: ſed reverà occultâ arrogantiâ ſibi ingenium plus quàm humanum vindicat. Probet hanc conjecturam ipſe verbis mox annexis:* Deinde animo revolvens omnia objecta quæ unquam ſenſibus meis occurrerant, dicere non verebor me nihil in iis obſervâſſe, quod ſatis commodè per inventa à me principia explicare non poſſem. 6. *Formas & ſpecies corporum quid voces ambigendi locus eſt. Si nomine* ſpeciei *varia corporum genera*; formæ *internum corporum principium, actionum fontem, & diſtinguendi ab aliis notam capit: verè quidem loquitur, ſed doctrinæ ſuæ non conſentaneè. Sin externam corporum figuram innuit, cùm ea ſenſibus utplurimum dijudicetur; non video quorſum ingenio plusquam humano opus ſit, & quid ſibi verborum illa portenta velint. Delio natatore opus eſt ad profundum verborum, quæ ipſe fortè Carteſius non capit, ſenſum eruendum.*

3. *Non eadem cum jam inventis*) ℞. ſi ha-

habeat alia Phyſicæ principia, quàm ab aliis fuerint inventa, quid tum? Tu quidem de iis tanquam cœcus de coloribus. *iterum variando*) ℞. non variat, ſed ſibi conſtat, qui Dei cognitionem naturæ intellectæ cauſam ſtatuens ductu communium notionum à Creatore ad res creatas deſcendit. Diſce, anima pervicax, principia complexa & incomplexa diſtinguere, neque illorum uſu hæc tolli opinare.

4. *Idolum ſuum*) ℞. ſiccine idoli verbere innoxium verioris ſcientiæ principium excipis? At præter maledicentiam inſcitiam prodis, dum exiſtimas hîc primum illud omnis Philoſophicæ cognitionis principium innui, cùm manifeſtum ſit agi tantùm de peculiaribus Phyſicæ principiis. *homini cuivis*) ℞. neque etiam quilibet aptus eſt ad Philoſophiam, nec porcis & canibus tecum grunnientibus & ringentibus margaritæ objiciuntur. Quàm tibi difficilis ſit tui cognitio ſatis oſtendis animi impotentiâ, quodque tuo te pede metiri ubique neſcias. Sed inde non ſequitur propriæ mentis cognitionem Philoſophiæ ſtudioſis rem eſſe adeo difficilem.

5. *Clarorum eruditione virorum*) ℞. An hoſpes adeo es in Logicis, ut nunquam audiveris relata ſe mutuò declarare. Si neſcis, ſcito, id nupero exemplo comprobatum, quando qui te

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

te noverant parentem, cujusmodi futurus hic eſſet fœtus, facilè prævidebant, nunc poſtquam enixus fuiſti, adhuc melius è prole patrem agnoſcunt, mirum enim in modum ſe invicem illuſtrant. Sin percepiſti relatorum iſtum canona, non miraberis ex microcoſmo macrocoſmum, & vice verſa, ex hoc illum (quod Cicero indicat) cognoſci. Quare authoritate Ciceronis non refutatur Carteſius, aut ſi refutatur, *authoritate*, efficaciſſimo in tua Logica argumento, refutatur, cui authoritati aliorum non minùs in Theologia aut Philoſophia clarorum teſtimonia in ſuperioribus oppoſita cernere potuiſti. Reſpice caput 22. Tu quoniam te ipſum neſcis, in te & ex te non ſtudes, at ſtuduit Carteſius & profecit. Aures accommoda Gerhardo de Neufville (quem ego, ſaltem in Philoſophia, Ciceroni non poſtpono) in procemio Anthropologiæ nondum editæ: *nihil à nobis de cæterorum animalium, ut & plantarum ac mineralium, naturis ac proprietatibus cognoſci rectè poſſe, niſi præcedat cognitio naturæ ac proprietatum hominis, unde cætera intelligentiæ lucem mutuantur.* Item: *Eſt hæc de homine doctrina digniſſima, tum propter objecti ſingularem præſtantiam* &c. *tum etiam ob uſum multiplicem, quem eadem doctrina præbet, dum non modò ad omnem cognitionem, tam Dei ipſius, ad cujus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*cujus imaginem homo factus eſt, quàm cæterarum rerum, quarum omnium naturas homo, velut univerſi compendium & μικρόκοσμος, in ſe quodammodo comprehendit, acquirendam.* At valde miror te ne quidem veſtratem legiſſe Keckermannum, cujus verba multæ lectionis homini non proponerem, ſi talis eſſet, qualis videri cupit. Igitur Keckerm. Syſt. Phyſ. lib. 4. initio: *quia homo eſt regula ac menſura reliquarum ſpecierum, quoad ipſum eſſe, utique etiam erit menſura & regula quoad cognoſci atque adeo doctrina Phyſica de animalibus brutis, de plantis, de metallis, adeoque etiam de meteoris, denique poſtea de toto mundo tradi debet poſt doctrinam de homine.* Idem ejusd. libri cap. 2. *Doctrina de proprietatibus hominis fundamentum & principium eſt omnium diſciplinarum, ita ut meritò Ariſtoteles dicat 1. De anima cap. 1. principia diſciplinarum pendere à doctrina de anima; quod ſic interpretor: effecta animæ ſeu proprietates hominis cognoſcendas eſſe ab eo non tantùm, qui ſeipſum rectè noſſe velit, ſed etiam qui cupiat Philoſophiam practicam & Theologiam & Iurisprudentiam ex fundamentis comprehendere, id eſt, ex primis principiis & cauſis. Etenim diſciplinæ omnes, & pro cauſa efficiente proxima habent intellectum hominis; atque adeo oriuntur ex hac proprietate, quæ in-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*intellectualis dicitur, & ſimul etiam finem & ſcopum hunc præcipuum obtinent, ut hominis intellectum & voluntatem perficiant, aut, ut ejus ſermocinationem rectè conforment, aut denique, ut facultatem factivam, quæ eſt in homine, excolant. Nec tantùm pro fine, ſed etiam pro objecto omnium diſciplinarum habendæ ſunt proprietates hominis: idcirco methodus diſciplinarum conformatur ad hominis proprietates, & præcognita plerarumque practicarum diſciplinarum, continent in ſe aliquam hominis proprietatem, ejusque explicationem, ut inprimis apparet ex Ethica, quæ ab initio ſtatim poſt doctrinam de fine, tractat de voluntate & affectibus humanis. Quò etiam Cicero reſpexit, quando inquit:* Juris diſciplina ex ipſa hominis natura, *id eſt, proprietatibus deducenda eſt.* Verba Ariſt. 1. de Anima cap. 1. ſunt: *Videtur autem & ad veritatem omnem ipſius animæ cognitio vehementer conferre, & maximè ad ipſius naturæ ſcientiam.*

6. *Cauſis rerum cognitis)* R. Carteſius in fine ſecundarum Reſpp. oſtendit perfectiſſimè eum docere, qui modum quo ſcientia inventa eſt à priori monſtrando docet, idemque ſentit Neufvillius Iſagog. Phyſ. cap. 16. §. 16. *eodem ordine eademque methodo & invenitur & docetur ſcientia naturalis* &c. Novus noſter Sapiens, aut, ſi mavult, ſapien-

pientum octavus, alio in quærenda, alio in tradenda diſciplina modo progrediendum decernit. Deinde Carteſius hoc loco ordinem, quo rerum Phyſicarum notitiam *quæſiverit & invenerit* à principiis inchoando recenſet: noſter Sapiens illum refutaturus, *in tradenda diſciplina* à poſterioribus incipiendum aſſerit, cùm tamen aliam hîc, aliam ibi methodum ipſe requirat.

7. *Sibi ingenium plusquàm humanum*) ℞. impudentiſſimi calumniatoris iſta gloſſa eſt. Nam 1. Carteſius non dicit *abſolutè*, opus eſſe ingenio plus quàm humano ad rerum particularium indagationem; ſed *cum conditione* hac, *niſi per effectus cauſis obviam eamus & multis particularibus experimentis adjuvemur*. 2. ait in omnibus iis objectis de quibus experimenta haberet, ſive quæ ſenſibus uſurpaverit, ſe nihil obſervâſſe, quod non poſſit explicare per ſua principia. 3. adjungit, quoniam talis explicatio effectuum variis modis ſit poſſibilis, hac iterum ſe premi difficultate, ut inveniat illum modum, quo actu & revera effectus hic aut ille à naturæ principiis pendeat. Confer. P. III. 4. IV. 203. 204. *At quamvis fortè hoc pacto intelligatur, quomodo res omnes naturales fieri potuerint, non tamen ideo concludi debet, ipſas revera ſic factas eſſe* &c. 205.

8. *For-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

8. *Formas & ſpecies*) ℞. Delio natatore non eſt opus, quia lectori ſatis apertum eſt, *ſpecies* corporum hîc vocari diverſa eorum genera, *formas* verò dici diverſitatis illius notas & principia interna, quæ ex doctrina Carteſiana non ſunt figuræ in extima ſuperficie ſenſibus apparentes, ſed interior omnium partium & particularum certa conformatio, ſitus, nexus, figuræ, motus, determinatæ magnitudines ratione dijudicandæ. Obſcuritatem Carteſii paſſim accuſas, qui ipſe tenebras in oculis circumfers, ſimilis illi ſeni, de quo Seneca narrat, eum, cùm ætatis vitio minus commodè oculis uteretur, in quodcunque cubiculum ingreſſus eſſet, dicere ſolitum, illud parum luminoſum eſſe, majores feneſtras fieri oportuiſſe.

9. Pergit Carteſius: *Sed confiteri me etiam oportet, potentiam Naturæ eſſe adeo amplam & diffuſam, & principia hæc adeo eſſe ſimplicia & generalia, ut nullum ferè amplius particularem effectum obſervem, quem ſtatim variis modis ex iis deduci poſſe non agnoſcam; nihilque ordinariè mihi difficiliùs videri, quàm invenire quo ex his modis inde dependeat. Hinc enim aliter me extricare non poſſum quàm ſi rurſus aliqua experimenta quæram; quæ talia ſint, ut eorum idem non ſit futurus*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*turus eventus, ſi hoc modo quàm ſi illo ex-
plicetur.*

10. Adverſus ea Lentulus: *ἀσύστατα hæc,
& nullo ferruminationis artificio glutinanda
vel ſiſtenda. quaſi dicas, confiteri oportet, ra-
tiones meas domeſticas adeo eſſe intricatas,
& per diverſos Provinciarum tractus di-
ductas, & promptam mihi adeo expediendi
facultatem, ut nullum ubique locorum nego-
tium occurrat, quod non unà cum cæteris fa-
cillimè exolvam. Multa in hoc authore
ἀσυστασίας & intricatæ ratiocinationis exem-
pla occurrunt. Quod ſi unum ejus aut præ-
cipuum erratum eſſet, ferremus, & amantes
ejusmodi tenebrarum ſuæ obſcuritati permit-
teremus. Cùm verò arcana cœli tentet, &
tremenda Majeſtatis divinæ cacumina pede
non fauſto aſcendat, ne pro divino in omni-
bus Heroë habeatur, levia cum gravioribus
peccata ejus detegenda. Cogor, præter metho-
di rationem & meam in ſcribendo conſuetu-
dinem, eadem crebrò inculcare, quando gra-
viori hîc periculo negligentia quàm repeti-
tione erratur. Duplex eſt ad Dei cognitio-
nem perveniendi via: generalis altera, no-
titiam Dei confuſam oſtendens; altera ſpe-
cialior clariori luce & ad ſalutem aptiori
refulgens. Illa eſt, operum Dei & naturæ
inſpectio: hæc ſacrarum literarum evolutio.
Vtramque Apoſtolus gentium gravi facun-
dia*

*dia auditoribus ſuis commendat: illam epiſtola ad Romanos cap.* I. *v.* 19. 20. *hanc ejusdem epiſtolæ cap.* 10. *v.* 17. *Vtramque multis antè ſeculis Propheta Regius conjunxit Pſalmo* 19. *Vtramque Carteſii ſpiritus eripere mortalibus conatur: hanc quidem vilipendio quodam & ſubſtituta in locum ejus inepta & ad convincendum invalida ratiocinatione; illam præpoſtera de natura rerum & ejus opifice Deo dubitatione inducta. Naturæ librum omnium ſenſibus eſſe expoſitum negare ipſe, animo tandem ex dubitationis vertigine recollecto, quamvis ſit audax non audebit. Hæc omnibus propoſita Deum veſtigandi via:* εἰ ἄραγε ψηλαφήσειαν αὐτὸν καὶ εὕροιεν. *huic annectitur altera & quaſi ſocia via, Deum à vitæ noſtræ origine & conſervatione quærendi. ut tandem deſinat Carteſius pro ſua inventione jactitare quod antiquum eſt.* ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα, καί ἐσμεν, *Act.* XVII. *v.* 27. 28. *Ne quidem ſcripturæ librum omnium oculis & auribus abductum affirmabit, qui D. Pauli verbis fidem habebit, Rom.* 10. *v.* 18. *Novâ convertendi gentes ratione nec opus eſt: & temeritatis eſt, naturam Dei rationi ſuæ & mathematicæ demonſtrationi ſubjicere.* Ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως θεοῦ, *Apoſtolus ipſe exclamat, & vias Dei imperveſtigabiles eſſe teſtatur. Rom.* 11. Vias Dei, *id eſt*

*agendi*

*agendi rationem & conſiliorum de hominum ſalute modum: quæ tamen à poſteriori quadantenus obſervantur aut adorantur. quid ipſam divinæ naturæ eſſentiam, quam non humanæ argutiæ patentem, eſt credendum? Ne quandam præ cæteris hominibus prærogativam quaſi Gorgonis clypeum nobis obtendat Carteſius, ab acumine Philoſophandi, gratiâ apud potentes, generis nobilitate: audiamus eundem Apoſtolum, à cujus facundia non libenter diſcedo, differentem* 1 Cor. I. v. 26. οὐ πολλοὶ σοφοὶ κατὰ σάρκα, οὐ πολλοὶ δυνατοὶ, οὐ πολλοὶ εὐγενεῖς. *Vereatur igitur ad ſplendorem divinæ exiſtentiæ oculis cœcutientibus accedere C. quem ne quidem ſanctiſſimi viri niſi tectâ facie accedere auſi ſunt. Nobis autem & omnibus Dei & veritatis amantibus incumbit*, σκοπεῖν τοὺς τὰς διχοστασίας καὶ τὰ σκάνδαλα παρὰ τὴν διδαχὴν ἣν ἐμάθομεν, ποιοῦντας καὶ ἐκκλίνασθαι ἀπ' αὐτῶν. Rom. XVI. v. 17. *Quod ſi ardenti opere fiat, & ſtudio vigilanti ſeriæ à nobis preces conjungantur, dubitandum non eſt, quin* ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης συντρίψει τὸν Σατανᾶν ὑπὸ τοὺς πόδας ἡμῶν ἐν τάχει. Ἀμὴν *verſ.* 20.

11. Ἀσύστατα) R. quàm bene hæc inter ſe conſentiant jam hujus cap. §. 7. monſtratum fuit. Diſtinguere non vis aut non potes inter id quod poſſibile & quod actu eſt.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

Si dixero,ego variis modis Lentulo mentem meam explicare poſſum,ſed difficile eſt mihi eligere illum modum,qui ipſi placeat,tu me ἀσύστατα loqui dices? *intricatæ ratiocinationis*) talia occurrunt in malitioſis cerebri tui figmentis : in hoc Authore nulla oſtendere vales. *arcana cœli tentet*) hæc manifeſta ſunt Lentuli convitia, uti liquet è ſuperioribus.

12. *Eadem crebrò inculcare*) ℞. adde, etiam loco alieniſſimo, ecquid enim ab hac materia remotum magis, quàm de via ad cognitionem Dei perveniendi diſſerere, de qua pluribus aliis locis agitur commodiſſimè? *Vtramque Carteſii ſpiritus*) ℞. atrociſſima hæc tua calumnia eſt: ἔχει Θεὸς ἔκδικον ὄμμα. Nihil unquam ſcripſit Carteſius quod in ſacrarum Literarum vilipendium cederet, nihil quod in illarum locum ſubſtitui vellet. Quòd autem inepta & invalida ratiocinatione exiſtentiam Dei probaverit, aut præpoſteram de Deo & natura rerum dubitationem induxerit, quamvis te ſpiritus tuus uſque rexerit, nunquam probabis.

13. *Deum à vita noſtra origine & conſervatione quærendi*) ℞. Cur igitur hanc viam à Carteſio tritam,ſed quam pro ſua inventione non jactitavit (vide ſupra cap. 22. §. 7.) improbâſti pag. 73. ſeq. 193. & alibi, quàm

quàm Scriptura S. comprobat? *Novâ convertendi gentes ratione*) ℞. quaſi non inter Chriſtianos degerent Sociniani aliique quàm plurimi, propter quos notitia Dei naturalis accuratè inveſtiganda, inculcanda? quaſi naturam Dei rationi ſuæ & mathematicæ demonſtrationi tuo ſenſu ſubjicere dicendus ſit, qui ejus exiſtentiam argumentis evincit (id quod Carteſius facit) non minùs certis atque evidentibus, quàm ſint Mathematicorum demonſtrationes? Tu verò nuſpiam vereris SS. literarum abuti authoritate, dum quæ Apoſtolus de imperveſtigabili Prædeſtinationis myſterio profert, ad naturam & exiſtentiam Dei, quam idem Apoſtolus cap. 1. ejusdem epiſt. & alibi humanæ rationi obviam eſſe contendit, obtorto collo trahis. Ne nunc dicam quòd Philoſophiæ Carteſianæ devovendæ Apoſtoli illud: *Deus pacis conteret Satanam ſub pedes veſtros citò*, uſurpare non debueris. Nimis enim atrox eſt maledictum tuum, nimis furibundus animus.

14. *Prærogativam*) ℞. nullam prærogativam Carteſius obtendit, contrà de ſuo ingenio modeſtiſſimè ſentit de Meth. p. 1. fine & alibi. Tu ipſi gratiam apud potentes & generis nobilitatem objicis non alia de cauſa, quàm quia ex te metiris alios. Sed cave ne tam facilè excidas gratiâ apud potentes,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

quàm inaniter de generis tui nobilitate gloriari ſoles apud natalium tuorum imperitos. Quod pag.ſeq. Carteſio tribuis quod id agat, ut magnatum pecuniam auferat, id mox ad veritatis, non ad Revii, quem hîc imitaris, libellam examinabitur.

15. Locum Carteſii, ne poſtea opus ſit, hîc reponam: *Cæterùm eò uſque nunc perveni ut mihi ſatis bene videar percipere, quâ ratione pleraque illorum ſint facienda quæ huic fini inſervire poſſunt. Sed video etiam illa eſſe talia & tam multiplicia ut neque manus meæ, neque fortunæ, etiamſi millecuplo majores eſſent, ad omnia poſſent ſufficere; prout autem deinceps plura aut pauciora faciendi copia erit, majores etiam aut minores, in Naturæ cognitione progreſſus mihi promitto.*

## CAP. XXVII.

### *Ad* §. 4. Sed ab illo. & 5. Objici quidem poteſt. *Vbi de mutatione ſententiæ, progreſſu in ſcientiis, errore, diſputatione.*

1. CArteſius Philoſophiam ſcribendi rationes hactenus protulit, jam cauſas exponit, cur chartis mandare quidem velit inventa ſua, at non permittere, ut ſe vivo in lu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

lucem exirent. Incipit his verbis: *Sed ab illo tempore aliæ mihi occurrerunt rationes, quibus ad mutandam ſententiam adductus ſum, & ad cogitandum me debere quidem pergere inſcribendis omnibus iis quæ alicujus eſſe momenti putarem, ſtatim atque eorum veritatem deprehendiſſem; idque non minore cum cura quàm ſi ea in lucem edere vellem; tum ut tantò majorem haberem ea bene examinandi occaſionem; Nam ſine dubio accuratiùs ſemper id elaboratur, quod à pluribus lectum iri creditur, quàm quod in privatum tantùm uſum ſcribitur; & ſæpe quæ mihi viſa ſunt vera, cùm primùm illa concepi; poſtea falſa eſſe cognovi cùm ipſa chartæ volui mandare; tum etiam ut nullam amitterem occaſionem publicam utilitatem quantum in me eſſet procurandi, & ſi mea ſcripta alicujus ſint pretii, ii in quorum manus poſt obitum meum devenient, illis prout commodum videbitur uti queant: Sed me nullo modo permittere debere, ut me vivo in lucem exirent, ne vel oppoſitiones & controverſiæ quibus fortè vexarentur, vel etiam qualiscunque fama quam conciliare poſſent, aliquam mihi darent occaſionem, tempus quod inſtitutioni meæ deſtinaveram amittendi. Etiamſi enim verum ſit unumquemque teneri quantum in ſe eſt aliorum bonum procurare; illumque*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*proprie nullius eſſe pretii qui nemini prodeſt; attamen verum etiam eſt curas noſtras ultra tempus præſens debere extendi, bonumque eſſe omittere ea quæ fortè aliquam viventibus utilitatem eſſent allatura, eo fine ut alia faciamus quæ multò magis nepotibus noſtris ſunt profutura. Quemadmodum etiam diſſimulare nolo, exiguum id quod hucusque didici, nihil ferè eſſe præ eo quod ignoro, & ad cujus cognitionem pervenire non deſpero.*

2. Lentulus contra hæc: *regulam, inquit, tuam de vitæ & actionum propoſito non mutando ipſe evertiſti.* ℞. Regula illa moralis ſecunda cap. 19. examinata de moribus & vita agenda loquitur, non de ſcribendo aut non ſcribendo. 2. Regulas illas Cart. ad tempus ſibi effinxit, dum videl. in peregrinatione conſtitutus dubitavit, poſtea ſi quid rationi minùs conſentaneum in illis deprehendere potuit, quidni corrigere potuit? Quid autem magis rationi conſentaneum, quàm ut in deliberando argumenta in utramque partem ventilemus, validioribus locum demus, ſententiam in melius mutemus. Ad reliqua Lentuli in ſuperioribus eſt reſponſum. Pudet eadem toties recoquere. Redeamus ad Carteſium, qui verbis jam jam poſitis annectit ſequentia.

3. *Eodem enim ferè modò agitur cum iis qui*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*qui paulatim veritatem in ſcientiis detegunt, atque cum diteſcentibus, quibus facilius eſt magna lucra facere, quàm antea multò minora cùm adhuc pauperes erant. Vel poſſunt cum exercituum præfectis conferri, quorum vires cum victoriarum ratione incrementa ſumere ſolent, & quibus poſt cladem acceptam majore prudentia opus eſt ad reſiduas copias conſervandas, quàm cùm prælio ſuperiores fuerunt ad urbes & provincias occupandas. Verè enim is prælio decernit; qui conatur ſuperare omnes difficultates & errores, à quibus impeditur ne ad cognitionem veritatis perveniat; & prælio vincitur, qui de re alicujus momenti falſam opinionem admittit; majoreque poſt ea opus habet dexteritate, ad ſe in priſtinum ſtatum reſtituendum, quàm ad magnos progreſſus faciendos cùm jam principia certa habet.*

4. Lentulus: *Nec cum annexis hæc verba, nec ſecum ipſa, nec extrema inter ſe conveniunt.* Non cum annexis: *dixerat enim exiguum id quod hucusque didicit, nihil fere eſſe pro eo quod ignoret, & ad cujus cognitionem pervenire non deſperet. Hoc inde probat, quod facilius ſit magna lucra facere diteſcentibus, quàm minora pauperibus; & quod exercitunm præfecto accepta clade majori prudentia ad reſiduas copias conſervandas opus ſit.* Non ſecum ipſa: *Quæ enim magna*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*lucra facientis, aut victoriarum progreſſu incrementa ſumentis convenientia cum eo qui clade accepta ſapere docetur; ut uni rei eodem modo per analogiam applicetur.* Non extrema inter ſe: *præmiſerat enim exiguum id quod hucuſque didicit, nihil ferè eſſe præ eo quod ignoret. clauſulam annectit: quinque aut ſex præcipuas difficultates à ſe ſuperatas, nec amplius quid deeſſe ut voti compos fiat, quàm duas aut tres ejuſmodi difficultates. Hæc ſecum variis modis pugnantia in gratiam redige: & Carteſio te ipſo ſapientiorem judicabo. In verbis ipſis quod reprehendam quod ſit alicujus momenti non detego: niſi quòd prælio vinci eum, qui de re alicujus momenti falſam opinionem* ADMITTIT, *non capio. Sic enim hic admittere falſam opinionem, idem eſt quod ultrò de rebus dubitare, ut inventioni veritatis gradum ſtruas; comparatio cum prælio victis non rectè inſtituitur. Nemo enim ſponte prælio vincitur. Sin lapſum in errorem & mentis aberrationem invitam notat: quid hoc ad rei inquirendæ copiam faciat, non video. Sed omnia ejuſmodi vulnera in Carteſio ſanare velle, Medici ad omne tædium ferendum obdurati opus eſſet.*

5. *Hoc inde probat*). ℞. Hoc ipſum quod didicit reſpectu illorum quæ diſcenda reſtant, exiguum & ferè nihil vocat, ex quo

perpe-

perperam deducitur, illud abſolutè & in ſe conſideratum non eſſe quid eximium. Ita res creatæ reſpectu Dei imperfectæ, imò nihil ſunt; ſed abſolutè ſpectatæ aliquid & perfectæ ſunt. Probat igitur Carteſius ſe nunc melius proficere poſſe, gradatim plura cognoſcendo, poſtquam aliquid didiciſſet, quàm antè, cùm nihil certi de rebus phyſicis determinâſſet; atque ita non ut pauperem, ſed ut diteſcentem ſe conſiderat & tanquam exercituum præfectum, cujus vires pro victoriarum ratione incrementa ſumunt. Hæc ſunt proximè annexa, nam exemplum à clade accepta ad ſequentia, non ad antecedentia applicatur.

6. *Non ſecum ipſa*) ℞. magna lucra facientem, aut victoriarum progreſſu incrementa ſumentem confert Carteſius non cum eo qui clade accepta ſapere docetur, ut fingis; ſed cum eo qui in ſcientiis, quarum principia tenet, paulatim proficit. At clade accepta ſapere doctum, cum eo comparat, qui de re alicujus momenti falſam opinionem admittit & majore poſtea opus habet dexteritate, ad ſe in priſtinum ſtatum reſtituendum, h. e. ab errore liberandum cùm dediſcere ſit difficilius quàm diſcere. Ita ſecum optimè conveniunt omnia.

7. *Quinque aut ſex præcipuas difficultates*) ℞. Hæc verba comprobant id quod paulò



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

antè dicebam, non eſſe nihil quod in ſcientiis invenerit Carteſius, licèt intuitu eorum quæ ignoraret nihil eſſe modeſtè judicârit. At, inquis, ſi quinque aut ſex difficultates præcipuæ ſuperatæ ſunt, tantumque reſtant duæ aut tres ejusmodi difficultates ſuperandæ, ſequitur Authorem, contrà quàm aſſeruit, plura jam didiciſſe; pauciora ei diſcenda ſupereſſe. ℞. quid ſi tres illæ quæ reſtant difficultates longè magis abſtruſæ minusque ſuperabiles ſint, quàm fuerunt ſex illæ jam ſuperatæ? quid ſi conſequentiæ ex his educendæ multò, imò innumeris modis plures ſint, quàm fuerunt ex illis eductæ? Prius illud adſtruitur verbis Carteſii hujus diſſ. p. 64. *ſi ulteriùs quàm fecerim progrediendi ſunt capaces, multò potiori ratione erunt per ſe inveniendi id omne quod me hactenus inveniſſe puto; quoniam cùm nihil unquam niſi ordine examinaverim, certum eſt id quod mihi è tenebris eruendum reſtat, multò ex ſe difficilius & occultius eſſe, quàm id quod antea reperire potui.* Poſterius per ſe liquet è rerum in ſpecialiori Phyſica cognoſcendarum varietate & multitudine. Quæ cùm ita ſunt, concludendum eſt, pugnantia Carteſium non dixiſſe, quamvis pugnaci adverſario ita videretur, neque proinde opus eſſe ſapiente Carteſio majore, ad ea quæ dixit in gratiam redigenda.

8. Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

8. Sed quærat adhuc aliquis, ſi difficiliora ſunt quæ reſtant inveſtiganda, iis quæ jam inveſtigata ſunt Carteſio, quomodo igitur majorem inveſtigandi facilitatem acquiſiviſſe dici poteſt? Levi dubio leve reſponſum ſufficit. Vires quidem euntis roboratæ ſunt, ſed via eunda magis aſpera. Adſcendendo montem dum vel uno paſſu progrediatur, longiùs proſpicit, quàm cùm circa radices ejus inambulando paſſibus decem promoveret.

9. *Lapſum in errorem*) R. hunc mentis lapſum intelligit, qui, ut ſcias, diverſa ratione & ſpontaneus & invitus appellari poteſt, *quamvis enim revera nullus ſit, qui expreſſè velit falli, vix tamen ullus eſt, qui non ſæpe velit iis aſſentiri, in quibus error ipſo inſcio continetur* P. I. 32. Quare autem hoc ad rei inquirendæ copiam trahendum putes, non video, nec forſitan ipſe jam vides amplius.

10. Quæ ſequenti pagina de diſcipulorum Carteſianorum jactantia objicis, jam in ſuperioribus rejecta ſunt. ἀλόγους eos fingis, quando ex eo quod ſperavit Carteſius, nullam ipſis dubitandi anſam relictam putas, quin præſtiterit. Et cùm generoſè adeo interrogas; *quid reſtat igitur Carteſii aſſeclis, quin & errorum immunitate & nominis divina appellatione Carteſium pro Deo habeant?*

*beant*? facilè reſpondebunt Carteſii aſſeclæ, ſe quidem nunquam eſſe ſolitos merum hominem ab omni errore abſolvere, attamen valde ſibi mirum videri, tam perſpicacem adverſarium nullos in eo errores potuiſſe oſtendere, ut hac ipſa de cauſa magiſtrum ſuum majoris facere nunc incipiant, quàm antea fecerint unquam. Dum verò divinum vocant, non magis illum pro Deo habent, quàm ſi Platonem, ut fieri ſolet, eadem appellatione dignentur. Hunc audi in Menone, & qui Laconiſmum profiteris, Laconicos imitare: *Laconici*, inquit, *quoties bonum quendam virum commendare volunt, Divinus hic vir, ajunt*. Heroïcam virtutem nemo denegat Sapienti, & heroes qui ſunt, divinos appellari nemo neſcit. Nunc abi & cogita, Domine Lentule, quantum humani paſſus fueris, quando divinum Carteſium ejusque diſcipulos immerentes acerbis adeo convitiis laceràſti. Num decebant barbari iſti mores civilis prudentiæ Profeſſorem?

11. Sed ad Carteſium revertamur qui paragr. hunc ita concludit: *Etiamſi enim omnia* (meæ Phyſicæ fundamenta) *ferè adeo ſint evidentia, ut opus tantùm ſit ea intelligere ad aſſentiendum; nullumque inter illa ſit, cujus demonſtrationes dare poſſe non ſperem; attamen quia fieri non poteſt, ut cum omnibus aliorum diverſis opinionibus conveniant, ſæpius*

*pius me à propoſito avocatum iri prævideo, oppoſitionum quas excitabunt occaſione.*

12. Lentulus: *multorum in ſe hominum incurſum prævidet, cognita vel novitate aſſertionum ſuarum vel etiam falſitate. Nam obſcuritatem quò minus nominem, ortam vel à rerum difficultate vel ab hominum judicii imbecillitate, ipſe mihi obſtat, omnia ferè* ADEO *evidentia appellando. Certè manifeſtò evidentibus nemo aut admodum pauci ſe opponunt.*

13. ℞. Multorum in ſe incurſum prævidet cognitâ opinionum ſuarum ab aliorum, qui in varias ſectas diſcinduntur, Philoſophorum opinionibus diverſitate, non etiam falſitate, ut ſophiſticè addis. Quòd manifeſtò evidentibus nemo ſe opponat, tuo exemplo refellis qui in Philoſophia Carteſiana inani auſu oppugnanda tam turpiter impingis, quemadmodum in tuorum examine vel cœco apparebit. Manifeſto etiam in errore verſaris, quando ea quæ evidentia ſunt, ſtatim cuivis obvia arbitraris. Audi Carteſium in epiſt. ad Sorbon. *Atqui quantumvis certas & evidentes illas putem, non tamen ideo mihi perſuadeo ad omnium captum eſſe accommodatas: ſed quemadmodum in Geometria multa ſunt ab Archimede, Apollonio, Pappo, aliiſve ſcripta, quæ etſi pro evidentibus etiam, ac certis ab omnibus habeantur, quia nem-*

*pe nihil planè continent quod ſeorſim ſpectatum non ſit cognitu facillimum, nihilque in quo ſequentia cum antecedentibus non accuratè cohæreant, quia tamen longiuſculæ ſunt, & valde attentum lectorem deſiderant, non niſi ab admodum paucis intelliguntur: ita quamvis eas quibus hîc utor certitudine & evidentia Geometricas æquare, vel etiam ſuperare exiſtimem, vereor tamen ne à multis ſatis percipi non poſſint, tum quia etiam longiuſculæ ſunt, & aliæ ab aliis pendent: tum præcipuè quia requirunt mentem à præjudiciis planè liberam, & quæ ſe ipſam à ſenſuum conſortio facilè ſubducat.*

14. Parag. ſequentem his verbis finit Carteſius: *nunquam obſervavi, veritatem aliquam antea ignotam, diſputationum Scholaſticarum ope in lucem protractam fuiſſe. Nam dum unuſquiſque contendit vincere, plerumque potius ad veriſimilitudinem, quàm ad rationum utrinque allatarum momenta attendi ſolet; & qui diu boni fuerunt advocati, non ideo poſtea meliores ſunt judices.*

15. Adverſus ea Lentulus: *Scripta ſua cenſuræ alicujus ſubjici, aut opponendâ controverſiâ redargui, & à ſe defendi, inutile eſſe judicat: quòd diſceptandi modus non ſit efficax ad eruendam veritatem. Hoc ſi valebit,*

*bit, cuivis quodvis garriendi licentiæ feneſtra aperietur. Ponamus quorundam ſua defendendi tam pervicax eſſe ſtudium, ut contrarium demonſtranti & oppoſitæ rationi cedere & manum dare victi nolint. Iccircone omnem vel voce redarguendi vel ſcripto ventilandi modum ut inutilem rejiciemus? Saltem auditorum judicio veritas eligendæ patet: inter quos eſſe nonnullos arbitrandi facultate præditos putandum eſt. Præterea metu contradicentium examinare theſes noſtras, cautiùs ingenio uti, & ne aliorum cenſuram incurramus noſtram antea pati diſcemus. Si nimia altercatione veritas amittitur: erutam mediocri diſputatione, antequam nimis ſubtili attritione conſumatur, conſervemus* &c. *Nec video quare neceſſe ſit, in diſceptatione omni magis ad veriſimilitudinem, quàm ad rationum utrinque allatarum momenta attendi: nec qui boni advocati officio diu functus fuerit, non poſſe abſque veritatis in judiciis detrimento judicum numero allegi, intelligo. Niſi meliorem judicem Fimbriam aut Catilinam, quàm Ciceronem cauſis agendis exercitatum, futurum fuiſſe arbitremur.*

16. *Scripta ſua*) ℞. Cur igitur ea cenſuræ ſubjicit in fine hujus Diſſ. & alibi? Nempe quia hoc loco edendorum, & non edendorum rationes in utramque partem con-

conſiderat, non debet exiſtimari, quod aut has (quas inter eſt oppoſitionum inutilitas) aut illas aliter ſpectet quam veriſimiles. Deinde aliud eſt improbare diſputationes *ſcholaſticas* h. e. quales vulgò in ſcholis vigent, in quas graviter invehitur Gaſſendus Exerc. parad. 1. aliud verò eſt omnem cenſuram & examen à ſcriptis ſuis amovere. Ac denique qui negat diſputationum ope ignotam veritatem in lucem protrahi, non ideo inficiatur, notam iis illuſtrari. Conſule Med. præf. ad Lect. in fine, & ſecund. Reſpp. pag. 82. Bacon de Verul. lib. 1. Nov. Org. aph. 71. *Scientiæ quas habemus, ferè à Græcis fluxerunt* &c. *Erat autem ſapientia Græcorum, profeſſoria, & in diſputationes effuſa: quod genus inquiſitioni veritatis adverſiſſimum eſt.*

17. *Cautiùs ingenio uti)* R. hæc paulò ante tam accuratè apud animum ſuum expenderat Carteſius, ut te doctore non indigeat. Legiſti verba capitis 27. initio à me citata: *me debere quidem pergere* &c. & hac ipsâ Diſſertationis paginâ Carteſii verba illa inſpexiſti: *adeò ut ferè nullum unquam offenderim opinionum mearum Cenſorem, qui mihi non videretur aut minùs rigidus, aut minùs æquus me ipſo.*

18. *Quare neceſſe ſit)* R. Clarum eſt Carteſium loqui de eo quod 1. plerumque fieri

fieri ſolet 2. in diſputationibus Scholaſticis. Tu de eo quod 1. fieri neceſſe eſt 2. in diſceptatione omni. Vide quàm egregiè Carteſium impugnes!

19. *Boni advocati)* ℞. Gallorum hoc proverbium eſt, quod veluti exceptioni obnoxium cùm excludis ab hac Diſſertatione, Logicum tuum acumen prodis, ignarus ubi analytica, ubi dialectica poſtulanda ſit probatio. Eodem jure poſſet alius impugnare quod paulò ante dixerat Carteſius, oculos plus videre quàm oculum, adducto ipſius Carteſii exemplo, qui unus plus viderit in ſcientiis, quàm decem Lentuli.

## CAP. XXVIII.

*Ad* §. 6. Quod ad utilitatem *&c. Ubi de perfectione operis ab alio inchoati, de propriæ inventionis prærogativa, quòd verum ſimplex & facile, quomodo noſtra ſint quæ ab aliis didicimus, de vulgaris Philoſophiæ & Carteſianæ utilitate & perfectione.*

1. EX hoc parag. Lentulus primò proponit iſta: *Et puto me poſſe ſine jactantia dicere, ſi quis earum perficiendarum ſit capax*(meditationum mearum)*me potiùs eum*

*eum eſſe quàm alium quemquam. Non quod ingenia in orbe eſſe non poſſint quæ meum multis paraſangis ſuperent; ſed quia fieri non poteſt ut rem adeo bene concipiat & ſuam reddat, qui eam ab alio diſcit, atque ille qui ipſemet eam invenit. Quod adeo in hac materia verum eſt, ut quamvis ſæpe aliquas ex meis opinionibus explicaverim viris acutiſſimis, & qui me loquente eas videbantur valdè diſtinctè intelligere; attamen cùm eas retulerunt, obſervavi ipſos ferè ſemper illas ita mutaviſſe, ut pro meis agnoſcere amplius non poſſem. Qua occaſione poſteros hîc oratos volo, ut nunquam credant, quidquam à me eſſe profectum, quod ipſe in lucem non edidero.*

2. Ad hæc Lent. *ſe ſolum meditationum ſuarum perficiendarum eſſe capacem, nec quenquam alium, nimis audacter aſſeverat. Et ſibi ipſi repugnat*, pag. 53 & 54. *hujus opuſculi.* Verba habuimus ſuprà cap. 25. §. 40. ℞. Carteſius ait, ſi quis meditationum à ſe inchoatarum, perficiendarum ſit capax, *ſe potiùs* eum eſſe quàm alium quemquam. Lentulus fingit illum dixiſſe, *ſe ſolum* eum eſſe nec alium quemquam. Si quis dicat, Ariſtoteles potiùs fuit Logicus quàm Philoſophus (id quod verè dicitur) Lentulus ſuo inferendi more concludet, E. Ariſtoteles fuit tantùm Logicus, nullo modo Philoſophus,

phus, quam conſequentiam ridebit Peripateticus. Vnde patet Carteſium ſibi nequaquam repugnare, quod ipſum quoque in fine cap. 25. monſtratum fuit.

3. Lentulus ſecundo loco obſervat: *ingenia ſuo ſuperiora in orbe eſſe poſſe non contendit: eſſe verò & fuiſſe non facilè conceſſerit.* ℞. Agnoſcit eſſe poſſe ingenio ſuo ſuperiora, eſſe etiam & fuiſſe in fine pag. 1. hujus Diſſ. confitetur. Adhæc, licèt à poſſe ad eſſe non valeat conſequentia, non tamen qui affirmat eſſe poſſe, illico negat actu eſſe.

4. Lentulus tertiò ait: *fieri non poſſe, ut rem ab alio traditam eadem felicitate qua inventor concipiamus, vel conceptam literis conſignemus, non eſſe abſolutæ & æternæ veritatis arbitror. Et poſſem ad refellendam hanc aſſerendi audaciam experientia teſte & hiſtoria judice ſtare: ſi tanti eſſet meo & lectoris otio abuti.* ℞. quod tu, etiam ratione deſtitutus, aliter arbitraris ac ſentit Carteſius, nihil probat, niſi quod contradictionis ſpiritu agiteris. Ex eo quod ais te poſſe hiſtoria judice ſtare, ſecundùm tuum argumentandi modum, quo jam jam utebare, ſequitur, te igitur eâ non ſtare. Ad Carteſii aſſertum illuſtrandum & firmandum facit, quòd viſum magis diligimus quàm auditum, quia ille inventionis propriæ, hic diſciplinæ ab alio hauſtæ

ſenſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ſenſus eſt, vide Ariſt. initio Metaph. item, quòd liberi à nobis ipſis nati magis ſint noſtri & arctiùs nobis juncti, quàm adoptati; item quòd aves cohortales ſuaviores habeant carnes, ſi non paratâ eſcâ ſaginentur, ſed ruſpando ſibi ipſæ cibum quærant. Vnde Carteſius Dioptr. V. 12. fine: *quorum omnium ratio manifeſta eſt ex iis quæ ſuprà audivimus, & quidem majus operæ pretium erit, mediocri meditatione illam inquirenti, quàm obiter ſingula fuſius hîc enarrata legenti.*

5. Quartò ait: *Viris acutiſſimis hanc opinionum novitatem diſtinctè fuiſſe explicatam, nec tamen ab iis perceptam, veritatem in iis laborare perſpicio. Errorum enim difficilis intellectio: veritas ſua luce & nuditate intellectui ſe commendat. Aut igitur acumen ingenii defuit acutiſſimis illis viris, aut non diſtinctè illis conceptum tuum explicâſti; aut rerum falſarum peregrinitas obſcuritate ſua intellectui repugnabat. Elige & fruere.* ℞. Priùs perceptum ab iis fuiſſe non inficiatur, ſed poſtea rectè aliis relatum eſſe negat, quod tum memoriæ leviùs imprimentis, aut difficiliùs reddentis, tum eloquendi facultatis defectu, tum rationis ad conſueta relabentis vitio contingere potuit, ut explicationem Carteſii, aut virorum acumen, aut opinionum explicatarum peregrinita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

nitatem accuſare nulla cogat neceſſitas. Quòd erroris quàm veritatis difficiliorem intellectionem autumas, eò quòd veritas ſua luce & nuditate intellectui ſe commendet, cave, ne in detrimentum vulgaris Philoſophiæ ſtatuiſſe videaris. Ita enim Carteſianus quiſpiam concludet: quò quid intellectu facilius eſt ac ſimplicius, eò verius. Atqui noſtræ Phyſicæ principia, extenſio in longum, latum & profundum, figura, ſitus, motus, ſunt facilia & ſimplicia: Peripateticorum verò materia prima, forma ſubſtantialis, privatio, occultæ qualitates *&c.* vix ac ne vix quidem intelligi poſſunt. Ergò.

6. Quintò pergit Lent. *quomodo à poſteris impetrabis, ut nihil credant à te eſſe profectum, niſi quod in lucem ipſe ediderit?* & paucis interjectis: *an verò hic verborum tuorum ſenſus eſt, nihil cum mente tua convenire, niſi quod tuâ operâ lucem viderit? malè ſic agitur cum fidelibus diſcipulis tuis, qui quæ à te didicerunt, nec pro ſuis edere, nec tandem pro tuis, ſine manifeſta injuriæ in te ſuſpicione audeant. Nec ſolus erit Regius, qui antea à te laudatur, poſtmodum edendis theſibus vituperium & iram tuam pro mercede abſtulit. Tutius igitur abſtinere ſacris tuis, quàm attactu fulminis tui vibrationem metuere.*

7. ℞. 1. Senſus verborum Carteſii in Gallico clarus eſt : je ſuis bien aiſe de prier icy nos neveux, de ne croire jamais que les choſes, qu'on leur dira, vienent de moy, lorſque je ne les auray point meſme divulguées. 2. Qua ratione id quod à præceptoribus hauſimus, aut noſtrum aut alienum cenſeri debeat, declarabo tibi pulcro ſimili, quod à ſapientiſſimo amiciſſimoque Viro Domino Andreæ aliquando accepi : *Quæ à Præceptoribus habeo, ſi verbotenus repeto, ipſi ſibi vindicent, quemadmodum cibus datus, ſi integer relictus ſit, manet patrisfamilias vel convivatoris : at ſi oſtendo me in ſuccum & ſanguinem convertiſſe, & exinde ſemen genitum, unde hic fœtus enatus, mihi ea vindico jure, nec habent Præceptores quod repetant, ut paterfamilias cibum aſſumtum & in ſuccum, ſanguinem, ſemen converſum ſibi vindicare nequit, niſi quod poſſit jure poſcere gratias à filio vel alumno, quod ſuo beneficio vixerit, creverit.* 3. Regium nullâ injuriâ Carteſius affecit, quando theſes ipſius improbavit ac refutavit, ob cauſas juſtiſſimas initio Notarum ad Programma expreſſas.

8. Adfert porrò Lentulus iſta Carteſii verba : *attamen ipſorum* ( fervidiſſimorum Ariſtotelis ſectatorum ) *philoſophandi ratio valde commoda eſt ingeniis infra medio-*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*veritatem poſitis. Diſtinctionum enim & principiorum quibus utuntur obſcuritas, cauſa eſt ut de omnibus æquè confidenter loqui poſſint, ac ſi illa optimè noviſſent; & ita adverſùs ſubtiliſſimos acutiſſimoſque omnia quæ dicunt defendere; ut falſi argui nequeant. Quæ in re ſimiles mihi videntur cœco, qui ut æquo Marte adversùs videntem decertaret, eum in profundam & obſcuram cellam deduxiſſet. Ac poſſum dicere iſtorum intereſſe ut ab edendis Philoſophiæ qua utor principiis abſtineam. Nam cùm ſimpliciſſima & evidentiſſima ſint; idem propemodùm facerem, ea luce donando, ac ſi aliquas aperirem feneſtras, per quas lux in illam cellam ingrederetur, in quam ad pugnandum deſcenderunt. Imò neque præſtantiora ingenia habent cur optent ea cognoſcere. Nam ſi velint ſcire de omnibus loqui, & eruditionis famam ſibi comparare; eò faciliùs pervenient, ſi veriſimilitudine contenti ſint, quæ ſine magno labore in omni genere materiæ inveniri poteſt; quàm veritatem inveſtigando, quæ paulatim tantùm in quibuſdam patefit; & cùm de aliis loquendum eſt, ad ingenuam ignorantiæ ſuæ confeſſionem impellit. Si verò paucarum aliquot veritatum notitiam præferant vanæ nihil ignorandi profeſſioni, ſicut procul dubio præferenda eſt, & meum inſtitutum ſectari velint,*

*non*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*non opus habent ut quidquam ipſis amplius dicam, præter id quod jam in hac diſſertatione à me audierunt. Nam ſi ulteriùs quàm fecerim progrediendi ſint capaces, multò potiori ratione erunt per ſe inveniendi, id omne quod me hactenus inveniſſe puto; quoniam cùm nihil unquam niſi ordine examinaverim, certum eſt id quod mihi è tenebris eruendum reſtat, multò ex ſe difficilius & occultius eſſe, quàm id quod antea reperire potui; & minor multò ipſis eſſet voluptas id à me quàm à ſeipſis diſcere. Præterquam quòd habitus quem ſibi comparabunt, facilia primùm quærendo, & paulatim atque per gradus ad alia difficiliora tranſeundo, ipſis plus omnibus meis documentis profuturus ſit. Sicut quod ad me attinet, ſi à juventute edoctus eſſem omnes veritates, quarum poſtea demonſtrationes inveſtigavi, & ſine labore illas didiciſſem, opinor me fortaſſe nunquam multò plures cogniturum fuiſſe; ſaltem nunquam acquiſiturum fuiſſe habitum & facilitatem qua me ſemper novas & novas inventurum ſpero, prout animum ad eas inveſtigandum applicabo. Et ut verbo dicam, ſi quod in mundo eſt opus, quod ita bene ab alio non poſſit abſolvi, atque ab eo qui inchoavit, illud eſt in quo verſor & laboro.*

9. Ad ea Lentulus: *Philoſophiam quam vulgarem vocat, commodiorem eſſe duobus*

*duobus hominum generibus oſtendit* 1. *ingeniis infra mediocritatem poſitis* 2. *præſtantioribus etiam ingeniis. Deinde his qui jam hanc methodum audierunt, conſultius eſſe ait, & jucundius, à ſeipſis quàm à Doctore Carteſio diſcere, & in quærenda veritate laborare. Quod dat accipimus & juventutem, ſive Carteſium amplexetur ſive averſetur, ut à præceptis Carteſii abſtineat, hortamur. Nam ſi Carteſium ſequuntur magiſtrum: authoritas magiſtri eos à nova Philoſophia abſterret: ſin eum fugiunt: ratio ab eadem abducit. Sive igitur obedientes illi ſint, ſive præceptorum ejus negligentes: utroque modo Philoſophia Carteſiana deſerenda.*

10. R. Carteſius dum rationes ſcripta non edendi proponit, ut eorum dilatam editionem minùs ægrè ferant lectores, ingenia eorum dividit in ea quæ ſunt infra mediocritatem poſita & quæ præſtantiora: illis vulgarem philoſophandi rationem commodam eſſe cenſet, quatenus in tenebris vivere ac certare, quàm luce qua infirmiores eorum oculi offenduntur, illuſtrari, præoptant, quò pertinent illa verba: *Diſtinctionum enim & principiorum* &c. Deinde præſtantiora ingenia diſtinguit in duo genera. Nam alia, eruditionis famam appetentia, ſcire de omnibus loqui



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

geſtiunt : alia paucarum veritatum notitiam præferunt vanæ nihil ignorandi profeſſioni. Prioribus, ad talem ſcopum, commodiorem dicit vulgarem philoſophiam; poſterioribus utilius & jucundius æſtimat, ut methodi ſuæ ductu ſtudeant in ſemetipſis, quàm ut cognoſcant jam à ſe inventa. Hæc ſi Lentulus accipit eo ſenſu quo dantur, exiguam apud Peripateticos gratiam inibit. Authoritas verò Carteſii neminem hoc loco à Philoſophia nova abſterret, ſed vel maximè ad eam invitat, dum illius in ſemetipſo ope Carteſianæ Methodi reperiendæ ſtudium commendat, quod tamen facit deliberando, non decernendo, ſicuti manifeſtum eſt ex antecedentibus.

11. Pergit Lentulus : *jam in conflictum aciem Novæ & Receptæ Philoſophiæ educamus :, ut utra nobis acceptanda ſit, utilitatum collatione, videamus. Beneficio præceptorum peripateticorum noſtri homines ad*-verſus ſubtiliſſimos acutiſſimoſque omnia quæ dicunt defendere *poſſunt* ; ut falſi argui nequeant. *Id quod de Philoſophia Carteſiana negamus. Vtilitatem præterea nullam eſſe receptæ Philoſophiæ, in gratiam D. C. paulisper concedamus ; certè nec ulla inventorum Carteſii (nam Mathematica, quam ei non detrahimus, non ſtat illo inventore) utilitas, bene actum fuerit cum rebus humanis,*

*ſi non*

*ſi non graviſſimè à Novæ Philoſophiæ traditione læderentur.*

12. ℞. Si id quod de Peripatetica Philoſophia affirmat Carteſius, negas de Carteſiana, negas quòd hæc habeat *diſtinctiones & principia obſcura, quod de ignotis æquè confidenter loqui doceat ſuos cultores ac de notis, & ita* (quæ omnia omiſiſti) adverſus ſubtiliſſimos omnia defendere *&c.* Quod das, accipimus, neque Philoſophiam noſtram *ita* contra vos acutiſſimos unquam defendimus; ſed claris diſtinctionibus ac principiis utendo de notis tantùm ſententiam ferimus, & ea ſic defendimus, ut falſi à vobis redargui & convinci nequeamus. Interim tu nullâ unquam Novâ Sapientiâ evinces, Carteſianorum inventorum utilitatem eſſe nullam.

13. Progreditur Lentulus: *Logicam ad uſum vel explicandæ rei vel ſuadendæ & diſſuadendæ ita accuratè traditam eſſe, ut vix quod addi poſſit habeatur, fateri ipſi adverſarii coguntur. ideoque in diſputando noſtris contra nos armis utuntur: & ab eſurie Carteſii ad noſtram abundantiam confugiunt. Quod ſi qua ſpinæ, ſi qua ſuperfluitas à Scholaſticorum grege vel ab ipſo Ariſtotele admiſta ſit: habet & vinum generoſum ſuas fæces, habet & aquæ multum ſæpe affuſum: non tamen iccirco cellas vina-*

 *rias*

*rias vacuitate malumus, quàm doliorum re-
pletione intumeſcere. Audeat Carteſius je-
junitatem ſuam cum una pagina Kecker-
manni noſtri, vel etiam Rami comparare,
audeat cum organo Ariſtotelis contendere.
Nec vero in organo tantùm Logica Peripa-
tetica quærenda eſt: ſed in omnibus Stagiritæ
libris fuſa intuenda. Quanta probationum
claritate, quàm admirabili per omnia me-
thodo, vel adverſarios ſuos convincit, vel
propriam ſententiam ſtabilit? Nec argu-
tè definiendo, nec accuratè dividendo,
nec evidenter demonſtrando, nec denique
dilucidè ordinando, ſibi vel diſcipulis
deeſt.*

14. R/. 1. Adverſarii tui ad inventio-
nem ſcientiarum ſatisfacere Logicam vul-
garem fateri nondum coguntur, neque in
diſputando ac diſſerendo præcipuum Logi-
cæ uſum collocandum eſſe cenſent. 2. fa-
tentur tamen, Carteſium non inſtituiſſe
uſpiam perfectam & ad quoslibet uſus fa-
cientem Logicam ſcribere. At 3. interim
contendunt (quale tu de Logica Peripate-
tica) in omnibus Carteſii libris fuſam in-
tuendam & ex illis facili negotio perfici-
poſſe veram Logicam.

15. Lentulus in ſeqq. prolixum Cata-
logum texit librorum Ariſtotelicorum,
quæ vanitas reſponſum non meretur. De
Ari-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

Ariſtotele interea exclamat: *quàm ille eruditè octo Phyſicæ auſcultationis libris de Principiis corporum naturalium & ex his deducto motu. De quibus D. C. aut nihil aut ſilentio redarguenda.* Ex quibus colligerem Carteſianæ Phyſicæ Principia eum non legiſſe, niſi poſtea impugnata ab ipſo animadverterem. Nunc aliud nihil colligo, niſi quod nuſquam non ſtudeat viro optimè merito detrahere.

16. Accuſat inſuper Carteſium, quòd nihil de moribus, nihil de politicis & œconomicis, nihil de Rhetoricis & Poëticis ſcripſerit. Vbi 1. recedit à ſcopo ſuo, quando Carteſiana ſcripta impugnaturus, eundem vellicat propter ea quæ non ſcripſit. 2. injuſtus eſt, qui ea ab Authore flagitat, quæ vel non opus erat tradere, cùm ab aliis ſatis benè tradita eſſent, vel ob vitæ brevitatem dari non potuere. Profectò ſatis multa ſcripſit & quidem in iis ſcientiis, quæ inſtauratione maximè indigebant. 3. quando de moribus & vita honeſtè agenda nil niſi quatuor regulas, de quibus ſuprà, ab eo ſcriptas eſſe Lentulus aſſerit, aureum de Paſſionibus Animæ tractatum barbaro contemtu præterit aut proſcribit. 4. Eodem contemtu Mathematica Carteſii ſcripta, ut Dioptrica, Geometrica &



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

quæ adhuc inedita, tranſit, quæ compenſare queunt multos Ariſtotelis libros de aliis rebus conſignatos. Certè plurimi inſignes viri ſolo Matheſeos ſtudio totam vitam tranſegêre, nec tamen eò pervenêre quò Carteſius, quamvis glacies illis æquè jam fracta eſſet. 5. Carteſius, non ut Ariſtoteles in pleriſque, veterum inventa & labores in ordinem redegit, neque in eorum refutatione per integros libros, uti Ariſtoteles, occupatus fuit, ſed ſtudendo ex ſemetipſo abſtruſas veritates ordine convenienti detexit. Hinc initio lib. de Paſſ. An. ſic loquitur: *ea quæ de his* (paſſionibus) *docuêre Veteres tam parvi momenti ſunt, & maxima ex parte tam parum probabilia, ut ſperare non debeam me ad veritatem rei perventurum, niſi planè ab iis quas inſtiterunt viis receſſero. Idcirco eo hîc modo me oportebit ſcribere, ac ſi tractarem de materia quam nemo ante me attigiſſet.* Eodem modo reliqua ab eo ſcripta oportet arbitrari.

17. Denique iniquiſſimus obtrectator de Meditationibus Carteſii Metaphyſicis, quibus omnis certitudinis & ſcientiæ contra pertinaciſſimos quoſque adverſarios fundamenta ſolidiſſima jaciuntur, pronunciat, quòd *nihil dignum vel Ariſtotelis primâ Philoſophiâ, vel ſani hominis lucubratione*

*tione* continent ; atque ex eo quòd Cicero ſimilia quædam dixerit, qualia in ipſis firmiſſima demonſtratione concluduntur, Carteſii vanitatem vaniſſimus homo comprobare nititur.

## CAP. XXIX.

### *Ad* §. 9. Et putavi *&c. uſque ad finem Diſſertationis, ubi de Carteſii deliberatione, controverſiarum fuga, objectionum petitione, ſcriptorum edendorum fine, hypotheſibus, ingeniorum diverſitate* &c.

1. CArteſius circa finem hujus Diſſ. profert rationes, cur præſentem librum, qui præter hanc Diſſertationem Dioptricen & Meteora continet, in lucem ediderit, & oſtenſurus hoc ſcriptum immune fore à periculis iſtis, quæ ab editione Philoſophiæ imminere ſibi metuerat, ita loquitur: *Et putavi facile mihi eſſe eligere aliquas materias, quæ neque eſſent multis controverſiis obnoxiæ, neque me cogerent plura quàm velim ex meis principiis exponere; & tamen ſatis clarè patefacerent quid in ſcientiis præſtare poſſim aut non poſſim. Quod an feliciter mihi ſucceſſerit aliis judi-*

 *can-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*eandum relinquo; at pergratum mihi erit ſi examinentur; & ut tantò major ſit ejus rei occaſio, rogo omnes eos qui adverſus ea objectiones aliquas facere volent, ut eas ad meum bibliopolam mittant, à quo monitus, meum reſponſum eodem tempore adjungere conabor; iſta enim ratione, lectores utraque ſcripta ſimul videntes, tantò faciliùs de veritate judicium ferent. Non enim prolixa illis opponere reſponſa polliceor, ſed tantùm mea errata ingenuè ſi agnoſcam confiteri, aut ſi ea animadvertere non poſſim, ſimpliciter dicere quod putabo ad rerum à me ſcriptarum defenſionem requiri; nullâ additâ nova alicujus materiæ explicatione, ne me ſine fine ab una ad aliam tranſire ſit neceſſe.*

2. Adverſus ea Lentulus: *Hîc quædam obſervatu digna proferuntur 1. Ea quam ſupra notavi mentis inconſtantia & in mutandis actionibus cogitationum fluxus & refluxus, quæ judicii ſibi conſtantis invalida ſunt indicia. 2. Quorundam quæ in publicum prodeant ſelectio, reliquorum, & ſine dubio lucem metuentium, ſuppreſſione. quod colligo & ex controverſiarum metu, & ex illis verbis*, plura quàm velim. 3. *Fuga controverſiarum objectionum mox addendæ emendicationi diſſentiens.* 4. *Suſpe-*

*Eta*

*cta mihi plurium principiorum occultatio, cum tempore fortaſſis protrudendorum, ubi audaciæ viam præſtruxiſſet, aut ad amicos arcanâ privatæ inſtitutionis admonitione tradendorum. 5. Philoſophiæ Carteſianæ mutilatio, principiis ejus addiſcendæ occultatis aut truncatis: quæ ſatis eſt ad diſcipulos à ſpe perfectæ eruditionis abſterrendos. 6. Vtilitas publica eâ editione non quæſita, ſed authoris aliqua laudis aut pecuniæ aucupatio:* ut clarè patefaceret, quid in ſcientiis præſtare poſſit; *& ut experimenta quibus indigeret eroget. 7. Loci certi quò objectiones confluerent deſignatio: credo ut relictis validioribus eas libro ſuo conjungeret, quorum ſolutio eſſet facilior. Hæc etſi leviora videantur, tamen cæteris rationibus addita, ponderis nonnihil adferunt, ad Philoſophiæ Carteſianæ deprimendam admirationem.*

3. ℞. Ad 1. Suprà ſatis eſt reſponſum. Mirum eſt qua ratione Lentulus omnes deliberationes & conſultationes, tanquam inconſtantiæ indicia, proſcribere tentet, quarum ampliſſimum uſum politicus ignorare non debet, nec poteſt. Ad 2. Quod reliqua, quo tempore ſpecimina divulgavit nondum edita, lucem metuant, ex eo refutatur, quod poſtea ediderit. Nec ſine juſta ratione maluit quædam Philoſophiæ ſpecimina præmittere,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

quàm integram exhibere, priuſquam fuiſſet expetita, quemadmodum in fine Epiſt. ad Dinet. teſtatur.

4. Ad 3. nequaquam inter ſe pugnant, quòd materias elegerit *non multis* controverſiis obnoxias ſimulque adverſus earundem tractationem objectiones rogaverit, præſertim quia plus ſexcentis quæſtionibus explicuit, quæ ſic à nullo ante eum fuerant explicatæ, teſtante epiſt. ad Dinetum. Cur igitur examini non potuerint ſubjici?

5. Ad 4. Idem hîc repetitur ſub aliis verbis, quod ſecundo loco prolatum fuerat. Ad 5. Ineptiſſimus cavillator mutilationem Philoſophiæ Carteſianæ inde colligit, quod aliquantiſper illius Principia conſultò Author occultaverit, quaſi poſtea non dediſſet omnia.

6. Ad 6. Quòd utilitatem publicam omnium ſuorum ſcriptorum editione quæſiverit eamque ſemper præ oculis habuerit, ex iis quæ in hac ſectione habuimus, abundè liquet. Vide §. 2. *generale omnium hominum bonum* &c. §. 4. *quæ multò magis nepotibus noſtris ſunt profutura* &c. Porrò finis ſecundarius non excludit primarium, nec ſubordinatus ultimum. Ad 7. quòd validiores objectiones omiſerit aut omittere voluerit Carteſius, pingue mendacium eſt, nullo veriſimilitudinis colore tingendum.

7. Para-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

7. Paragr. decimum ſic orditur Carteſius: *Quòd ſi quædam eorum, de quibus egi initio Dioptrices & Meteororum, prima fronte offendant, quia hypotheſes voco & nolle probare videor; rogo ut integri tractatus cum attentione legantur, & ſpero hæſitantibus ſatisfactum iri. Rationes enim mihi videntur in iis tali ſerie connexæ, ut ſicut ultimæ demonſtrantur à primis quæ illarum cauſæ ſunt, ita reciprocè primæ ab ultimis, quæ ipſarum ſunt effecta probentur. Nec eſt quod quis putet me hîc in vitium quod Logici Circulum vocant, incidere; nam cùm experientia maximam effectuum iſtorum partem certiſſimam eſſe arguat, cauſæ à quibus illos elicio, non tam iis probandis quàm explicandis inſerviunt; contraque ipſæ ab illis probantur.*

8. Adverſus quæ Lentulus: *ex hypotheſi in rebus phyſicis ad demonſtrationem rerum progredi, opinionum eſt audacter ſerendarum fœcundum ſeminarium. Ita terram eſſe Planetam (à qua ſententia non abhorrere Carteſium patet) quaſi jure ſumetur: unde facilis probatio elicitur, terram perpetuo motu in orbem rapi, Sole in medio mundi quieſcente. Aut ſumatur terram moveri quieſcente cœlo: quæ non paucorum recens eſt opinio: inde concludetur, cœlum terrâ eſſe ponderoſius, aut gravia levioribus ad motum circularem*

*ſuâ naturâ eſſe propenſiora. Ab his per circularem reditum probabitur terram moveri, cœlum quieſcere. Hac ratione colligendi conceſſâ, quidvis de quovis inferetur. Ignem congregare viſum ſumam: inde nigredinem ignis probabo, lucem abnegabo: ex eo quaſi demonſtrato ignem congregare viſum colligam. Annon ſtupendam quidvis affirmandi vel negandi methodum inventio Carteſiana, exiguam apud ſapientiores initura gratiam, detexuit?*

9. R/. Nugæ iſtæ omnes refutantur è verbis Carteſii proximè annexis: *nec hypotheſes alio fine vocavi, quàm ut ſciatur confidere me eas poſſe deducere ex primis illis veritatibus quas ſuprà expoſui* &c. Qui è talibus hypotheſibus ad demonſtrationem rerum progreditur, non ſumet ignem congregare viſum neque nugabitur cum Lentulo. Quæſtio de terræ motu hujus loci non eſt, & jam in ſuperioribus tacta. Terram planetam eſſe Carteſius non ſumit, ſed ratione luminis repercuſſi eam cum planetis convenire, à poſteriori colligit P. III. 11, 12, 13. at ratione motûs differre probat P. III. 29.

10. Carteſii verba ſunt: *Nec hypotheſes alio fine vocavi, quàm ut ſciatur confidere me eas poſſe deducere ex primis illis Veritatibus quas ſuprà expoſui; ſed datâ operâ noluiſſe facere, ad impediendum ne quadam inge-*

*ingenia, quæ uno die addiſcere ſe poſſe putant, ea in quibus alius viginti annis deſudavit, ſtatim atque illa ipſis uno tantùm aut altero verbo aperuit, (& quæ eò magis errori ſunt obnoxia minuſque Veritatis percipiendæ capacia, quò ſubtiliora & alacriora ſunt,) inde poſſint occaſionem arripere, abſurdam aliquam Philoſophiam illis principiis quæ pro meis habebunt, ſuperſtruendi, ejuſque rei mihi culpa tribuatur.*

11. Ad ea Lent. *Conjecturam meam eſſe arbitrabar, ideo quædam principia à D. C. occuli, quòd editis periculoſiora eſſent. Conjecturæ locum non fuiſſe, dempta omni dubitatione ipſe Carteſius aperit: abſurdæ alicujus Philoſophiæ illis principiis ſuperſtruendæ metum innuens. Non igitur conjectura, ſed ratio indubia quam adferebam erat. Subtiliora autem & alacriora ingenia minùs eſſe veritatis percipiendæ capacia, & errori magis obnoxia, demus D. Carteſio, nec illi detrahamus ſubtilitatem & alacritatem ingenii, ut Gallo, eique non uni è multis: ſectatores etiam ejus, nobis intra mediocritatem ſubſiſtentibus, alacriori eſſe & ſubtiliori ingenio non repugnemus: concluſionem ex his præmiſſis eliciendam, authori hunc honorem dantes, ſubticemus.*

12. ℞. Carteſ. loquitur de ingeniis præcocibus & præcipitibus, quæ uno die ſe putant

addiſcere poſſe aut, quod longè plus eſt, refutare (ſicuti putavit Lentulus paucarum ſeptimanarum ſcriptitandi operâ) ea in quibus alius (v.g. Carteſius) viginti annis deſudavit, ſtatim atque illa ipſis uno tantùm aut altero verbo aperuit (vel, ſimul ac illa ſemel legerunt ὡς ἐν παρέργῳ.) De iiſdem pag. 13. ita loquebatur: *permulti ſunt, qui cùm plus æquo propriis ingeniis confidant, nimis celeriter ſolent judicare, numquamque ſatis temporis ſibi ſumunt ad rationes omnes circumſpiciendas*. Talia ingenia dicit eò minùs eſſe veritatis percipiendæ capacia magiſque errori obnoxia, quò ſunt ſubtiliora & alacriora, quod exemplo alacris Antagoniſtæ noſtri comprobatur. Talia ingenia metuit ne occaſionem poſſint arripere abſurdam aliquam Philoſophiam ſuperſtruendi ſuis principiis malè intellectis & per nimiam præcipitantiam dijudicatis (principiis, inquit, *quæ pro meis habebunt*, Gall. *ſur ce qu'ils croyront eſtre mes principes*) quemadmodum v.g. Revius & Lentulus ſuperſtruxerunt Dubitationi Carteſianæ perperam intellectæ & fraudulenter expoſitæ.

13. Ex quibus patet Lentulum 1. committere ſophiſma accidentis, quando per ſe tribuit Carteſianis principiis, quod per accidens tantùm, nempe vitio talium ingeniorum, qualia deſcripſimus, ipſis competit. 2. ſo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ſophiſma à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter, dum illud de quibusvis ingeniis alacribus & ſubtilibus accipit, quod de iis tantùm, quæ præcipitantiâ & nimiâ ſui confidentiâ abripiuntur, (quale non eſt Carteſii, quippe qui non præcipiti, ſed lento & ſuſpenſo gradu incedere amat de Meth. p. 15.) dictum fuerat.

14. Poſtremus hujus Diſſ. paragraphus eſt: *Cæterùm nolo hîc ſpeciatim quidquam dicere de progreſſibus, quos deinceps me in ſcientiis ſpero facturum, aut erga publicum ullo me devincire promiſſo quod incertus ſim implere nec ne valeam. Sed tantummodo dicam, decreviſſe me quod supereſt vitæ tempus nulla alia in re collocare, quàm in ejusmodi naturæ notitia mihi comparanda è qua in Medicinæ uſum certiores regulæ quàm hactenus exſtiterint, depromi poſſint: Geniumque meum adeo ab omni alio propoſiti genere abhorrere, præſertim quod aliquibus prodeſſe non poſſit, niſi aliis noceat; ut ſi occaſione aliqua ad id ſectandum adigerer, non credam me poſſe eximium quid in eo præſtare. Quod hîc apertè profiteor, etiamſi non ignorem profeſſionem hanc inutilem eſſe ad mihi authoritatem aut exiſtimationem aliquam comparandam; quam etiam adeo non affecto, ut me ſemper magis illis devinctum arbitraturus ſim, quorum favore otio meo abſque impedimento*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*mento frui licebit, quàm iis qui mihi dignitates ampliſſimas offerrent.*

15. Adverſus quæ Lentulus: *Clauſula ut tonum in cantu, ſic animum ſcribentis plerumque detegit. Quem hîc, niſi aut parum aut nimium video, tectam modeſtiæ velamine arrogantiam &, inter animi fluctuationem, magna cum aliorum contemptu promiſſa eſſe video.* ℞. Verum eſt quod nimium videas atque invideas, quod ut pateat viſionis tuæ rationes videamus.

16. Primò ais, *Dicere quicquam* ſpeciatim *de progreſſibus non vult, quos & hîc ſperat, & alibi promiſit, & tamen hic incertus eſt implere nec ne valeat, & ullo ſe promiſſo erga publicum divincire abnegat.* ℞. 1. ſi dicere *ſpeciatim* nihil vult de progreſſibus quos ſperat ſe facturum, non ideo nullos *generatim* promittit. 2. non vult ſe ullo erga publicum devincire promiſſo, nempe tali, quod incertus ſit implere nec ne valeat, ex quo non ſequitur quod nihil publico promittat.

17. Secundò ais, *iterum de ſatisfactione expectationis dubitare non videtur, dum & quod ſupereſt vitæ tempus ei rei ſacrificat, & de effectu intentionis animi non dubitandum eſſe, alibi annotavit.* ℞. Si dubitare non videtur, ſi bene ſperat, ſi ut ſpei compos fiat quicquid poteſt agit, quid cavillaris?

18. Ter-

18. Tertiò dicis, *certiores in Medicina regulas ſe depromturum pollicetur: quod cum pagina hujus Methodi* 53. *collatum, rumorem de promiſſa ab eo termini vitæ vel diuturnitate vel perpetuitate popularem corroborat.* ℞. Quaſi non poſſint certiores innumeræ in Medicinæ uſum regulæ perfectâ Phyſicâ inveniri, niſi eadem ſint de vitæ perpetuitate. Quomodo autem termino vitæ diuturnitas aut perpetuitas tribuatur, non meliùs capio, quàm ſi principium vitæ diuturnum aut perpetuum perhibeatur.

19. Quartò dicis, *Genium ſuum ab omni alio propoſiti genere abhorrere, quàm à Naturæ & medicinæ ſpeculatione profitendo, abhorrere ſe & à tractanda Theologia confitetur: in cujus tamen venerandam ſegetem illotas manus & ineptam falcem ingerit.* ℞. Quando utitur his verbis: Genius meus ob omni alio propoſiti genere abhorret (mon inclination s'eſloigne) præſertim quod aliquibus &c. Theologiam intelligi nihil cogit. Nec verò peccavit eam non tractando, neque in ejus ſegetem illotas manus ingeſſit, ut cap. 5. oſtenſum fuit.

20. Quintò inquis, *Populum authoritate & legibus regendi, judicandi publicas & privatas lites, defendendi reos munus (quod enim aliud vitæ genus, honeſtum reo ſe &*

*ge-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*genere ſuo indignum intelligat?*) *prodeſſe aliquibus non poſſe, niſi aliis noceat, ſatis audacter ſtatuit.* ℞. Satis audacter ſtatuis quod defendendi reos munus ſe & genere ſuo indignum judicet, ſi fortè rabula forenſis eſſe renuat. Timidiùs judicandum fuerat, quando Authorem indefinitè loqui animadvertebas.

21. Sextò pergis: *Si omnia ad vivum reſecat, cavendo ne quo modo alicui noceat, & medicina ſanitatis effectrice nocere multis poteris: v. gr. quibus ſpem hæreditatis jam jam adeundæ erit, retento per artem tuam in vita ſeniore. Eadem operâ & veſpillonibus, & id genus hominibus, adimendo iis victum, ut & functionem defuncti exſpectantibus nocebit. Nocebit & tanto Medicorum gregi, hominibus tua arte ſine morbo & debilitate victuris. Sed jam hoc commodum, quòd eadem tua arte perceptionem terræ frugum ſine labore promittis.* ℞. Nimis ad vivum reſecas omnia, quando tam remotas ſtruis conſequentias, propter ea quæ per accidens eveniunt, res per ſe bonas abjici poſſe decernendo. Dum propter metum victus veſpillonibus, æditui & id genus hominibus adimendi, medicinam ſanitatis effectricem adſpernari quemquam poſſe arbitraris, prudentior non videris Turcis, Typographiam ideo rejicientibus, ne tot ſcribæ ſtipem petere cogantur. Sed audi Politicum te prudentiorem: *je ne pen-*

*penſe pas que les Turcs ſoient gueres prudens; n'introduiſans pas l'Imprimerie, afin que tant d'hommes qui vivent de coppier, n'aillent mendiant: cur l'Imprimerie eſt un bien beaucoup plus grand univerſel, que la mendicité de ces Copiſtes ne feroit de dommage.* Melliet. Diſc. pol. lib. 8. cap. 5.

22. Noceri Medicis, ſi arte Medica morbi profligantur aut vita prolongetur, non videtur terminis perſpectis affirmare mente ſanum poſſe. Tu conſule Verulam. de augm. ſcient. lib. 4. cap. 2. ſic ſcribentem: *Tertiam partem Medicinæ poſuimus illam de Prolongatione vitæ; quæ nova eſt & deſideratur; eſtque omnium nobiliſſima. Si enim tale aliquid inveniri poſſit, non verſabitur tantùm Medicina in Curationum ſordibus, nec Medici ipſi propter neceſſitatem ſolummodò honorabuntur; ſed utique propter donum mortalibus ex terrenis quaſi maximum; cujus poterunt eſſe, ſecundùm Deum, diſpenſatores & adminiſtri. Licèt enim mundus homini Chriſtiano, ad terram promiſſionis contendenti, tanquam eremus ſit, tamen in eremo ipſa proficiſcentibus, calceos & veſtes (Corpus ſcilicet noſtrum, quod animæ loco tegminis eſt) minùs atteri, gratiæ divinæ munus quoddam æſtimandum.* Eodem cap. idem Author dixerat. Neque verò ſubeat animos hominum ille ſcrupulus, ac ſi hæc res fato & divinæ providen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

dentiæ commiſſa, in artis officium & munus jam primùm à nobis revocaretur: providentia enim procul dubio mortes quascunque, ſive ex violentia, ſive ex morbis, ſive ex decurſu ætatis, pariter regit; neque tamen ideo præventiones & remedia excludit. Ars autem & induſtria humana, Naturæ & Fato non imperant, ſed ſubminiſtrant. Lege etiam Marſilii Ficini de vita producenda librum, ac deſine propter popularem rumorem, quo nihil eſt fallacius, Carteſium inſectari. Vel unum in Academia Heidelbergenſi conſule Clariſſimum Virum D. Iohannem à Leuneſchloſs, Matheſeos peritiſſimum Profeſſorem, qui Carteſio in Suecia familaris fuit, & vano rumori credere deſiſtes. Ad alia jam tibi reſponſum eſt c. 25.

23. Septimò quæris: *Curamne corporis animo, quem ſolum te eſſe ais, & vitam naturalem civili & honeſtæ præfers? iniquè ſanè à ſapiente factum. Vnius enim diei vita ex virtutis præſcripto acta vel mille annorum ſtultæ vitæ & affectibus ſervienti anteponenda. Poteras igitur, ſi concionandi munus vel faſtidiebas vel deſperabas, & reipublicæ tractatio tibi diſplicebat, moribus formandis & vitiis evellendis operam tuam addicere.* R. Ineptè cavillaris animum curare moribusque formare illum deſinere, qui rerum naturalium ſtudio aut medicinæ incumbit. Vide porro cap. 5. §. 13. Ineptiùs infers, quòd Carteſius

eſius ſolùm ſe animum eſſe pronunciet, eò quòd in prima Philoſophia animum priùs conſideraverit quàm corpus totumque compoſitum quod hominem appellamus. Vide quæ de Carteſiano Ordinis præcepto ſuprà diximus.

24. Octavò ita cenſes: *Parum ab Ariſtippo aut Epicuro, aut certè Metrodoro abes, qui eum perfectè putat beatum, cui corpus bene conſtitutum ſit, & exploratum ita ſemper fore. Cic. lib. 2. Tuſc. quæſt.* ℞. Simile poſſis de omnibus Phyſicæ & Medicinæ ſtudioſis dicere, ſed quibus hanc clauſulam fidiculis extorſeris ne quidem ipſe videbis ubi ad te redieris.

25. Nonò ais, *Modeſtiæ ſpeciem habet quod imperii geſtionem & dignitates ampliſſimas recuſas. Si magnitudine animi, gloriam omnem aſpernantis & ſua ſe virtute involventis; vituperare difficile eſt, ſin otii aucupio, & gloriæ enormis ex novitate rei quærendæ ſtudio; laudare difficile eſt.* ℞. difficile eſt quicquam tam benè proferre, quin livoris dentibus arrodatur.

26. Vt denarium compleas, ultimò addis: *Vtinam verum prolocutus fuiſſes, nolle te ita aliquibus prodeſſe, ut aliis noceres! non libros tuos & diſcurſus, turbarum & ſeditionum faces, in ſcholarum gremium, tanquam anguem in ſinum, immiſiſſes: non viros in eccleſia inſignes & pro columnis habitos, aut viru-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*virulenta detractione adiiſſes, aut mutuis convitiis ſordem attracturos inter ſe commiſiſſes. Non magna promittere, ſed agere viri boni eſt: & certius exiſtimationis comparandæ fundamentum vita quàm lingua glorioſa.*
R. Clauſula ut tonum in cantu, ſic animum ſcribentis hic detegit, animum de Viro, utiliſſimo humano generi labore, optimè merito calumnias perpetuò ſpirantem. Nunc vale Domine Lentule.

## CAP. XXX.

### *De iis quæ Revius contra poſtremam ſectionem protulit.*

I. LEntulo valere juſſo, ſupereſt ut cum Revio paulisper adhuc colloquamur, qui ſtateræ pag. 177. ſeqq. ex Diſſertationis hujus initio unum, ex poſtrema ſectione ſex loca producit, quæ quia è ſuperioribus nota ſunt, non repono. Tum Virgulam cenſoriam ſtringens hunc in modum orditur p. 181. *Habes hîc lector totum arcanum negotiationis Carteſianæ, id eſt media ac modos, quibus opiniones ſuas longè latéque diſſeminare, etſi non rationibus, ſaltem vel vi vel fraude incautis obrepere, eosque ſupplantare poſſet. Nemo hoc myſterium intellexit antequam captus eſſet, quapropter ne cui id tam facile deinceps contingat, paucis rem ut eſt enodabo.*

*nodabo. Et primo quidem cum animo ſuo diſputat Carteſius, num ſua typis divulgare, an penes ſe continere debeat, poſt obitum ſuum tandem lucem aſpectura. Horum prius ita neceſſarium aliquando credidit, ut* ſine magno peccato *id ſibi omittere non liceret: eo quòd generale omnium hominum bonum ex lege charitatis promovere teneretur. quod obſervent qui negotium hoc non putant eſſe negotium conſcientiæ. quid? an* magna peccata *conſcientiam non lædunt? at tale ſe commiſſurum credit Carteſius niſi ſuas opiniones edat. ſciat ergo viciſſim tale ſe commiſſuros meritò vereri, qui cognitis ejus erroribus conticeſcunt, neque ad eos cavendos proximo ſuo facem allucent. Et hæc quidem prima ejus fuit cogitatio, à qua deinde receſſit, &* nullo modo *ſe vivo quicquam ſuum publicandum exiſtimavit*, magno illo peccato *floccifacto, & argumento ab officio quo omnibus hominibus obſtringimur, exploſo. Verùm ne hîc quidem ſubſiſtit, ſed ad priorem ſententiam poſtliminiò reverſus, ſcriptis ſuis ut per manus hominum volitarent tandem conceſſit.*

2. *Vi vel fraude*) R. id non probabis in æternum. Quod verò honeſtis mediis ac rationibus dogmata ſua vera atque utilia propagare voluerit, crimini ducere nemo poteſt. Nec ſtuduit incautis obrepere, quando ad examen ſuorum omnes invitavit de Meth. p. 67.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

p. 67. nihilque ab ullo credi voluit niſi quod ipſi evidens & invicta ratio perſuaderet P. IV. art. ult.

3. *Cognitis ejus erroribus*) ℞. Quid verò ſi meris calumniis & convitiis optimè tradita oppugnent, uti facis. Iudicare de non intellectis, animi naturæ ordinem invertentis eſt; ſed eadem, cùm vera ac bona ſint, falſa, impia, blaſphema publicè proclamare, hominis eſt nullius conſcientiæ.

4. *Floccifacto*) ℞. Nec parvifecit peccata magna, nec argumentum ab officio, quo cunctis obſtringimur hominibus, exploſit, quando dixit pag. 59. ſq. *etiamſi verum ſit unumquemq; teneri quantum in ſe eſt aliorum bonum procurare; illumq; proprie nullius eſſe pretii qui nemini prodeſt; attamen verum etiam eſt curas noſtras ultra tempus præſens debere extendi, bonumq; eſſe omittere ea quæ fortè aliquam viventibus utilitatem eſſent allatura, eo fine ut alia faciamus quæ multò magis nepotibus noſtris ſunt profutura.* Opus conſcientiæ eſt facere quod ratio ſuadet, at ſi potior ratio aliud ſuadeat, conſcientiæ erit prius omittere & hoc potius ſequi. Eſt igitur conſcientiæ veritatum eruendarũ viam eâq; detectâ veritates ipſas hominibus communicare.

5. Pergit Revius p. 183. *Hîc cùm prævideret periculum, ne fortè ea oppoſitionibus & controverſiis, ut loquitur, vexarentur, vertit ſe*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*ſe in omnes formas: ingenium ſuum non majus ſe cenſere quàm cujuſlibet è vulgo aſſerens, noviſſe ſe quàm proclives ſimus in errorem cùm de nobis ipſis judicamus, ſuſpecta etiam eſſe debere judicia amicorum cùm nobis favent: quare omnibus ad ſe reprehendendum liberum acceſſum offert, ac emendationem ſui pollicetur ſi qua in parte hallucinatus deprehendatur, pergratum ſibi futurum ſuarum opinionum examen profeſſus &c. Quæ omnia cùm amici ejus, ex ſuo ingenio de ipſo judicium facientes, ſerio ac animo haud quaquam fucato agi putarent, ecce incauti in laqueum inciderunt, quo propemodum fuerunt ſtrangulati. Audi callidiſſimum ſtratagema: Rogat omnes eos qui adverſum ſua, objectiones aliquas facere volent, ut eas ad bibliopolam ſuum mittant, ſibi tradendas, reſponſum ſuum ſeſe continuò adjuncturum pollicitus, ut utraq; ſcripta in manus Lectorum ſimul pervenire, eoque melius ab eis dijudicari poſſint. Hoc verò perinde eſt, ac ſi quis ad certamen quoſlibet provocans, ut primo ad ſe arma ſua mittant ſtipularetur, quo ea domi ſuæ retundere, hebetare, & ad pugnam inepta reddere per otium poſſet; atque ita exornata antagoniſtis ſuis remitteret. Id quod hîc profectò factum.*

6. *Vexarentur*) ℞. Verè auguratus. Tu & tui ſimiles teſtes. Non vertit ſe in omnes for-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

mas qui unam in omnibus modeſtiam demonſtrat. Tu verò quot in formas te vertas, jam hujus, jam illius religionis homines, jam diſcipulos, jam præceptores Carteſii, jam amicos, jam adverſarios &c. adducens, ut flectere ſi nequeas ſuperos, Acheronta contra eum moveas, teſtatum faciunt molimina tua.

7. *Callidiſſimum ſtratagema*) ℞. Futiliſſimum Revii cavillum. Quomodo enim arma iſta ſi ſatis valida, ſic plus hebetabuntur, quàm ſi priùs in publico poſitis ſua opponat Carteſius. Sed nimirum fatetur Revius, tum nil valitura. Verùm ſi ſola ſine adverſario ſpectentur, ſplendore perſtrictura oculos ſpectantium, ad rem ubi ventum, illico diſſilitura. Atqui Carteſius ne vel tantillum de adverſariorum armis detriturus erat, ſed objectiones, ut fecit, integras ſimul juncturus. Quod ſi hoc ab ipſo fraudulenter factum interpretêre, demonſtra quod dicis, eſt enim res facti, quæ non præſumitur in deteriorem partem, niſi probetur. Ita tecum p. 247. te committo.

8. Quàm verò candidè egerit Carteſius diſcent Lectores ex ejus de Objectionibus quintis monito, quod nunc habetur Medd. p. 141. *Ante primam harum Meditationum editionem, cupii eas non tantùm à Sorbonicis Doctoribus expendi, ſed etiam ab omnibus aliis*

*aliis qui vellent viris eruditis; ut ipſorum Objectiones, ſingulas ſuo ordine, cum meis Reſponſionibus ad calcem Meditationum ſubjiciendo, majorem ex hoc conflictu veritas lucem acciperet. Et licèt ea quæ Quinto loco ad me fuerunt miſſæ magni præ cæteris momenti eſſe non viderentur, & admodum forent prolixæ, ſuo tamen illas ordine, ne de Auctore malè mererer, excudendas curavi; cui etiam meo nomine ſpecimina impreſſionis, quæ Probationes vocant, legenda ſunt tradita, ne quid fortè in iis quod pro ſuo non agnoſceret inſereretur.* Legantur etiam poſtrema verba ſeptimi Opponentis, quæ hæc ſunt p. 128. *Quæſtio 3. An poſſit inſtaurari Methodus. Quæris 3. an* * ubi Carteſius: *Plura non miſſa ſunt à R. P. Cumque reliqua ab eo rogarentur, reſpondit ſibi nunc otium non eſſe plura componendi. Nobis verò religio fuit vel minimam ejus ſcripti ſyllabam omittere.*

9. Iam ſi tam validæ futuræ erant objectiones, ut ſolvi non poſſent, quid periculi erat à reſponſis Carteſii? Nunquid liberum toti literato orbi de his atque illis judicium permiſſum? Sin imbecilles, an cum tempore robur ſperare poterant, ſi poſt demum reſponſa ſuccederent? Sed nempe apud imperitos, ſaltem exiguo tempore vanæ gloriæ fructum reportâſſent, quòd ſcri-

ptum eſſet contra Carteſium, nec reſponſum. Vide autem hominis iniquitatem. Carteſius edit ſua & ei opponentes ſeorſum opponent. Huic non licebit queri quod ſua arma hebetent. At illi edent objectiones, & Carteſius junget reſponſa oppoſita, ringentur, ſua arma ante prælium hebetari. Nimirum quia omnis vis, omnis acies eis in eo eſt, ut tempore invaleſcant & mentes Lectorum præjudicio excæcent, ne lucem veritatis queant ſuſpicere.

10. Progreditur Revius p. 184. *Hinc enim prodierunt objectiones* Virorum aliquot (*verba ejus ſunt in præfat. Medit.*) ingenio & doctrina excellentium *adverſus ejus Meditationes Metaphyſicas, primæ, ſecundæ &c. uſque ad ſeptimas, quas una cum ſuis reſponſis edidit, & quaſi in triumphum duxit; quo facto id ſe aſſecuturum ſperavit, ut & illarum objectionum auctores reſponſis ſuis acquieſcerent, & alii à ſeſe oppugnando abſterrerentur.* Satis enim multa (*inquit ibidem*) & varia ab illis fuerunt objecta, ut auſim ſperare non facile quicquam aliis, ſaltem alicujus momenti, venturum in mentem, quod ii nondum attigerint. *Succeſſit ei negotium in reliquis omnibus (quod & notavit Heereboortius) excepto Gaſſendo Quintarum objectionum auctore, quem ſe ut* præſtantiſſimum Philoſophum ſuſpiçere, ut Vi-

rum

rum candore animi atque integritate vitæ celebrem amplecti, & ejus ſemper amicitiam quibuſcunq; poſſet obſequiis demereri conaturum *ait Med. p. 453. & ſeq. qui nihilominus, quod ſe in Reſponſionibus ejus nec pro amico, nec pro Philoſopho exceptum eſſe animadverteret, repoſuit ei opus illud æternitate digniſſimum, cui titulus eſt*: Diſquiſitio Metaphyſica ſeu dubitationes & inſtantiæ, adverſus Renati Carteſii Metaphyſicam & Reſponſa; *in quo cùm Carteſius dogmata ſua ita exoſſata & exartuata videret, in eam rabiem exarſit, ut verſione Meditationum ſuarum Gallica & illius objecta & ſua reſponſa juſſerit ejici. Idque typographus jam fecerat, & quartis Objectionibus ac reſponſis ſubjunxerat ſextas, omiſſis Gaſſendianis, quæ quintæ erant; quòd cùm Interpreti durum videretur*, eò quòd objectiones illæ ( *ut ipſe loquitur* ) prodiiſſent è calamo Viri magnæ ob eruditionem celebritatis, néve cenſeretur eas omiſſas velle Carteſium propterea quod ad eas non haberet quod reponeret, Adhæc, ne privaretur Lector maxima libri parte, & verſio ſemiplena ei fuiſſet obtruſa, item ne quis putaret Viros adeo bene inſtitutos ( *Carteſium & Gaſſendum* ) capaces eſſe ſimultatis &c. *contrarium ei quod Carteſius juſſerat fecit, & objectiones Gaſſendi cùm ſuo ordine legi non poſſent, inverſa ſerie, quintas videlicet poſt*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*ſextas curavit excudi. Hîc ne ludibrium naſuto lectori deberet Carteſius, ſi tam celebres Gaſſendi Inſtantias tacitus præteriret, ac nihil eis opponeret, Epiſtolam Gallicam edidit, quæ tribus pagellis comprehendi poſſet, qua refellere videri vult, non ipſum Gaſſendum, ſed nonnulla ex ejus opere ab alio excerpta. Atque hæc eſt (ſi* DIS *placet) reſponſio illa Carteſii, de qua* ἀποτόμως *Heereboortius:* Reſponſum eſt Gallicè. *At ſcin quomodo reſponſum? ita videlicet ut ut quidam honoris causâ amico reſpondebat:*

*—— ne petas*
*Me velle reſpondere, non enim audeo,*
*Hocque eſſe reſpondere: Non reſpondeo.*

11. *Nec pro amico nec pro philoſopho*) ℞. Examinet Lector quintas objectiones cum reſponſionibus, videbit Carteſium nihil acerbius dixiſſe in Gaſſendum, quàm Gaſſendus jam dixerat in Carteſium. Philoſophi noſtri mos eſt ſimilia ubique opponere ſimilibus. Gaſſendus eum nomine Animæ compellat, ille viciſſim in fervore diſputationis Gaſſendum nomine Carnis, ſed diſputatione finita iſtis eum laudibus ornat, quas hîc exſcripſit Revius.

12. *Opus æternitate digniſſimum*) ℞. Crambe bis cocta. Sed ſit vobis ambroſia. *in eam rabiem.*) ℞. Rabiem non niſi rabioſus vocabit, quòd omiſerit in gratiam amici,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ci, qui offendebatur additis. Ita enim Carteſius de Gaſſendo in Monito de quint. ob. Med. 141. *quia poſtea ingentem conſcripſit librum, in quo eædem Objectiones cum multis novis adverſus meas Reſponſiones Inſtantiis continentur, & ibi me illas luce donaviſſe conqueritur, quaſi id præter ipſius mentem factum fuiſſet, qui eas ad me in privatæ tantùm meæ inſtitutionis gratiam miſiſſet, non invitus deinceps voluntati ejus obſequar, & iſtud volumen iis exonerabo. Ideo cùm audivi Ludovicum Elzevirium, induſtrium typographum, Meditationes meas una cum aliis Objectionibus prælo ſuo iterum ſubjicere decreviſſe, rogavi ipſum ut Quintas objectiones omitteret.* Vera igitur omiſſionis cauſa eſt ipſius Gaſſendi voluntas, & obſequium Carteſii, quod rabiem appellat Revius.

13. *Epiſtolam Gallicam*) ℞. Hæc epiſtola ea elidit, quæ præcipuum toto Inſtantiarum opere robur habere viri ingenioſi judicârunt. Nec ea tantùm, ſed etiam quæ ipſe Philoſophus præterea putavit reſponſione indigere, quæ his verbis aggreditur: *Cæterùm antequam huic Epiſtolæ finem imponam, duas adhuc annotabo hîc homonymias, quas in iſto Inſtantiarum libro offendi, quia præcipuæ eſſe mihi videntur quæ minùs attentos lectores in errorem poſſint abducere;*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*hac ratione oſtendere tibi cupiens me, ſi quid ibi inveniſſem quod reſponſione dignum eſſe exiſtimarem, id minimè fuiſſe prætermiſſurum.*

14. *Tribus pagellis*) R/. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, Domine Revi. *Quàm enim jejunum eſt & indignum Philoſopho, tractatum, quem refutare non poſſis, à paucitate foliorum ſugillare!* verba tua ſunt Stat. p. 248. quibus Heereboortium perſtringis. Et ſi quo jure hujus vafritiem (ſic enim loqueris) taxas, eodem & tuam notare licebit. Epiſtola enim illa Carteſii, quæ nunc latinè legitur, non tribus pagellis (quales tuæ in duodecimo) ſed ſeptem paginis in quarto (ut vulgo loquimur) comprehenditur. Tu ſi quid ultra vis, profer rationes, nec voluminibus velut ſaxis nos obrui poſſe arbitreris. Carteſius in ſæpius citato Monito ait, ſe illorum, *qui de libris ex mole ſolùm aut ex titulo judicant, approbationem non ambire.*

*Æſtimat ut precio Sapiens, non pondere gemmas:*
*Vtilitate probat ſic quoque mentis opus.*

15. Porrò Revius p. 186. *Deteriori etiam conditione fuit auctor ſeptimarum objectionum, homo Ieſuita, quem &, oblitus reverentiæ quam illi ordini ſe debere paſſim profitetur, maledicentiſſimè tractavit, &*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ad ſuperiores ſuos tanquam ſeditioſum detulit, & ejus objectiones ſimulque ſua reſponſa in verſione MeditationumGallica ne comparerent effecit. Et hæc quidem adverſus papiſtas ſuos: è noſtris verò ſi quis ab eo diſſentire auſus fuit, eum non rationibus confutare, quas nullas habet, ſed auctoritate Magnatum quorundam in quorum gratiam homo ſubdolus irrepſerat opprimere ſat-egit, ac ſe eis NOCERE POSSE publicè, cum omnium ſtupore, gloriatus eſt. Nec omnino verbis fides defuit, nam academias patriæ noſtræ in eas turbas conjecit, & profeſſores non philoſophiæ ſolùm, ſed & theologiæ, ita inter ſe commiſit, ut ſimile quid ab homine & extraneo, & diverſæ religionis effici poſſe, nemo unquam, niſi experientia teſte, credidiſſet. Taceo quàm contumelioſè diſcipulum ſuum H. Regium exceperit, ſimul ac in Philoſophia ipſius aliquid movere ſibi licitum eſſe duxit, & pergo ad ſequentia. Cum multa requiri videret experimenta ad Philoſophiam ſuam perficiendam, ad quæ nec manus ſuæ, nec fortunæ ſufficerent, etiam ſi (ut ait) millecuplo majores eſſent, omnes revera honeſtos viros, & quibus commune bonum eſſet cordi ſupplex rogavit, ut ſua ipſi communicarent, ſeque in reliquorum inveſtigatione juvarent. Mox mutatâ ſententiâ, nullas



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*nullas præter* ſuas manus *hîc utiliter adhiberi poſſe dixit,niſi fortè* opificum *&* mercenariorum, *qui lucri ſpe induci poſſent ad omnia facienda quæ ipſis* præſcriberet. *voluntarios autem, id eſt honeſtos illos viros quos ante ad id negotii invitaverat, rejecit. Ac denique nihil melius fieri poſſe ſignificavit, quàm ſi in experimenta quæ facturus eſſet* ſumtus *ſibi ſuppeditarentur, non à* quolibet, *ſed de* publico, *id eſt ab iis qui reip. præſunt, quibus & auctor eſt ut* impediant, *ne tempus ſibi ullius* importunitate *eripiatur. Atque hæc omnia ſub tali ſchemate, & verbis ita contortuplicatis, ac ſi non ad ſeſe ſpectarent, ſed,* Si quis eſſet in hoc terrarum orbe quem conſtaret capacem eſſe maxima quæque & in publicum utiliſſima inveniendi &c. *quaſi quis neſciret eum ſibi, ut alteram Antigenidam, hanc cantilenam intus canere.*

16. *Deteriori)* ℟. Septimus Opponens pro merito exceptus, & tu idem, imò durius, merebare,niſi cenſerem, rationem mihi habendam potiùs quid mihi dicere,quàm quid tibi audire conveniat. Legatur Opponens Septimus, cavillator agnoſcetur,te tamen minùs moroſus.

17. *Non rationibus* ) ℟. Quam tibi pulcher es, ô homo! Erras, ſi ex tuo ingenio de ipſo judicium facis. Ille rationes, tu convitia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

vitia habes. Virtute & eruditione ſe commendavit Magnatibus. Candidè Conſultiſſimus D. Mareſius in præfatione libelli de Paſſ. An. à ſe latina civitate donati: *Quanti eum vivum feciſſet ſapientiſſima Regina, armata Pallas Gotthicæ gentis, etiam ſuis lachrymis, audito mortis ejus nuntio, teſtata dicitur. Tantæ Reginæ de hoc viro judicium, ſufficit eluendo quicquid olim æmulorum quorundam zelus ac fervor illi voluerat adſpergere. Eorum nemo eſt cui tam pretioſè unquam parentabitur. Nec potuit non placere ſummis Principibus, qui talibus adverſariis diſplicuerat. Ea ſors eſt Virtutis & Eruditionis, ut illas non minùs invidia comitetur quàm fumus ignem.*

18. *nocere poſſe*) ℞. Quis homuncio viribus à Deo conceſſis non queat nocere hoſtibus ſuis, ſi velit? Et ſummis tyrannis abjectiſſimi homines. Atqui Carteſius non ita impar fuit ſuis adverſariis, ut ſperare deberent, non poſſe ſe pro merito ab eo caſtigari. Quod de nocendo per Magnates dicitur, calumnia eſt, niſi quantum legitimo judicio nocentibus jure poterat nocere, ad meritas pœnas trahendo. Quod, quia non quievêre, ex parte fecit, eas legitimo judicio, detectis technis eorum, notas inurens, quas nullum delebit ævum.

19. *ſupplex rogavit*) ℞. Hæc, uti



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

præcedentia, dicis, non probas. In loco quem ex initio p. 59. de Meth. exſcripſiſti, & unde verba illa: *omnes re vera honeſtos viros & quibus commune bonum eſſet cordi* &c. deſumpſiſti, non ſupplex rogat, ſed refert tantùm, quid aliquando in animo habuerit facere, nempe in tractatu aliquo declarare, quæ utilitas ad publicum rediret ex notitia experimentorum; eo fine, ut ad eorum communicationem induceret honeſtos viros. Itaque falsò id factum eſſe ais, quod Author tantùm in animo habuit facere, nec tamen fecit, & malè, eum ſupplicem rogare, dicis, qui rationes tantùm prolaturus erat, quibus moveret. Sequentia quoque ſimilis farinæ ſunt. Mala mens, malus animus ex ſe alios æſtimat, & peſſimè ſuſpicatur. Nec unquam inimicus quod in rem tuam ſit loquetur. Sed audiamus tamen hominem, pergit enim pag. 188.

20. *Rogo autem ut duo hîc conſiderentur: primò* infinitis *opus habet experimentis*, facultates *ejus ad ea invenienda non ſufficiunt, etiamſi* millecuplo *quàm ſunt majores eſſent, eas ſi ſupplebit reſpublica, Deus bone, quantos theſauros in unum Carteſium adigetur profundere! Nec injuria, nam non ſolus eis potietur, ſed* opifices *&* mercenarios *conducet, qui orbem terrarum ipſius vice perreptabunt, ut ſi quid miri* *produ-*

*producat Africa &c. ad ipſum deportent. Mirum verò ad quid ipſi profuturæ ſint opes tantæ, cùm omnia beneficio ſuæ methodi poſſit invenire, etiam ſupponens nec cœlum nec terram eſſe. neque quicquam in omnibus ejus libris reperiatur quod vel teruncio ipſi conſtitiſſe videatur, cùm nil niſi chimaricas ſpeculationes contineant. Globulos primi, ſecundi, tertii elementi, nec opifices nec mercenarii ei è longinquis oris advexerunt, ſed monſtrorum ferax ejus cerebrum ſuopte marte peperit. talia ſunt quæ de toto univerſo diſſeruit. quæ ei ſuperſunt enucleanda diverſi commatis eſſe non poſſunt.*

21. *Beneficio ſuæ methodi*) ℞. Ineptiſſime mortalium! Vel Grammaticæ tiro te redarguat. Perinde enim facis, ac ſi in hunc modum argumentareris: puer ille novit vocabula ſingula declinandi, conjugandi, comparandi, & plura conſtruendi modum. Ergo non opus eſt, ut ex Lexicis vel Auctoribus ipſa diſcat vocabula. Ita enim hic: Carteſius habet methodum, quâ ſeorſum res ſingulas & conjunctim omnes rectè cognoſcere, datur. Ergo non opus habet rebus ſeu materia, in qua methodum illam exerceat. Profectò, neſcio majorne inſcitia, an malitia animum tuum obſideat, quando vis Carteſium omnia, invenire poſſe in rebus phyſicis h.e. cœleſtibus

 & ter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

& terreſtribus (de his enim ſolis hîc ſermo eſt) quamvis ſupponat nec cœlum nec terram eſſe; libros ejus nil niſi Chimæricas ſpeculationes continere, globulos primi, ſecundi, tertii elementi &c. Equidem ſecundum elementum ex particulis ſphæricis conſtare demonſtrat Carteſius; ſed globuli primi ac tertii elementi chimæræ ſunt, quas non in Carteſii libris reperiſti, ſed monſtrorum ferax cerebrum tuum tuopte tibi Marte peperit.

22. At pergis p. 189. *Rogo, hac occaſione lectorem; ut oculos nonnihil defigat in Epiſtolam primam, præfixam libello Carteſii de Paſſionibus animæ, eſt autem, ut apparet, viri alicujus auctoritate pollentis, & Carteſio, licèt eum (jocanti, ut mihi videtur, ſimilis) liberè in nonnullis perſtringat, ſeriò tamen addicti.* (Hic Revius aliquot pagellas replet locis ex illa Epiſtola citatis; ſed rogo lectorem ut ipſum libellum, quippe qui ſeparatim venditur, ſibi comparet, & Epiſtolam lectu digniſſimam integram perlegat. Pergit Revius in fine p. 192. & ſeq.) *Videt, opinor, lector, hunc Auctorem, qui, quiſquis fuit, emunctæ certè naris fuit, Verecundum illud poſtulatum Carteſii, quo totius orbis terrarum theſauros penè univerſos, in ſe unum effundi petit, ut eorum ope Phyſica ſua poſſet abſolvere, ſalsè potiùs irridere, quàm (quod fortaſſe ſperabat Carteſius)*

*teſius) ſeriò juvare. Et ſane prorſus ridiculum & ab omni ratione averſum eſt hoc inceptum. quanam enim quæſo ei ſuperſunt inquirenda? foſſilia, ſtirpes, animalia. at ea penè omnia ſine ſumtu haberi poſſunt. exerceat ſe in iis quæ ante pedes ſunt, indaget ſecundùm ſua principia naturas herbarum, arborum, brutorum, auri, argenti, ſtanni, plumbi, lapidum & infinita alia, exigua ſingulorum portio ad hoc ſufficit, ne nugetur magnos hic requiri reditus. ſi qua ſunt exotica, ea quotidie ad nos à mercatoribus advehuntur, neque opus eſt ut exercitum foſſorum, bajulorum, nautarum, urinatorum &c. ſuo ære conducat ad ea ab extremis oris huc ſiſtenda. Quid ergo aliud, quàm Reges, principes, reſpublicas argento, quà poſſet emungere conatus eſt Carteſius, ut eos magnificis promiſſis tanquam vento paſceret? An & quouſq; hoc ei ſucceſſerit, non eſt noſtri ſcopi examinare.*

23. *Salsè potius irridere)* ℞. 1. iniquum eſt poſtulare, ut Carteſius omnia præſtet, quæ amici de eo cenſent, aut ad eum ſcribunt. 2. ſi epiſtola illa tota cognoſcatur, non irrideri Carteſium, ſed juvari, & experimentorum neceſſitatem clarè demonſtrari patebit. Nam ſi plus quinquaginta mille coronatis Gilberto unius lapidis experimenta conſtitere, quanti tot ac tam variorum foſſilium, ſtirpium, animalium experimenta conſtabunt?

bunt?

bunt? Non Chymici ſolùm, ſed & omnes alii qui in experimentis faciendis aliquod periculum fecêre, quanti ſumtus ea ſint probè nôrunt. Legat Revius Baconem de Verulamio, ac deſinat maledicere. Non fuerunt res Carteſii tam anguſtæ, ut pro ſe deſideraret quicquam, neque experimentorum in uſum publicum faciendorum gratiâ totius orbis theſauros propè univerſos in ſe unum effundi petiit.

24. Tandem Revius p. 193. *Alterum quod conſiderari velim eſt quod* impediri *petit, ne quis ſibi per* importunitatem *tempus eripiat. quid hoc eſt? Vultne excludi eos ab ædibus ſuis, qui accedunt, ut inutilibus fabulis tempus cum eo terant? Hoc à* publico *peti opus non erat, per ancillam, vel ſervum atrienſem (ſi quem habuit) id curare potuiſſet: aliud ergo, profectò vult, quod exiſtimat non aliunde quàm à* republica (*ut loquitur*) *ſibi præſtari, poſſe. quid hoc ſit divinet qui poteſt: ego nihil aliud invenio, quàm ut decretum condatur, è republica videri*, ne quis contra Carteſium ſcribat, *id enim* importunum *arbitratur, & otio, quo æquum ſit eum abundare, inimicum. Quod ſi obtinuerit (prudentiores autem fore qui ad clavum reip. noſtræ ſedent, non eſt quod dubitemus) papæ Bonifacio ſuccedaneum habebimus papiſtam Carteſium. Vt enim ille, ſi vel animarum aliquot millia ſe-*

*cum*

*cum ad gehennam abduceret, nemini libe-rum eſſe volebat, ut diceret,* Cur ita fa-cis? *ita & hujus negotium ſe habebit. Ta-le privilegium nemo unquam habuit, nemo (ne Carteſius quidem, uti ſpero) unquam habiturus eſt.* Pravilegium *hoc foret, non* privilegium.

25. *Quod impediri petit)* ℞. Alludis ad illa hujus Diſſ. p. 65. *adeò ut ſi quis eſſet in hoc terrarum orbe* &c. At cùm ea Carteſius indefinitè & generatim efferat, ad ſeipſum verò haud quaquam applicet (uti patet ex verbis paginæ ſeq. *Sed præterquam quod non tantum mihi tribuo* &c.) probare hinc nequis aſſertionem tuam.

26. *Ne quis contra Carteſium ſcribat)* ℞. Cur igitur toties rogavit objectiones, cur omnes ad ſuorum examen toties invitavit? Cur in Epiſtola ad Voet. parte ſeptima tam apertè ſcribit? *Notum eſt mihi non ſolere eſ-ſe ingratum, quod quis opinionibus meis con-tradicat, ſed eos qui veritatis explorandæ cauſa illas impugnant, hoc nomine inter a-micos à me numerari, & tantò eſſe gratio-res, quò validiores objectiones proponunt; eos autem, qui tantùm cavillantur aut con-vicientur, ſolere à me contemni.* Nemo cre-det tam ſtultum fuiſſe Carteſium, ut ejuſ-modi quid pro ſe peteret, quod impetrari non poſſe, adeo eſſet evidens.

27. *Pru-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

27. *Prudentiores autem fore*) R. Vanum te hîc augurem egiſſe ſciunt, qui quid hoc libro tuo Leidæ contigerit non ignorant. Vale & reſipiſce. Ita, quantum memini, omnia quæ ex hac Diſſertatione ad ſtateram ſuam reprobandi causâ detulerat Revius, abſoluto examine proba eſſe cognovimus. Nunc ad fontes mecum abeat amicus lector, ut ſordes quas cum lutulentis hominibus converſando contraximus, limpidâ quàm citiſſimè eluamus.

## CAP. XXXI.

### *De Fontium origine & Aquis.*

MAgnum illum Hebræorum regem Salomonem non ſine ſummo merito ſapientiſſimum celebrari mihi perſuadeo. Ità pulcra naturalis pariter & moralis ſcientiæ dogmata paſſim dedit. De fluviis inquit Eccleſ. 1. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat; ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Naturæ miraculum dixeris expreſſiſſe. Qui enim illud fiat, ut mare non redundet, in quod tot tantaque flumina ſe exonerant? Aut quomodo fontes & fluvii à mari prodire poſſunt, cùm ſæpe in montium jugis ſcaturiant, quò aqua propter gravitatem aſcendere nequit? Et cùm aquæ fontanæ & flu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

fluviales ſint dulces, marinæ ſalſæ, qua ratione contingere valeat, ut vel hæ ab illis, vel illæ ab his originem trahant? De ejuſmodi rebus diſquiſitionem inſtituere naturalium rerum admiratorem, non modò rationi conſentaneum eſt, verùm etiam ad optimi Creatoris potentiam ac ſapientiam prædicandam utile. Ab eo igitur qui Fons omnis veri & boni eſt rogamus, ut de *Fontium Origine* brevi diſſertatione acturi, ea tantùm quæ vera ſunt & bona, ad eruditorum cenſuram, rudiorum inſtitutionem proferamus. Quod ut fiat methodo quàm facillima, per Quæſtiones & Reſponſiones dilucidas rem totam pertractare conabimur, Platonis Dialogiſticam diſſerendi rationem quodammodo imitaturi.

QUÆST. I. Ecquodnam ergo primum eſt & potiſſimum fluviorum fontiumque principium? Reſp. Mare, dicente Salomone, cujus ductu philoſophari modò animus eſt. Nec videtur Plato ab ejus dicto jam citato valdè alienus exſtitiſſe, quando in calce Phædonis ita ſcripſit: χάσμα εἰς ὃ συῤῥέουσι πάντες οἱ ποταμοὶ, καὶ ἐκ τούτου πάλιν πάντες ἐκρέουσι, id eſt, *Hiatus in quem omnia confluunt flumina, atque inde rurſus effluunt.*

Q. II. Sed quomodo primùm è mari egreditur aqua ut eò perveniat ubi fontes

effi-

efficit? Reſp. In terra cavitates eſſe multas, multos meatus & hiatus ambigi nequit. Aquæ verò parva copia quantum ſe inſinuare ſoleat in quaſlibet etiam exiguas cavitates, quàm ſtudioſè quærat exitum, præſertim ſi agitata fuerit, nemo neſcit. Immenſa aquæ copia in mari eſt, quod à ventis validiſſimo impetu commovetur, admirabili æſtu tumefactum à Lunæ corpore attollitur ac deprimitur. Nec proinde dubium eſſe poteſt, quin aqua marina vi ponderis & reciproci motus vehementiâ per terræ quoſcunque meatus protruſa longè latéque diffundatur, adeò ut infra campos & montes magnæ cavitates aquis plenæ reperiantur.

Q. III. Facilè percipio, ad imas iſtas profunditates penetrare poſſe maris aquam; at quo pacto inde in ſublime attollatur, ut non ſolùm ad exteriorem camporum ſuperficiem, ſed ad ſumma quoque montium juga pertingat, nondum capio? Reſp. Attollitur ex iſtis cavitatibus aqua, quatenus vi caloris ſubterranei in vapores reſoluta per meatus quos ubique invenit, aſcendit. Nihil enim aliud ſunt vapores, quàm aquæ particulæ ope caloris ab invicem disjunctæ ac celeriter motæ.

Q. IV. Sed eſtne ignis aut calor in terræ, elemento frigido, à quo talis procedat



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

in aquas operatio? Reſp. Eſſe ignes ſubterraneos eoſque plurimos & maximos ſatis cognoſcitur ex Ætna, Veſuvio, Hecla & aliis montibus ignes ingenti copia eructantibus. Et per eſt veriſimile, ejuſmodi ignes in plurimis etiam terrarum locis non erumpere; at ſolùm per meatus diffundere calorem ſuum quaquavorſum, uti calor in animantibus à corde per omnia viſcera & corporis membra diſpergitur. Argumentum quoque ignibus hiſce thermæ præbent, è terræ planicie, quandoque etiam è montibus proſilientes. Ne nunc dicam de terræ motibus, qui ab iiſdem ignibus excitantur. Fiunt enim quando ſulphureæ & bituminoſæ exhalationes in rimas & cavitates terræ magnâ copiâ affluentes & pingues ibi craſſoſque fumos componentes, ab ignis aliqua ſcintilla protinus ita accenduntur, ut ſubito rarefactæ omnes carceris ſui parietes magnâ vi concutiant.

Q. V. Admitto ſanè ignes ſubterraneos, ſed eorum calorem adeò per univerſum terræ globum eſſe diſtributum, ut omnis aquarum in vapores tranſmutatio inde proficiſcatur, nondum planè convincor. Reſp. Neque illud fieri neceſſe eſt. Datur enim in terra calor à Sole productus, qui ut latè per eam diffunditur, ita profundè ſatis in eam penetrat.

Q. VI. At

Q. VI. At cùm radii ſolares in exteriore telluris ſuperficie terminentur, quî fieri poteſt, ut ad profundiora ejus deveniat calor ab illis excitatus? Reſp. Particulæ terreſtres à radiis ſolis impulſæ, alias ſibi vicinas, ad quas iſti radii non pertingunt, agitant, hæque rurſus alias, & ſic conſequenter. Cumque ſemper tota terræ medietas à ſole illuſtretur, tot ejuſmodi particulæ ſimul commoventur, ut quamvis lumen in prima opaca ſuperficie ſubſiſtat, calor tamen ab eo genitus, uſque ad interiores terrræ partes debeat pervenire, ubi metallorum & foſſilium (uti plantarum circa exteriorem telluris ſuperficiem) generationem promovet. Verùm dari calorem in terra, undecunque tandem oriatur, vel ex eo manifeſtum eſt, quod fumare ſoleat ipſa, ſi hiberno effodias tempore, quodque citò liquefiat nix, quæ agro ceciderit recens inarato.

Q. VII. Iam itaque didici, ignem & calorem per terræ interiora paſſim diſpergi, & experientiâ edoctus novi, naturam hanc eſſe caloris, quod aquam rarefaciat inque vapores reſolvat, quod in aqua ad ignem calefacta & radiorum ſolarium in paludes & humida loca operatione quotidie obſervo: Sed ſcire velim, ubi & à qua cauſa illi vapores in aquam, id quod requiritur ad fon-

fontes conſtituendos, iterum coëant & congregentur? cur non retineant ſemper vaporum formam, per terram huc illuc commoti aut in aërem egreſſi? Reſp. Equidem vapores ejuſmodi non pauci ad nubes uſque attolluntur, atque ibi frigore poſtea concreſcentes, pro vario concretionis modo, pluvias, nives, grandines producunt: attamen eorum plurimi quò minùs in aërem aſcendant, frigore, circa ſuperficiem terræ calidioribus partibus ſuccedente, impediuntur, eoque torpeſcentes in aquam revertuntur. Quæ cauſa eſt, ut hiberno tempore largior ſit aquæ effuſio, etiamſi non ſint imbres: Sicuti matutino quoque tempore largior eſt quàm pomeridiano, propter noctis præcedentis frigus. Etenim exiguus calor ſufficit ad aquam in vapores reſolvendam, namque pannus v. g. lineus aqua perfuſus facillimè exſiccatur in hypocauſto tepido, quæ exſiccatio fit aquæ in vapores reſolutione. Similiter exiguum frigus ſatis habet ad vapores in aquam cogendos efficaciæ, quod in vaporibus, qui vitreis feneſtris noſtris adhærent, quotidie experimur, dum levi frigore in guttulas aquæ condenſantur, quæ inde in terram ſæpè defluunt. Etiam exiguum operculi frigus efficit, ut halitus ex olla evaporans in aquæ guttulas concreſcat.

Q. VIII. Quo

Q. VIII. Quo autem pacto evenit, ut vapores ad montium juga identidem aſcendant, tam longum iter priùs emetientes, quàm in aquam vertantur? Reſp. Terræ meatus, per quos vapores ſurſum tendunt, eò uſque continuantur: atque faciliùs per iſtiuſmodi meatus vapor aſcendit, quia à terræ particulis ſuffulcitur; quàm per aërem, cujus fluidæ ac molles particulæ ipſum ita fulcire non poſſunt. Eadem de cauſa alimentum facil i s ſurſum movetur per poros ſtirpium & ſegetis, quàm per liberum aëra, unde agri frumento & horti arboribus conſiti magis emaciantur quàm non conſiti. Parque fumi, meliùs per caminum quàm per apertum aërem aſſurgentis, ratio eſt. Suntque hæc digniſſima, quæ obſervet naturalium rerum indagator.

Q. IX. Quando jam circa ſuperficiem terræ vapores in aquam ſunt converſi, qui fit, quòd hæc aqua mox in conſpectum noſtrum prodeat, aut certè latente curſu per vias parum diſtantes ab exteriori telluris ſuperficie decurrat; cur non potiùs deſcendit iterum per eoſdem illos meatus, per quos vapor aſcenderat? Reſp. Meatus illi, per quos vapor aſcendit nimis ſunt anguſti, quàm ut aqua per eoſdem deſcendere valeat. Longè enim tenuiores vaporum ſunt particulæ, quàm aquæ guttulæ, unde in reſolutioni-

bus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

bus chymicis obſervare licet, quòd millenæ aliquot vaporis portiunculæ ſubinde vix unam guttam aut ſenſibilem molem componant.

Q. X. Quoniam igitur aqua per anguſtos terræ meatus deſcendere nequit, per quos vapores aſcendêre, neceſſum eſt, ut in exterioribus terræ partibus vias inveniat latiores. Reſp. Ita eſt: & hæ viæ aquam obliquè ſecundùm vallium & camporum declivitatem deducunt, atque ubi iſtæ ſubterraneæ aquarum viæ, in ſuperficie montis, vel vallis, vel campi terminantur, ibi fontes ſcaturiunt, quorum rivi multi ſimul congregati flumina componunt perque decliviores exterioris terræ ſuperficiei partes in mare labuntur. Sic nimirum perennium fontium & fluviorum aquæ ad mare tandem redeunt, ex quo primum venerant. Aliis interim rivis & fonticulis, minùs diu fluentibus, pluviæ ortum præbere poſſunt, ſicut etiam eædem perennes fontes & fluvios augent, quos fervens ſolis æſtus minuit.

Q. XI. Hactenus ergo fluviales & fontanas aquas à mari præcipuè derivâſti, utpote à quo & ipſæ pluviæ magnam partem: Verùm ut pleniùs ea de re perſuadeat, cupiam illum generationis fontium modum ſimilibus quibuſdam exemplis ulterius

R mihi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

mihi declarari. Reſp. Iam jam de Chymicis reſolutionibus loquebamur, à quibus exemplum ſatis appoſitum capere poſſis. Nam ſicut in deſtillationibus ab igne ſuppoſito ex humidis corporibus multi vapores per Alembicum elevati, in frigidulo vaſis illius capite in guttas concreſcunt: Ita aqua in terræ cavitatibus contenta à calore in vapores reſolvitur, qui vapores ubi ad terræ ſuperficiem frigidiorem pervenêre, formam aquæ recipiunt.

Q. XII. Habeſné aliud inſuper exemplum impromtu? Reſp. Habeo tam clarum & evidens, ut nihil cogat ad Chymicorum abire officinas, cum hoc ubivis locorum occurrat ſolidoque ſententiam noſtram firmet argumento. Ejuſmodi eſt pluviæ in aëre productio. Rationi enim quàm maximè congruum eſt, ut talis exiſtat generationis aquæ modus ſub terra, qualis eſt ſupra terram. At ſupra terram pluvia in aëre generatur, quando vapores, ex aqua aliiſve humidis corporibus vi caloris aſſurgentes, in frigidiore aëris regione rurſus condenſantur. Quare etiam in terra vapores, ex aqua in profundis cavitatibus latente beneficio caloris educti, tandem frigore locorum per quæ commeant, in naturam aquæ converti, aut potius reverti neceſſe eſt.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

Q. XIII. Confirmata mens eſt, uti vix quicquam deſideret ampliùs, niſi quid ultrò velis adjicere. Reſp. Ne quidem extra temetipſum egredi opus fuiſſet, cùm in tuo corpore, velut in minori mundo, exempla generationis aquæ, cujuſmodi in majori mundo nunc annotata fuit, habeas luculenta. Ita vapores è ſtomacho aſcendentes frigore cerebri condenſantur poſteaque in os & aliò depluunt. Ita lacrymæ fiunt ex vaporibus qui egrediuntur ex oculis. Ita ſudor provenit è vaporibus, qui exeuntes ex alijs corporis partibus in earum ſuperficie in aquam convertuntur. Quorum omnium conſideratio attentior, uberiorem, quàm ut in præſenti par ſit adjungere, tractationem poſtulat.

Q. XIV. Satis jam perſpexi, quomodo ex mari fontes, vel in ipſis montium jugis, oriantur, quomodo rivi eorum juncti flumina, in mare tandem decurrentia, progignant. At cùm aſſiduè multa flumina, multæ aquæ ex montibus verſus mare fluant, quî fit, quòd cavitates ex quibus aſcendunt non exhauriantur, nec mare augeatur? Reſp. Cùm patentiſſimi ſub terra ſint meatus, tanta ſemper aquæ quantitas à mari verſus radices montium redit, quanta ex montibus egreditur, & hinc fontium fluviorumque perennitas depen



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

det. Nempe circularis quidam hîc aquarum eſt proceſſus, perinde ut in aëre ſuper terram, ubi ex aqua vapores attolluntur, vapores in aquam condenſantur, quæ aqua denuò in terram depluit, inde rurſus vapores, atque ita deinceps.

Q. XV. Cùm igitur fontes è mari proficiſcantur, mare autem ſalſum ſit, mirum eſt, quod aquæ fontanæ non retineant illam ſalſedinem? Reſp. Mirari deſines, ſi ſcias maris aquam conſtare ex particulis aliis dulcibus, aliis ſalſis, quodque ſalſæ rigidæ ſint & inflexiles, dulces contrà molles & flexiles. Ex hoc enim intelliges, ſolas dulces particulas in fontes aſcendere, cùm ſint tenues ac flexiles. Salſas verò cum rigidæ exiſtant ac duræ, nec facilè in vapores mutari, nec ullo modo per obliquos terræ meatus tranſire poſſe.

Q. XVI. Vnde verò conſtat, talem eſſe aquæ marinæ particularum differentiam? Reſp. Cùm nulla in rerum natura corpora dentur tam accuratè ſimilia, quin ſemper aliquantulum in magnitudine & figura differant, moroſo nimis ſit ingenio, qui difficulter ſibi perſuaderi patiatur, etiam aquæ partes non omnino æquales eſſe, & præſertim in mari (quod ingens eſt aquarum omnium receptaculum) quaſdam tam craſſas inveniri, ut inſtar aliarum diverſimodè

modè inflecti nequeant. Hæc ſanè cauſa eſt, cur aqua maris arenâ percolata dulceſcat, quia nimirum partes ſalis cùm ſint inflexiles, non ut partes aquæ dulcis, per exiguos illos anfractus, qui circa ſabuli grana reperiuntur, labi poſſunt. Ac denique guſtus ipſe differentiam patefacit. Salſæ enim partes in cuſpides erectæ ac telorum inſtar vibratæ linguæ poros ingrediuntur, atque ita ad illam pungendam ſatis altè penetrant. Ex adverſo partes aquæ dulcis molliter ſu- ra linguam fluitantes & ſemper in latera, t ita dicam, jacentes vix guſtu queunt per- ipi.

Q. XVII. Ex dictis agnoſco, fontes & luvios, cùm non niſi ex aquâ per multam renam terramve percolatâ vel per vapores ıblatâ conſtent, minimè ſalſos eſſe oporere. Sed quærere adhuc lubet, cur mare on dulceſcat propter tot ac tanta flumina ılcia in illud influentia? Reſp. Si majus flumen ſit majorique cum impetu in mare labatur, per intervallum aliquod ſuam retinet dulcedinem, ſed poſtea cum ſalſa maris aqua ibi relicta iterum miſcetur, quæ mixtio ſtatim etiam contingit, ubi minores fluvii in mare veniunt. Nam æqualis ferè ſalis quantitas in mari perpetuò remanet.

Q. XVIII. Cùm hæc ita ſe habeant,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

uti jam fuit expoſitum, quo igitur pacto evenit, ut in quibuſdam puteis à mari valdè remotis multum ſalis reperiatur? Reſp. Quoniam terra multis rimis fatiſcit, fieri poteſt ut aqua ſalſa non percolata ad puteos illos perveniat; ſive quia maris ſuperficies æquè alta eſt atque ipſorum fundus, ſive etiam, quia ubi viæ ſunt ſatis latæ, facilè ſalis particulæ, â particulis aquæ dulcis, per corporis duri acclivitatem ſurſum evehuntur. Hoc ex eo confirmatur, quòd in nonnullis montibus magnæ ſalis moles inſtar lapidum concretæ viſantur. Quippe aqua maris eò aſcendente, ac particulis aquæ dulcis ulteriùs pergentibus, ſolum ſal in cavitatibus, quæ caſu ibi fuerunt, remanſit ipſaſque implevit.

Q. XIX. Quoniam eò jucunda ſpeculatione devoluti ſumus, ut ſalſæ & dulcis aquæ differentias cognoverimus, placet illi materiæ pauliſper inſiſtendo, alias de mari & aqua quæſtiones eodem pertinentes proponere. Rogo itaque cur ſal carnium corruptionem impediat, dulcis verò aqua eas corrumpat? Reſp. Particulæ ſalis punctim ingreſſæ poros carnium non modò humiditatem, quæ mater putredinis, tollunt: Verùm etiam tanquam paxilli inter carnium partes defixi, immotæ & non cedentes illas ſuſtinent atque impediunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

diunt ne aliæ magis lubricæ ſeu plicatiles immixtæ illas concutientes loco moveant & ita corrumpant corpus quod componunt. Hinc etiam carnes ſale conditæ paulatim magis indureſcunt. Aqua verò dulcis dum ſe variis modis inflectit atque huc illuc poris carnium illabitur, facilè illas emolliendo dividit & corrumpit.

Q. XX. Cur naves quas mare ſuſtinuit, aliquando merguntur in flumine? Reſp. Quia marina aqua propter partes ſalſas, quæ craſſiores, ſolidiores ac proinde etiam graviores ſunt, magis reſiſtit. Eadem de cauſa naves non altè adeo immerguntur in mari quàm in flumine. De lacu Aſphaltite (qui Hebræis mare ſalis ſive ſalſiſſimum ob ſalſedinem, aliis mare mortuum ob immobilitatem dicitur) legimus, quòd etiam natare neſcii, ſi vinctis à tergo manibus injiciantur, in eo fluitent, nec mergantur, ſicuti Veſpeſianum ipſum expertum fuiſſe Ioſephus belli Iudaïci ſcriptor memoriæ prodidit. Sed præter ſalis copiam fortaſſis alia multa ac diverſa in hoc mari perpendenda ſunt. Quædam aquæ præ tenuitate nimia, nulla ſuſtinere navium onera perhibentur.

Q. XXI. Cur æſtate ac ſub zona torrida mare ſalſius experimur? Reſp. Quia ſol continuò ex ſuperficie maris tenuiores dul-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

cioreſque partes educit & in vapores agit, relictis ſalſis & craſſioribus. Quare ubi ſolis æſtus eſt vehementior, plures ejuſmodi vapores excitantur, qui in aquam redacti non ſemper eódem relabuntur unde venerunt, ſed plerumque aliorſum deferuntur. Hanc ſolis & aquarum naturam cum attenderent Ægyptii, è Nilo ad diurnum potum noctu potiſſimum hauriebant aquam, priuſquam ſol, quod tenuius dulciuſque foret, extraxiſſet.

Q. XXII. Cur aqua quæ igni appoſita diu bulliit, poſtquam refrigerata eſt, celeriùs congelatur, quàm frigida & cruda? Reſp. Quia tenuiſſimæ ejus partes quæque propter inflectendi facilitatem maximè congelationi reſiſtunt, ex ea dum bullit egrediuntur.

## *Appendix de Aquis, vaporibus, ventis.*

Q. XXIII. Cur madefactis velis velocius procedit navis quàm exſiccatis? Reſp. Quia aqua ſtipat & claudit velorum poros & meatus unde hæc magis obſiſtunt vento, tranſeundi facultatem ei minorem concedendo, majorem propellendi.

Q. XXIV. Poteſtne naturalibus de cauſis accidere, ut ſanguine pluat? Reſp. Sanguineum colorem pluvia facilè acquiret,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ret, ſi genita fuerit è vaporibus qui exhalant è locis minio aut rubrica abundantibus, quomodo nix in Armenia quandoque eſt rubra, ob minium quo regio illa abundat; vel ex locis ſanguinolentis poſt magnas hominum clades; vel ſanguineum colorem induere poſſit propter calorem ſolis intenſum, quomodo febricitantium urinæ, item aquis per calidos cineres percolatis rubor conciliatur.

Q. XXV. Cur halitus oris, ſudor item calentium equorum magis videtur hieme quàm æſtate? Reſp. Tempore hiemis halitus & ſudor propter aëris frigus ſpecie denſi & obſcuri fumi craſſeſcit, quandoque etiam in aquam concreſcit, imò intenſiori frigore barbis & pilis adhærens congelaſcit: Contrà verò æſtate propter ejuſdem aëris calorem diſſipatur & non apparet.

Q. XXVI. Suntne plures vapores in aëre æſtate cùm non videntur, an verò hieme, cùm videntur? Reſp. Plures eſſe hieme vulgus opinatur, tu verò ſcies æſtate plures eſſe, quia fieri nequit quin ſol torridus æſtivo tempore, longioribus diebus, lacui aut locis paludoſis incumbens multò plures vapores ex iis elevet, quàm hieme inde queant elevari. Tum enim temporis notatur manifeſtiſſimè, magis aquas ſubſidere & decreſcere, quàm aëre frigido & obſcuro,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

Plus etiam è corpore animalis æſtivo tempore exhalare rationi patet, quamvis halitus tum non appareat, ob cauſam præcedente reſponſione allatam.

Q. XXVII. In quo conſiſtit natura ventorum? Reſp. Generatim quidem omnis aëris agitatio ſenſibilis ventus appellatur, à quacunque etiam cauſa proficiſcatur: ita aër è folle eliſus aut flabello impulſus ventus dicitur. Speciatim verò venti latiùs diffuſi terraſque & maria perflantes, nihil ſunt niſi vapores moti, qui dilatati ex loco arctiori in quo erant, in alium ubi faciliùs expandantur, tranſeunt.

Q. XXVIII. Cur ſæpius in littoribus venti interdiu à mari, noctu â terra ſpirare deprehenduntur? Reſp. Sol dum ſplendet communiter plures vapores ex mari quàm terra attollit, quia terra multis in locis exſiccata non tantum materiæ illi quàm aqua ſuppeditat: & contrà, cum ſol receſſit, calor relictus, plures è terra quàm è mari elevat, quia terra diutius quam mare calorem ſibi impreſſum retinet. Ex quo autem loco plures vapores veniunt, inde venti ſpirant. Ignis etiam fatuus ob eandem cauſam viatores noctu ad aquam ducit, indifferenter enim aëris curſum ſequitur, qui eò à vicinis terris propterea defertur, quòd ille qui ibi eſt magis condenſetur.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

Q. XXIX. Cur ſæpe venti juxta maris littora cum fluxu illius & refluxu mutantur? Reſp. Quoniam aër qui ſuperficiem aquarum tangit motum illarum quodammodo ſequitur. Eadem ratio eſt, cur tranquillo aëre circa majora flumina placidi quidam venti curſum earum ſecuti ſentiantur.

Q. XXX. Quî fit quòd eædem tempeſtates graviùs in mari quàm in terra ſæviant? Reſp. Quia vapores ex aquis emiſſi ſemper humidiores & craſſiores ſunt illis, qui ex terris attolluntur quique idcirco multo plus aëris atque exhalationum ſecum vehunt. Eandem ob cauſam idem ventus qui in una regione ſiccus eſt, in alia humidus eſſe poteſt. Ita venti meridionales humidi ferè ubivis, ſicci in Ægypto feruntur, ubi terra Africæ, ſicca & combuſta, materiam iis ſubminiſtrat.

## CAP. XXXII.

### *De Cauſis imperfectionum humanæ Mentis in rebus cognoſcendis. De Infantiæ Præjudiciis Diſſertatio Philoſophica prima generalis.*

NVlla re magis perfici humanus poteſt intellectus, quàm cognitione veritatis, quæ cùm ex perſpectis rerum cauſis po-

tiſſimùm reſultet, benè Poëta exclamat: Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas! At quia veritas rectè doceri nequit, niſi errores priùs fuerint ſublati, nam, ut alius Poëta canit, ſincerum niſi vas, quodcunque infundis aceſcit, hinc non multò infeliciorem eum prædicabimus, qui errorum fontes & originem retexit. Et ſi inſigni beneficio afficit, qui corpus à morbo liberat, quanto ille beare hominem cenſendus erit, qui animum ab errore purgaverit? Hoc ipſum dum conamur, utcunque defecerimus in conatu non minùs difficili quàm laudabili, gratiam nihilominus humani generis & favorem bonorum omnium ſpondere nobis audemus.

## *THESIS* I.

OPtimè illum veritatem rei perſpicere, qui à principio res orientes ac naſcentes inſpexerit lib. 1. de Rep. cap. 2. præclarè docet Ariſtoteles. Sic natura humani corporis multò facilius diſtinctiuſque intelligi poteſt, ſi, quomodo in utero matris paulatim formetur & tandem in lucem edatur, quàm ſi tantùm ut abſolutum & perfectum conſideretur.

2. Egregii illius moniti haut immemores in imbecillitatibus mentis noſtræ detegendis

gendis ab ovo rem ordiemur, quibus ab initiis pullulent errores noſtri & quomodo progreſſu temporis ſuccreſcentes robur conſequantur, viſuri.

3. Nec dubium eſſe poteſt, quin ille errorem evellat optimè, qui ſimul oſtendit & qua occaſione in illum incideris & quomodo in eo detentus & confirmatus fueris.

4. Non videtur autem neceſſarium eſſe, admonere, nos eas tantùm imperfectionum humanæ mentis in rebus cognoſcendis indagare cauſas, quæ naturalis rationis face prælucente inveniri poſſunt, non illas, quæ ex ſupernaturali de lapſu primorum parentum revelatione deſumuntur, quandoquidem ipſa Diſſertationis *Philoſophicæ* inſcriptio de eo dubitare ſinit neminem.

5. Principio igitur, ut à manifeſtiſſimis capiatur exordium, non perfectos nos homines naſci, ſed eſſe primùm infantes, ac deinceps adoleſcere, donec ad maturam ac firmatam deveniamus ætatem, notius eſt quàm ut ignorari queat.

6. Neque ignotum eſt, in prima iſta ætate non modò organa corporea eſſe imbecilliora, ita ut manus ad laborandum, pedes ad ambulandum non ſufficiant; ſed etiam rationis uſum valde imperfectum eſſe.

7. Qua imbecillitate atque imperfectio-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ne non obſtante, ſicut incedere pedibus & manibus res contrectare: ita varia de rebus in ſenſum incurrentibus judicia jam tum ferre homo incipit.

8. Et manibus quidem ac pedibus tantò rariùs actiones nocituras imperat, quantò frequentiùs incommoda inde aut moleſtiam percipit. Nam ſi quando manus ad flammam extendens uri ſe ſenſit,& poſtea currere volens cecidit, ut piſcator ictus ſapere diſcit & cavere.

9. Iudicia verò de cœlo, terra, ſtellis plurimiſque aliis rebus formare ſolet ſæpiùs ac minùs circumſpectè, quia, dum rariùs ex eo quod malè judicavit dolorem aut incommodum corpore perſentiſcit, errare ſe non animadvertit.

10. Quin etiam manus infantis conſtringuntur, ne pro lubitu res omnes attingere poſſit, & ſerperaſtris aliiſque poſitis impedimentis præſervatur, ne fortè liberiùs evagando cadat néve in aquam vel ignem ſe præcipitet. At judicandi facultati nulla hujus generis obſtacula ponuntur, ſed ea, nativa ſua libertate utens, quouſque oculorum pertingit acies, præcipiti feſtinatione excurrit.

11. Quum verò ejuſmodi judicia ab ea ætate proficiſcantur, quæ non eſt idonea ad judicandum, non poſſunt non falſa aut incerta omnia à Philoſopho exiſtimari.

12. Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

12. Et quia ante plenum atque integrum rationis uſum habentur, non tam judicia & ſententiæ, quàm *præjudicia* & anticipatæ ſeu præconceptæ opiniones debent appellari.

13. Sed quid cauſæ ſit, cur infantes erremus potiùs in judicando quàm adulti, qua item ratione infantiæ hallucinatio reliquæ hominis ætati univerſæ ergaſtulares tenebras & ferè inextricabiles offundat, expendere deinceps pleniùs oportebit.

14. Nempe mens humana in *prima ætate* tam arctè molli corpori eſt alligata tamque profundè humido cerebro immerſa, (liceat nunc ita loqui, quando aliter non poſſumus) ut non aliis cogitationibus vacet, quàm iis ſolis, per quas ea ſentit quæ corpus afficiunt ac movent, neque aliter de rebus judicet, quàm ex relatione quam habent ad corpus, commodum ei aut incommodum adferendo, aliiſve pluribus modis illud afficiendo.

15. A quacunque igitur re commodum & voluptatem in membris corporeis percipit, eam rem in ſe *bonam* eſſe judicat, eoque meliorem, quo jucundiùs corpus afficit, aut majorem ei utilitatem confert: ita infans rebus lucidis & ſplendidis maximè capi deprehenditur.

16. A qua autem re incommodum & dolor

dolor corpori infertur, illam abſolutè *malam* opinatur, ideoque virgam, qua interdum caſtigatur, ut rem peſſimam ferè abhorret, neque bonitatem ullam ſerpentibus tribuit, ſicubi degat in iis locis, ubi hominibus frequentiùs ab iis noceri ſolet.

17. Et in genere, qualis res eſt in ſenſu infantis, *talem* ipſam in ſe cenſet eſſe, adeò ut nolis etiam ſonantibus affingat quicquid ipſi phantaſia ſuggerere videtur. Sic in re colorata putat eſſe aliquid omnino ſimile illi notioni ſive perceptioni, quam habet de colore.

18. Porrò eò *plus* eſſe putat in unoquoque objecto, prout plus ab eo afficitur magiſque movetur. Sic multò plus ſubſtantiæ ſeu corporeïtatis eſſe autumat in ſaxis aut metallis, quàm in aqua vel aëre, quia plus duritiei & ponderis in eis ſentit. Sic terram ſole cæteriſque omnibus mundi corporibus longè majorem eſſe exiſtimat, quia, cùm craſſitie & opacitate ſua oculis ſit propinquior, major apparet.

19. Contrà, eò *minus* eſſe putat in quovis objecto, prout minùs afficitur ac movetur: e.g. quia non plus luminis à ſtellis fixis, quàm ab exiguis flammis lucernarum, ei affulget, iccirco nullas ſtellas flammulis iſtis majores ſibi repræſentat, tanquam exigua puncta imaginans ea corpora, quæ vel ipſum ſolem,

ſolem, quà lucis copiâ, quà corporis amplitudine, adæquare, bonus Phyſicus tutiùs affirmet quàm neget?

20. Vbi verò ſenſibili ratione non afficitur ſeu movetur infantis corpus, ibi *nihil* planè rerum eſſe cenſet. Sic aërem, quamdiu nullum in eo ventum, nec frigus aut calorem experitur, pro nihilo prorſus ducit, & multa alia vacua atque inania vocat, non, quòd certa ibi deſint corpora, quæ adeſſe debent vel ſolent aliàs (quod ſapientum eſt judicium) ſed quia omne corpus, imò ſubſtantiam omnem abeſſe arbitratur. Sic totum cœlorum expanſum, maximi Creatoris auguſtum opus realique materia pleniſſimum, turpiſſimè hallucinando pro inani & nihilo æſtimat. Ita quia tempore diurno nullas ſtellas conſpicit, ideo nec ullas tùm ſupra hemiſphærium noſtrum verſari ſtatuit.

21. Eodem modo, quia propter amplitudinem curvaturæ non afficitur à terræ rotunditate, ideo nec globoſam, ſed planam judicat, idemque in ea ubique ſurſum, idem ubique deorſum, eoſdem ubique mundi cardines, Orientem, Occidentem, Meridiem & Septentrionem ſibi imaginatur. Ubi autem viſus terminatur, ibi & mundi terminos ac fines terræ collocat.

22. Ita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

22. Itaque dum infans in loco patente conſiſtit undique circumſpiciens, terra latiſſima planicie in omnes plagas æqualiter ipſi excurrere videtur. Et ab hac planicie in circulum latiſſimum exporrecta defluxit *orbis terrarum* appellatio. Et quoniam ita ſtans infans ſe videt in medio illius plani circuli poſitum, ideo ſe habitare in medio mundi ridiculo errore ſibi perſuadet.

23. Ita ſenſim, at ſine ſenſu h. e. non advertendo, ſimulatque editi in lucem & ſuſcepti ſumus, innumeris imbuimur præjudiciis, & à prima noſtra infantia cum lacte nutricis errorem ſugimus.

24. Poſtea in *pueritia* cùm mens recordari deberet ſe quæcunque ineunte ætate judicavit ante plenum rationis uſum abſque ſufficienti examine admiſiſſe, & quòd proinde falſa potiùs quàm vera ſint exiſtimanda, illa contrà talia ut ſenſu probè cognita vel ut à natura ſibi indita conſiderat.

25. Hinc plurima ſunt quæ à natura videmur didiciſſe, aut quibus notionum communium nomen imponimus & omni homini innata arbitramur, quæ tamen revera nihil ſunt niſi immaturæ ætatis præjudicia.

26. Exemplum ſuppeditat Ariſtoteles. 4. Phyſic. 1. ſic ſcribens: omnes ea, quæ ſunt, alicubi eſſe exiſtimant: quia id quòd non eſt, nuſquam eſt. Ubi namque hircocervus

aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

aut Sphinx? Idem Cicero habet Tuſcul. 1. ſi quid eſt, nuſquam eſſe non poteſt;& ſi nuſquam eſſet, ne eſſet quidem.

27. Et hujus quidem enunciati, quatenus pro communi notione habetur, hæc eſt ſententia, quòd omne ens certo loco definitoque ſpatio circumſcribatur. Nam ita homines inferunt: hæc res eſt hîc, illa ibi, alia alibi, piſces in mari, aves in aëre, ſtellæ in cœlo &c. Ergo nihil omnino eſt, quin ſit in aliquo loco determinato.

28. Hoc ſenſu alibi Ariſtoteles, nempe 1. de Cœlo, cap. 3. ait: Omnes homines de Diis exiſtimationem habent, & univerſi, qui Deos eſſe putant, tam Græci, quàm Barbari, ipſum ſupremum locum Diis tribuerunt. Ubi evidenter apparet, hanc hominum notionem communem, *Deum eſſe in cœlis*, tanquam ſpecialiorem, ſubordinari priori illi generaliori, *omne ens alicubi eſſe*, & ab eadem dependere. Eſſe autem erroneam illam opinionem, quòd res omnes, adeoque etiam Deus, certo loco comprehendantur, non arbitror longa probatione indigere. Sed nos jam de pueritia, infantilem judicandi modum non corrigente, ſed novo potiùs errore ſtabiliente, loqui inſtitueramus.

29. Profectoenim pueri, haut ſecus atque infantes, omnia adhuc metiuntur voluptatis ac doloris commodis atque incom-

modis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

modis, gaudent equis, canibus (ut Horatii verbis utar) & aprici gramine campi, cerei in vitia voluptatis ſpecie blandientia flecti, monitoribus aſperi, jucundas potiùs quàm honeſtas colentes amicitias &c.

30. *Maturioribus* deinde *annis* licèt mens non ampliùs tota corpori ejuſque voluptatibus ſerviat, pleraque tamen adhuc ad corporis uſum refert, ut mirum non ſit corporis curandi tuendique artes & priùs inventas & diligentiùs ab hominibus excultas eſſe, quàm eas quæ animo medentur, ut ex Ciceronis libri tertii Tuſc. Quæſt. initio cognoſcere licet.

31. Nec mirum etiam, cùm homines pleraque ad corpus referant, quòd res vix aliunde denominent, definiant aut dividant, quàm ab habitudine & reſpectu ad corpus & externa ſenſuum organa.

32. Sic res *ſenſiles* vel *inſenſiles*, *viſibiles* vel *inviſibiles* perhibent, quæ vulgatiſſimæ diviſiones non ad rerum naturam, ſed ad ſenſus & oculos noſtros ſunt accommodatæ. *Aërem* ab ἄημι ſpiro vocamus, quia ore inſpiratur & exſpiratur; *mare*, quòd amarum linguæ noſtræ; *elementa* quaſi alimenta, quia nos alunt. Et qui generaliter de corpore cogitat, non tam abſolutam ejus naturam & eſſentialem conſtitutionem ſpectat, quæ in extenſione conſiſtit, quàm

quòd

quòd durum vel molle ſit, frigidum aut calidum, tangere vel tangi poſſit, ſecundùm illud Lucretii: tangere vel tangi niſi corpus nulla poteſt res.

33. Quamvis autem mens non omnia ad corpus referat, verùm etiam de rerum in ſeipſis ſpectatarum veritate maturis iſtis annis inquirere inſtituens multa ex iis quæ olim judicavit falſa eſſe deprehendat, (v. g. dum turres quæ rotundæ viſæ fuerant è longinquo, quadratas cernit è propinquo, & ſtatuas in earum faſtigiis collocatas, ubi eò adſcendit, permagnas agnoſcit, quæ è terra ſpectanti parvæ admodum videbantur) quia tamen vix alio hîc utitur judicandi genere, quàm quo ab incunabulis adſuevit, fieri non poteſt, ut iſta ratione cunctos errores ſuos emendet.

34. Ideoque multa adhuc, perperam antea judicata, propter longam iis fidendi conſuetudinem, vera eſſe ſibi perſuadere pergit. Ita infantiæ præjudicium retinebant illi philoſophi, qui ſolem bipedalem aut tantum eſſe cenſebant, quantus videtur, vel paulò aut majorem aut minorem, quam ſententiam Epicuro tribuit Marcus Tullius 1. de Finibus.

35. Nec alia fuit cauſa, cur veteres, ne dicam de recentioribus nonnullis, vacuum dari crediderint, quàm quia ab infantia putârant

târant in illo ſpatio nihil omnino eſſe, in quo nihil occurrit quod ſenſus movet. Ut faciliùs veniam concedamus Poëtis, qui aërem vacuum & inane magnum vocitare ſolent.

36. Etiam antiquæ Eccleſiæ patres non pauci, quorum è numero Lactantius imprimis fuit, præjudicium de terræ planitie mordicus adeo tenuerunt, ut Antipodas dari, id eſt, homines qui à contraria parte terræ adverſa pedibus noſtris calcent veſtigia, & fabuloſum & ſtultum eſſe pronunciârint. Imò refert Aventinus, lib. 3. hiſtor. Bavar. Virgilium quendam, virum eruditum, & Epiſcopum Salæburgenſem, quòd homines undique terræ globo circumfundi & converſis ſive adverſis inter ſe pedibus ſtare aſſeruiſſet, excommunicationis fulmen evitare haud potuiſſe. Zacharias enim pontifex ad Bonifacium Archiepiſcopum, qui virum Philoſophum detulerat, ſcripſit, ut Virgilium, tanquam hæreticum, ab Eccleſia depelleret ſacerdotioque dejiceret, niſi perverſam doctrinam miſſam facere vellet. Tanta præjudiciorum vis?

37. Certè ſæpius contingit, ut ratio quidem aliter ſtatuendum eſſe dictet ac olim judicavimus. At præjudicata opinio, occupans credulitatem noſtram, tanquam longo uſu & familiaritatis jure ſibi devinctam, obſtre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

obſtrepit atque ita quandoque obſiſtit, ut ne latum quidem unguem à conſuetis recedamus.

38. Nimirum nihil eſt difficilius, quàm evellere animis opiniones, quæ jam dudum invaluêre. Nam uti illi qui ab oculis laborant, ægrè lumen conſpiciunt, in tenebris verò cum voluptate verſantur: ita qui errores quaſi cum lacte imbiberunt, difficulter eos ſe dedoceri patiuntur. Et ſimile in his videre licet, quod in illis qui alienos fœtus alunt pro ſuis. Nam ſi initio ea ſciſſent, quæ poſtea cognoſcunt, nunquam in animum fuiſſent inducturi, ut pueros tollerent: ſed poſt longi temporis educationem inviti ea audiunt quæ dicuntur, ac ſibi etiam vim faciunt, ut ne credant.

39. Adhæc, etiamſi mens non aſſentiat ampliùs iis, in quibus antehac à ſe erratum fuiſſe adulta jam ætate obſervat, non tamen ideo facilè illa ex memoria ſua expungit, & quamdiu in ea hærent, variorum errorum cauſæ eſſe poſſunt. Sic, exempli causâ, quoniam à prima ætate ſtellas imaginati ſumus perexiguas, etſi jam rationes Aſtronomicæ perſpicuè nobis oſtendant, eas eſſe quàm maximas, tantum tamen præconcepta opinio adhuc valet, ut nobis perdifficile ſit, aliter eas ac priùs imaginari. Quotus enim quiſque eſt qui ſurſum tollens oculos non

parva

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

parva valde ſolis & aliorum ſiderum corpora ſibi exhibeat, ut ut apparentem ſolis diametrum obſervaverit ac de vera ratiocinatus fuerit quàm ſæpiſſime?

40. Quibus ex cauſis oritur, quòd reliquo ætatis tempore ad eum judicandi modum, cui à teneris unguiculis quaſi innutriti ſumus, incauti nunquam non relabamur. Et quæ ſic judicamus non minori jure præjudicia dici queunt, quàm quæ infantes admiſimus, quando res hoc vel illo modo ſe habere nobis perſuadebamus priuſquam rationes ullas, quibus idipſum probaretur, expendiſſemus.

41. Porrò quia mens jam inde uſque à prima pueritia de rebus duntaxat corporeis cogitare fuit ſolita, hinc tota propemodum vita etiam alia, quæ ad cognoſcendum proponuntur, ſibi ut corporea repræſentat, nec quicquam ſubſiſtere poſſe autumat, quod non ſit corpus. E. G. unuſquiſque noſtrûm naturali ferè impetu fertur, ut animam ſuam imaginetur inſtar venti, vel ignis, vel ætheris craſſioribus corporis partibus infuſi. Nec pauci ſunt ex veteribus pariter & recentibus, tum Philoſophis, tum Theologis, qui angelis corpora vel cœleſtia, vel ignea, vel aëria aſſignant. Ac ſi qui verbis quidem externis hoc negant, mente tamen vix aliud concipiunt.

42. Et quia non de omnibus rebus corporeis, verùm de iis duntaxat ab adoleſcentia cogitavimus, quæ ſimul erant ſenſibiles, inde corpus omne ſenſibile eſſe debere putamus, minimè advertentes, quantum hoc pacto in rerum naturam vacuum introducamus. Et ſanè ex præjudiciis infantiæ cuncti habemus aliquid, in quo Thomæ Apoſtolo comparandi ſimus, quandoquidem vix quicquam exiſtere credimus, niſi quod manibus palpamus aut oculis ſaltem (loquor cum vulgo) videmus. Unde formulæ illæ omnium ore frequentantur: nihil ibi video, nihil audio &c. quibus verbis id exprimimus, nihil, noſtro quidem judicio, ibi exiſtere.

43. Et quia priùs de rebus materialibus cogitare conſuevimus, quàm de immaterialibus, fixa animo ſedet perſuaſio, res illas naturâ ſuâ & ab illo qui rectè philoſophari velit his priùs eſſe cognoſcendas. Et propter hanc ac ſequenti theſi dicendam cauſam Metaphyſica poſt Phyſicam uti inventa fuit, ita tradi vulgò in Scholis ſolet.

44. Præterea dum longo iſto uſu facilitatem nobis majorem comparâſſe videmur, de rebus corporeis quàm de incorporeis cogitandi, in eam venimus opinionem, ut res corporeas incorporeis per ſe cognitu eſſe faciliores arbitremur.

45. Et quoniam res illæ ſolæ hactenus cognitæ (id eſt, corporeæ & ſenſibiles) & prius & facilius aliis intelligi judicantur, amplius opinamur, res illas ſpiritualibus entibus longè certius atque evidentius cognoſci.

46. Unde cætera omnia per ſimilitudinem rerum corporearum & ſenſibilium, aut certè per negationem earundem intelligimus, haud ſecus atque non-entia per ſimilitudinem aut negationem entium concipimus. De ſimilitudine exemplum paulò antè vidimus in anima humana. Negatio vel ex eo intelligitur, quòd res corporeas & materiales, ſenſibiles item & viſibiles affirmativis, incorporeas verò & immateriales, inſenſibiles & inviſibiles negativis vocabulis denotamus, quaſi hæ minus, illæ majus quiddam forent ac præſtantius.

47. Quoniam etiam à teneris de nulla re cogitare ſolebamus, niſi quæ corporea ſenſuum organa prius moviſſet atque affeciſſet, Philoſophi decantatum illud invenerunt: *nihil eſſe in intellectu quin prius fuerit in ſenſu*. Hoc eò facilius fidem meruit, quòd, ut theſi præcedente diximus, ab infantiæ præjudiciis habemus, ut per ſimilitudinem aut abſentiam rei ſub ſenſum cadentis quælibet alia concipiamus.

48. Ac licet effatum ſuum poſtea falſum



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

eſſe deprehenderent, cùm ad Deum Animamque rationalem & ſimilia ſenſum non afficientia mentem converterent, tamen ob inveteratam ita ſentiendi conſuetudinem malebant diſtinctiones mille excogitare, quàm noxium axioma, in ſolis infantiæ præjudiciis fundatum, deſerere: nempe ut illud etiam in ſenſu fuiſſe diceretur, cujus effectus, aut ſignum aut oppoſitum &c in ſenſu fuit, quaſi quia videre cœlum dicor, iccirco Deum oculis videam, aut quia vox illa, Angelus, aurem ferit, Angelus in aure fuiſſe debeat putari, aut quia lucem conſpicio, etiam tenebras cernam.

49. Inſuper, quia & infantes & pueri nihil intelligebamus, quin ſimul aliquid imaginaremur, *intellectionem* & *imaginationem*, etiam dum viri ſumus, pro uno eodemque accipimus, nec quicquam intelligibile putamus, quin idem ſit imaginabile, haut ſcientes, ea ſola eſſe imaginabilia quæ in extenſione, motu & figura conſiſtunt.

50. Simili ratione, quoniam eopſe momento quo organa noſtra corporea à rebus externis movebantur, mens corpori juncta percipiebat aliquid, utrumque pro uno ſumentes corporeis ſenſuum organis *perceptionem* tribuimus, quam ſapiens ſoli tribuit intellectui: ita videre oculum, aurem audire, linguam guſtare, nares ol-

facere, manum ſentire familiari ſermone dicimus.

51. Quod verò amplius eſt, quia dum corpus à rebus externis afficiebatur & mens percipiebat, illico etiam aliquid judicabat, hinc organis quoque corporeis exiſtimationem & *judicium* adſcribimus, ad quod ſapiens corpus quidem non deſiderari, at præter intellectum voluntatem requiri novit.

52. Porrò, dum à rebus externis corpus afficiebatur, quia mens occaſione corporei motus ſtatim aliquid cogitabat, inſanabili propè errore credidimus, illam cogitationem *ab objectis* iſtis externis nos moventibus aut per motum ipſum nobis immitti, quam tamen mens ex propria ſua facultate producit.

53. Ex eo etiam, quòd cognitione ſenſuali & priùs & crebriùs & ferè ſemper uſi fuimus, procedit, quòd illa putetur facilior, certior, evidentior intellectuali. *Senſualem* cognitionem voco, quando infantes abſque debita conſideratione, aut certè ſecundùm infantiæ præjudicia; *intellectualem*, quando provecta jam ætate ob novas aliquas animadverſiones judicamus.

54. Certè qui ad veram Philoſophiam ſe applicat, ſubinde apud animum ſuum experitur, quòd ea dogmata quæ conſuetis noſtris opinionibus mille modis certiora ſunt & firmiora, minùs tamen his nos trahant

trahant in aſſenſum minuſque perſuadeant.

55. Quotieſcunque igitur bene aliquid à mente intelligi, vel intelligi poſſe, ſignificare volumus, iis utimur loquendi modis, quibus alioquin propriè organorum corporeorum ſenſus ( quos ſcil. illis tribuimus ) aut ſenſibilia eorum objecta deſignantur : e. g. *à viſu* & rebus viſibilibus ad intellectum & res intellectuales illa transferimus: evidens eſt, evidenter apparet, clarè hoc video , elucet, perſpicuum eſt, perſpicax ingenium, vel cœco appareat, electro lucidior, Sole meridiano clarius, λευκὸς λόγος , oratio dilucida &c. *à tactu* : teneo , comprehendo, rem acu tango , attingo , capio mentem tuam , manifeſtum eſt &c.

56. Ac denique ſi quis ſenſuum erret, alio ſenſu , non rationis dictamine errorem emendari credimus, verbi causâ, dum baculus fractus in aqua apparet ob refractionem (h. e. dum eo nobis apparet modo , ex quo infans judicaret illum fractum eſſe & ex quo etiam nos ſecundùm præjudicia , quibus ab ineunte ætate adſuevimus , idem judicamus ) putamus illico , visûs errorem à tactu corrigi , haudquaquam animadvertentes, rationem aliquam eſſe debere, quæ nos doceat , hac in re judicio potiùs ex tactu, quàm ex viſu elicito ſtandum eſſe, quæ ratio cùm in nobis ab infantia non fuerit, adeoque



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

non à ſenſu, ſed ab intellectu ſolo petatur, ad hujus judicium, ut ſupremum tribunal, ſemper confugiendum eſſe, abundè liquet.

57. Ita morbos animorum noſtrorum primùm naſcentes, tūm adoleſcentes, ac virili denique robore firmatos, & ſic per univerſam vitam longè latéque ſerpentes conſpeximus.

58. Et hæc erant quæ de principe omnis humanæ caliginis, omnium errorum noſtrorum cauſa (quæ ab infantiæ præjudiciis procedit) dicere hoc tempore poteramus, quibus ſi non pauca inſperſa fuerint παράδοξα, hoc eſt, quę ſint pręter opinionem vulgi, talia omnino ſunt, qualia in ejuſcemodi tractatione occupato occurrere par erat.

## *Notæ ad* CAP. XXXII.

59. Ad titulum. *imperfectionum*) vocabulo hoc generali complector quicquid in nobis eſt erroris atque ignorantiæ, quicquid eſt in conceptibus noſtris obſcuritatis & confuſionis, quicquid in judiciis incerti, quicquid in argumentationibus malæ conſequentiæ: *in rebus cognoſcendis*) non enim directè & per ſe agimus de cauſis imperfectionum in rebus agendis atque appetendis, id eſt, peccatorum vitiorumq; moralium; verùm de cauſis imbecillitatum in ſpeculatione veritatis.

60. Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

60. Ad prooemium. *veritas rectè doceri nequit*) Quod rationi conſentaneum ſit, ut ſeriò philoſophaturus priùs errores ſuos agnoſcat eorumque cauſas exploret, probatur 1. exemplo *agricolæ*, qui evellit carduos, ſpinas & noxias herbas, antequam ſemina terræ mandet. Mens noſtra ager eſt, cui ſemina veritatis Philoſophia injicit. Debet igitur Philoſophia noxias opiniones priùs ex mente eradicare. 2. exemplo *oratoris*, qui confutationem præmittit confirmationi, quoties inſigni præjudicio auditor eſt occupatus. Animus hominis plurimis præjudiciis efficaciſſimis ab ineunte ætate eſt imbutus. Oportet itaque illa priùs detegi ac refutari, quàm veræ de rebus ſententiæ firmari ac perſuaderi poſſint. 3. ab exemplo *Medici*, qui morborum curandorum cauſam & originem indagat. Morbi verò animi cùm ſint ignorantia & errores, horum origo omnino Philoſopho eos curaturo eſt inveſtiganda. Expurgare etiam ſolent Medici noxios humores, antequam ſalutaria medicamenta propinent. 4. ab exemplo *Theologi*, qui priùs de hominis miſeria & corruptione ejuſque cauſis agit, quàm de regeneratione & liberatione per Chriſtum Servatorem. Etiam fulmine legis proſternit conſcientias, priuſquam eas grata Evangelii Luce erigat. 5. quia, ut neceſſitas &



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

utilitas Philoſophiæ, quæ menti medetur, pateſiat, agendum priùs eſt de hujus ægritudine, quò ad ſtudium veritatis lubentiùs & majori cum aviditate accedamus.

61. Addantur rationes Comenii, quibus in ſimili re utitur Ling. Meth. Noviſſ. cap. 10. §. 119. 6. Non reducere in viam rectam potes errantem, niſi priùs de via falſa deducas. 7. Nec potes in vas repletum ſordibus infundere liquorem bonum, niſi vaſe priùs evacuato mundatoque. 8. Nec picturam ſuperinducere tabulæ jam pictæ, niſi picturâ priori deletâ. 9. Nec areæ ſuperædificare domum, niſi ædificio priori amoto.

62. Ad th. 3. cauſæ errorum tum procreantes, tum conſervantes ſpectandæ ſunt.

63. Ad th. 4. Hanc materiam & in Theologia & in Philoſophia tractari docet Maim. Nevoch. p. 1. cap 31. fin. *Porrò non exiſtimare debes, ea quæ de imbecillitate & imperfectione intellectus humani à nobis dicta ſunt,* &c. *à lege noſtra ſolùm dici. Nam hoc ipſum Philoſophi quoque ſtatuerunt & apprehenderunt* &c.

64. Ad th. 6. Ariſt. probl. 30. quæſt. 5. *Vt manu non jam inde ab ortu naturæ uti poſſumus, ſed cùm eam natura abſolvit perfecitque ( procedente namque ætate*

*te manus ſuum opus maximè efficere poteſt ) ita etiam mens &c. non protinus, ſed in ſenectute maximè nobis contingit atque tunc potiſſimùm conſummatur atque abſolvitur.*

65. Sed ad ſequentes theſes rectiùs intelligendas, inter immaturitatem judicii & membrorum corporeorum annotandæ ſunt differentiæ. 1. Iudicii infirmitatem non ita animadvertit infans, uti membrorum corporeorum: ita quando attrectat corpus valdè ponderoſum, videt ſe illud attollere non poſſe, quod facilè poſſit adultus. 2. Si corporis aliquod membrum noxia agit, incommodum inde ac dolorem ſentit infans; at ſi malè judicat, non item. 3. Organis corporeis externa ponuntur impedimenta, quò minùs liberè ſe queant exſerere, qualia non ponuntur judicandi facultati. 4. Motus organorum corporeorum magis etiam ſubeſt voluntatis imperio, unde th. 8. Vox *imperat* adhibetur, & ita membra impediuntur ab intra: at judicia ſunt liberiora & ad elicitum voluntatis actum quodammodo pertinent. 5. Iudicia imbecillis infantiæ longè majora mala inferunt homini, quia mentem corrumpunt, quàm membrorum actiones ejuſmodi, à quibus corpus damnum patitur. 6. Imperfectiora corporis membra progrediente



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ætate perficiuntur, actiones emendantur; judicia mentis erronea & puerilis judicandi modus, non ita emendantur; ſed procedente ætate in multis potiùs confirmantur.

66. Utile etiam foret ratione diverſitatis comparationem inſtituere inter ſenilem & puerilem judicandi modum: v.g. 1. infans magis præceps in judicando eſt quàm ſenex. 2. infans etiam multò aſſeverantiùs judicat atque audaciùs, ſenex timidiùs. Unde Ariſt. 2. Rhet. 13. *Seniores quoniam multorum annorum vitam duxerunt, & in pluribus decepti ſunt, & errârunt, & res ſunt plures pravæ, neque affirmant aliquid, & longè minùs omnia quàm oportet, & putant, ſciunt autem nihil, & controverſantes adjungunt ſemper, Forſan & Fortaſſe, & omnia dicunt ſic, aſſeveranter autem nihil.* Huc pertinet proverbium: *inſcitia confidentiam parit*, de quo vide Eraſmum ſub titulo, *Temeritas*. Bene Corn. Martini Analyſ. log. p. 2. cap. 7. fine: *plerumque fit, ut promtiſſimus ſit ad judicandum & ferendum ſententiam, qui minimè omnium ſapit. Quæ cauſa eſt, quod mulieres viris, & inter hos indoctiores imprudentioreſque doctis & prudentibus ſemper in conſultationibus ad reſpondendum ſint paratiores.* 3. judicia infantiæ magis adhæreſcunt nobis, quàm quæ ſenes judicamus.

Omnia

Omnia enim prima magis hærent, *quomodo etiam meminiſſe meliùs ea valemus, quæ manè primùm percipimus, deinde procedente die, memoriâ hebetamur, quoniam multa jam perreptavimus*, ut ait Ariſt. probl. 30. ſect. in fine problematis quinti, &c.

67. Ad th. 11. Prima ætas non eſt idonea ad judicandum, ſicut non eſt idonea ad alia corpore peragenda, ut in præcedentibus habuimus & Ariſtotelica comparatione (à manu, organo ferè corporis præcipuo, deſumtâ) num. 64. declaravimus. Itaque rectè vocatur *Infans* primæ ætatis homo, quia adhuc fari neſcit, Germ. unmündig, quia ore & oratione nondum uti valet. Ubi ſimul intelligendum eſt, quòd ſit ineptus ad ratione & ſermone interno rectè utendum. Quoniam enim ſermo in mente naſci & concipi debet, ideò Deus non conceſſit primæ ætati uſum loquendi, quia uſum ratiocinandi nondum dedit. Sed homines Infantiam appellavêre, reſpicientes organi corporei, id eſt, linguæ imperfectionem, rationis & judicii non item, quia hujus imbecillitates non ita advertuntur, uti ſuprà dictum eſt. Vox quoque *Adoleſcens*, quia ſignificat eum qui adhuc creſcit & perficitur, ac nondum adultus eſt & abſolutus, nota imperfectionis eſt, quamvis & hujus nominis



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

inventores tantùm corporis attenderint imperfectionem, ob rationem ſæpius allatam.

6. Ad th. 14. In hac theſi fundamentum ponitur, cui ſuperſtruuntur ſequentia multa, ideoq; in ejus conſideratione diutiùs immorandũ fuerit. *alligata*) Mens quò proprior eſt ſuæ origini, eò magis eſt alligata corpori & cum eo quaſi permiſta: in ſenibus contrà magis eſt libera, unde illi ſapientiores. Hinc lethaliter ægrotantes miram à corpore allevationem ſentiunt & ſublimiores ſæpe habent cogitationes. Et cauſa inde videtur aſſignari poſſe vulgaris opinionis, quâ infantium ingenioſorum brevem vitam, hebetiorum contrà longam plerumq; homines prædicunt. Et huc facit quodammodo, quod Platoni Philoſophia erat ſeparatio animæ à corpore, item meditatio mortis, quam magis indies meditamur, quoniam indies magis magiſque vinculum animæ & corporis laxatur.

69. *humido cerebro*) humiditate nimia cerebrum obtunditur, inde Heraclitus animam ſiccam dixit eſſe ſapientiſſimam. Bacon de Verul. de aug. ſcient. lib. 5. ca 4. mentem humanam dicit corpore obductam & obfuſcatam. Anima in corpore infantis, propter fluxum humorum & inconſtantiam materiei, quaſi dormiens & ebria eſt, ita fere Piccolom. Phil. mor. grad. 5. cap. 29. Idem ibid. cap. 36. *In ſenioribus contemperatus eſt fervor ille ſangui-*

*ſanguinis, qui turbabat conſultationem, pervertebatque judicium & ſententiam rectam &c. prudentia expoſcit temperamentum quoddam ad frigidum & ſiccum inclinans &c. & hujuſmodi ſenioribus competit. Ex declaratis ſimiliter elicere valemus, cur mares ſint prudentiores fœminis. Nam ſententia fuit Heracliti, approbata à Galeno in eo libr. quòd animi mores ſequantur corporis temperamentum, ſplendorem aridum, hoc eſt, ſpiritus fulgentes, inclinantes ad ſiccum, reddere animam ſapientem & prudentem: ſpiritus autem feminei ſexus, redundante quadam humiditate, craſſi & obtuſi ſunt.*

70. Sed imprimis huc ſpectat ſententia Thomæ Angli in Inſtit. Peripat. Appendice Theologica cap. 18. circa finem, ubi probat hodiernos homines præcellere ingenio antiquos. Non loquitur de patriarchis & prophetis, ſed de hominibus naturali tantùm ratione utentibus. Vult igitur cum mundi ſenecta corpora quidem fieri imbecilliora minuſque diu vigere ac valere, mentem verò generoſiorem & vividiorem reddi, ſicut & ingenioſi ac docti plerumque ſunt imbecilliores valetudinis & minùs obeſi corporis. Ad hoc probandum oſtendit 1. tellurem ex vi diluvii longè frigidiorem & ſicciorem evaſiſſe. Frigidiorem quidem, quod tanta aquarum moles tanto tempore eam non ſolùm texerit &



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

compreſſerit; ſed in ipſa ejus viſcera penetraverit: ſicciorem verò, prout elixa ſicca redduntur ſubducto naturali humore per coctionem; & ligna à ſylvicidis in aquas projiciuntur, ne inſitus humor in cariem & vermes exuberet, & poſt debitum tempus educuntur ſicciora, & deſtillatores ut humorem herbarum eliciant aquâ vel alio proportionato liquore ſubjectas plantas perſpergunt &c. ita nimirum, cùm bene digeſto humore redundarat tellus, non fuiſſe potiorem exſiccandi rationem, quàm addito alio humore ſeparabiliorem reddere eum qui inerat, & ſimul utrumque exprimere. 2. ex illo telluris frigore & ſiccitate provenire oſtendit, quòd plantæ & animalia maligniorem inde ſuccum & alimentum trahant, cùm vegetatio in calore & humore conſiſtat. 3. ex eo quod ſiccior evaſerit terra, probat etiam aërem, qui hominem circumſtat, puriorem & tenuiorem factum, atque ita tam ex alimento, quàm ex aëre redditum eſſe corpus, ut non æquè vaſtum neq; durabile, ſic ſubtilioribus ſpiritibus, & ad ſubjiciendum animæ & operationes ipſi proprias magis idoneum; & ſic 4. acutioris ingenii evaſiſſe homines & ad ſcientias & artes magis dedicati, & per conſequens omnibus computatis meliorem & perfectiorem evaſiſſe mundum: hominibus multò pluribus propter parvitatem corporis

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

& mutationem tam frequentem ex ęvi brevitate neceſſariò futuris, & nihilominus, quin multò magis, ad ęternam futuri ſeculi vitam præcocioribus & maturioribus. Hæc ille.

71. Porrò humidos eſſe infantes probatur. 1. quia valdè ſunt ſomnolenti. 2. continuò lacrymas ſtillant. Cerebrum igitur cùm habeant humidum & ſpiritus craſſos, malè utuntur ratione. Nam anima à corpore in operationibus ſuis impeditur, minùs autem impeditur, cùm corpus bene ſe habet, cùm ſpiritus ſubtiliores, cerebrum ſiccius.

72. *non aliis cogitationibus*) Vivit homo initio ætatis vitâ ferè vegetativâ, poſtea animali & ſenſitivâ, tandem perfectiùs rationali & intellectuali. Piccol. grad. 3. cap. 8. fin. *illecebræ ſenſuum avertunt rationem à bono mentis, ſenſus trahit deorſum ad corpus.* it. *homines per naturam maximè eſſe propenſos ab bonum ſenſuum, quia omnes incipimus vivere vitam ſenſuum* &c.

73. Ad th. 15. *lucidis & ſplendidis*) Et hoc primum quaſi rudimentum fuit in barbaris gentibus, quo ad cultum ſolis & cœleſtium corporum ſimilemque idololatriam poſtea ſunt abrepti; qua de re diſſertatione tertia de Præjud. Inf. agetur ex profeſſo. Hodie etiam barbare nationes ſibi relictæ perſiſtunt in puerili iſtiuſmodi judicandi ratione.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

tione. Itaque ſub initia navigationis in Indiam Batavi eò deferebant ſpecula, plumas, orbes aut globulos vitreos, pupas & ſimilia ſplendida, quibus incredibile dictu quantum barbari illi delectati fuerint, pro illis enim quiſquiliis Belgæ merces omnium prætioſiſſimas, uti ſericum, margaritas, nobiliora aromata &c. domum reportârunt. Vide Comment. de ſtatu reip. Fœd. Belg. cap. 8. ubi & cauſa dicitur cur Gubernator Indiæ Batavicæ longè majori pompa utatur, quàm Europæi ferè reges, nimirum quia mos ille datur ingenio barbararum gentium, quæ externa illa ſpecie potiſſimùm capiuntur.

74. Ad th. 16. *malam*) Hinc multi matura etiam ætate ægrè admittunt Metaphyſicam illam veritatem, *omne ens eſſe bonum*, imò reperiuntur, qui vix perſuadere ſibi poſſunt, Deum creaviſſe omnia valde bona, niſi ſtatuant ſerpentes in paradiſo veneno caruiſſe, non attendentes venenum ratione ſerpentis, ratione item Vniverſi totius bonum quid eſſe. In ſimilis erroris luto hæſit ipſe Galenus, adverſus quem Hornejus Philoſ. moral. lib. 3. cap. 1. §. 6. *Abſurdum eſt quod Galenus mala per accidens confundit cum malis per ſe: Venenum enim malum non eſt niſi priori modo tantùm: primò enim non eſt malum niſi ei cui nocet aut quod interficit. Sed*

hoc

*hoc non eſt verè & per ſe eſſe malum, alias omnes res naturales contrariis qualitatibus prædita mala eſſent, nam omnes ſe inter ſe interimunt. Ita aqua ignem exſtinguit, ignis contrà corrumpit aquam* &c. *Deinde ſi venenum per ſe ſit malum jam ſemper eſſet. Sed non eſt: nam idem quod venenum eſt homini, ſaluberrimus cibus ſæpe eſt alii animali. Ita ſerpens hominem interficit, nutrit ciconiam, piper & amaracus ſalubria ſunt homini, ſed ſuos interficiunt* &c. *Venenum non eſt malum in genere naturæ: tale enim malum corrumpit perfectionem aliquem naturalem ſubjecti cui ineſt. Sed venenum animalibus venenatis non tam aufert quàm tribuit perfectionem: ut enim unguibus leones, cornibus tauri, ita ſerpens veneno armatus eſt, ut ſe tueri poſſit: nec enim defectus eſt in tauro aut leone arma illa habere, licèt homini malum ſit ſi cornibus petatur aut unguibus diſcerpatur.* Hujuſmodi conſideratio prodeſt ad animum liberandum à ſimilibus præjudiciis.

75. Ad th. 18. *plus ſubſtantiæ*) hoc præjudicium refutabitur diſſertatione proximè ſequente. *prout plus ab eo afficitur*) ſic quia oculi infantis magis afficiuntur à corbe pomis pleno, quàm ab uno pomo, & generatim plus à toto quàm à parte moventur, ideo exiſtimat, *totum eſſe majus parte*. At, inquis,

nonne

nonne rectè exiſtimat? ℞. rectum judicat, ſed non rectè (bonam namque ſententiam habere quis poteſt, quam malo probet argumento) Non enim ideo totum majus parte cenſeri debet, quia plus movet oculos quibus videtur, aut manus quibus palpatur, quoniam eadem ratione terra judicanda eſſet major ſole, cum illa magis oculos afficiat, & parvus lapis major aëre, quia magis tactum movet. At inſtas: ubi toto & partibus ſat propinquis magis afficitur ſenſus, ibi majus eſſe judicabit, quod magis afficit, & rectè judicabit. Atqui ſol & terra non ita ſe habent. ℞. 1. tam mihi propinquus aër eſt, imò propinquior, quàm arbor aut ſaxum aliquod. Ad hoc tamen magis afficit, licèt ille ſit major. 2. ſi propinquitatis illa ratio habenda, ergo intellectus hoc judicare debet, ac proinde ſine hujus interventu atque dictamine, ex mera ſenſuali perceptione, totum parte majus pronunciari non poterit. 3. Si concluſionem generalem ita te putas colligere: omne totum eſt parte majus, quia hoc & illud & iſtud quod vidi, quod palpavi, majus deprehendi (nam ita colligis) non valebit concluſio, quia non vidiſti, non palpâſti tota omnia aut partes omnes quæ ſunt in univerſo, ac proinde ſenſus te certum reddere nequit, non dari inſtantiam, non dari alicubi in mundo totum

tum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

rum parte minus aut parti æquale. Quæris, unde ergo certitudinem habet iſtud axioma? ℞. ab intellectu ad ideas ſive notiones totius & partis ſibi innatas attendente. Nam quia *totum* nihil aliud eſſe intelligitur, quàm id quod ex pluribus partibus conſtat & componitur, eas comprehendit & continet; *partes* autem, quæ ſimul ſumtæ & unitæ totum conſtituunt & componunt, inde manifeſtum eſt rationi attendenti, fieri non poſſe, quin totum parte ſit majus.

76. Ad th. 20. Alia exempla depromere poſſis ex diſſert. præcedente de Aquis th. 25. 26. *ſtellas*) Quomodo etiam interdiu aſtra contueri liceat ita è Iohan. Baptiſta Porta refert Weckerus De Secretis lib. 3. cap. 1. *omnibus jam eſt planum, exiguum lumen potiori vividiorique propinquum evaneſcere. Si facem vel flammam aliquam luculento appoſueris Soli, diſſipatur lumen & marceſcit: deliteſcunt interdiu ſtellæ Solis fulgore nimio, quum æquè diu noctuque ſplendeant: eas igitur intuituri remedio non fuerint deſtituti. Die magno Solis defectu cum lumine orbatur, & profunda tegitur caligine terra, nec oculi offenduntur luce, ſideribus cœlum diſſeminatum conſpicitur: quod ſuis accidiſſe temporibus Thucydides memoriæ mandavit, noſtroque ſæpe patuit ævo* &c. *Qui aſtra conſpicere*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*ſpicere affectabit, uti è Galeno & Philopo-no docetur, in praaltum deſcendat puteum vel hujuſmodi ſimile, ut per tenebras multumque intervallum cœlum contueatur, ſerenum utique nec obtectum nebulis inconvenientibus oculis, & ſine nictatione clam intueatur aſtra, & lucentia. Plurima enim ibi tenebra (noctis inſtar) viſum congregant nec à lumine ſuperfuſo diſſipari ſinunt: non id tamen periclitaberis Sole meridianum occupante: magno enim impedieris lumine: & ſi profundius deſcendas, clarius conſpicies, & celerius: ſin minùs, obſcuriùs & tardiùs.*

77. Ad th. 22. *in medio mundi*) Hinc etiamnum vulgus Iudæorum credit Hieroſolymas, gentis ſuæ priſtinam patriam, ſitas eſſe in medio mundi, quod multi etiam è Chriſtiana plebe ſibi perſuaderi patiuntur, quos præjudicium de terræ planicie occœcavit. *Orbis terrarum*) Terra non eſt Orbis, id eſt rotundum planum; ſed globus ſeu ſphæra, id eſt rotundum ſolidum.

78. Ad th. 23. ſq. *ſine ſenſu*) Imperfectionis noſtræ pars eſt non minima, quòd eas ignoremus, quòd errare nos plerumque non advertamus, imò quod familiaritate & conſuetudine diutina falſitates nobis arrideant & pro veritatibus habeantur.

79. Ad th. 26. 27. 28. *alicubi eſſe*) Hinc Lip-

Lippius, Nollius, Scheiblerus, Burgerſdicius, aliique celebres Metaphyſici, τὸ eſſe alicubi ſive Localitatem, in doctrina Tranſcendentium, tanquam omnis entis actualis proprietatem proponunt, cum quibus faciunt Ramiſtæ, in multis aliis diſſentientes: unde Dounamus in Rami Dialect. lib. 1. cap. 10. inter ea quæ omnium Philoſophorum conſenſum meruêre: hoc ponit, nihil omnino eſſe, quod non ſit in aliquo loco, adducto illo Ariſtotelis: *quæcunque ſunt, omnes alicubi eſſe arbitrantur*, & illo Thaletis: *locum eſſe maximum, quia capit omnia*. Hujus ego erroris (nec enim pudet confiteri) particeps fui ante ſexennium, in Elementis Ontoſophiæ Localitatem omni omnino enti attribuendo, quamvis enim id non cum vulgo, ſed cum jam citatis Metaphyſicis intellectum voluerim, ut ibi latiùs videre licet, vulgarem tamen errorem ſapit, quòd res intellectuales, extenſionis expertes; ad ſpatium & locum referuntur, quæ non magis ipſis conveniunt quàm calor aut frigus.

80. Sanior & à præjudiciis liberior mens eſt Thomiſtarum aliorumque, Mentes haut aliter alicubi ſtatuentium, quàm per operationes in ea quæ propriè extenſa & locata ſunt, ut ibi dicantur eſſe, effectivè, ubi hæc ſunt extenſivè. Thomas

An-

Anglus Inſtit. Peripatet. lib. 2. lect. 2. § 13. 14. *Subſtantias ſpirituales ita conſtat eſſe in loco, ut non conſtet quid ſignificet eſſe in loco, cùm de iis dicitur. Certum tamen eſt non ſignificare eſſe in loco per modum corporum, quod ſolùm eſt propriè eſſe in loco: cùm genus humanum, cujus eſt nomen loci imponere, non viderit ſubſtantias ſpiritales. Neque intereſt, quod vulgus exiſtimat non eſſe illud quod eſt nullibi: non enim ſententiarum conditor eſt vulgus, ſicut nominum, ideoque nominum ſignificationes ab eo accipimus, non dictorum certitudinem.*

81. Ad th. 28. *exiſtimationem*) Simplicius ad illum locum Ariſtotelis vocat hanc *naturalem quandam exiſtimationem in animis hominum.* Themiſtius ibidem: *Græci cum barbaris in eam exiſtimationem ac animi notionem pervenêre, ut ſupremum eum locum qui mundum ambit, corpuſque, quod in eo loco exiſtit, glorioſo Deo attribuerint.*

82. Ad th. 29. *amicitias*) Vide hîc Philoſophos morales agentes de Amicitia, honeſtam viris bonis, jucundam juvenibus, utilem ſenibus præcipuè tribuentes.

83. Ad th. 30. *Ciceronis*) Verba ſunt: *Quidnam eſſe Brute cauſæ putem, cur cùm conſtemus ex animo & corpore, corporis curandi tuendique cauſa quæſita ſit ars ejus*

*atque utilitas, deorum immortalium inventioni conſecrata, animi autem medicina nec tam deſiderata ſit antè quàm inventa, nec tam culta poſteaquam cognita eſt, nec tam multis grata & probata, pluribus etiam ſuſpecta & inviſa? an quòd corporis gravitatem & dolorem animo judicamus, animi morbum corpore non ſentimus? ita fit, ut animus de ſe ipſe tum judicet, cùm id ipſum, quo judicat, ægrotet.* Locus imprimis facit ad hanc doctrinam illuſtrandam.

84. Ad th. 32. alia exempla: ita *Terra* à, τείρω ſicco vel tero, quorum utrumque ad tactum & manus refertur, à τείρω inquam, ut *aridam* propriè deſignet. *Salum* à ſalſedine. *Cœlum* à κοῖλον cavum, quale nobis intuentibus apparet, inſtar fornicis, terram ibi contingentis, ubi viſus noſter terminatur. Sed innumera ſunt ſimilia.

85. Ad th. 36. *Lactantius*) Auguſtinum excuſat Ioachim. Vadianus in Epiſt. ad Rudolph. Agricolam, quòd *non à veritate, ſed ab inverſa & vero nequaquam conſentanea ſcriptorum de Antipodibus traditione abhorruerit.* Adi eum in dicta Epiſtola, ubi Lactantium refellit & fusè de Antipodibus diſſerit, ut & initio Notarum ad Pomponium Melam. Adi etiam Coſmographiam Petri Appiani & Gemmæ Friſii part. 1. cap. 16.

Hi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

Hiſtoriam de Virgilio refert Aventinus folio mihi 277. ex eo Ramus, Keplerus, Keckermannus, alii.

86. Ad th. 37. *occupans credulitatem noſtram*) Mens infantis opinionum adhuc vacua primæ fit quaſi occupantis propria. Et hinc opinio prior tempore, jure quoque prior putatur, *familiaritatis jure.* Verul. Nov. Org. lib. 1. aph. 38. *Idola & notiones falſæ quæ intellectum humanum jam occuparunt, atque in eo altè hærent, non ſolùm mentes hominum ità obſident, ut veritati aditus difficilis pateat; ſed etiam dato & conceſſo aditu, illa rurſus in ipſa inſtauratione ſcientiarum occurrent & moleſta erunt, niſi homines præmoniti, advorſus ea ſe, quantum fieri poteſt, muniant.* Idem ejuſd. lib. aph. 71. *Opera eorum* (antiquorum Græciæ philoſophorum) *à levioribus iſtis, qui vulgari captui & affectui magis reſpondent ac placent, tractu temporis exſtincta ſunt.*

87. Ad th. 38. *dudum invaluêre*) Hinc poëta: *ſerò medicina paratur, cùm mala per longas invaluêre moras.* Et alius: *dediſcit animus ſerò, quod didicit diu.* Et Horat. *Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem teſta diu.* Ad quod Eraſmus, *proinde*, inquit, *rectè monet Fabius, ut ſtatim optima diſcantur: propterea quod nihil hæret tenaciùs, quàm id quod rudibus annis perceperimus.*

Et

*Et Ariſt. libro Moralium Nicomach. 2. itaque non parvi refert, hoc an illo pacto protinus à pueris conſueſiamus, imò plurimum intereſt, vel potiùs omne in eo momentum eſt ſitum.* Et Vergilianum illud ἐπιφώνημα in Georgicis: *adeò in teneris conſueſcere multum eſt.*

88. Ad th. 39. *ex memoria ſua*) Plato in Timæo: *profectò quæ in pueritia diſcimus, diutius firmiuſque, ut fertur, meminiſſe ſolemus. Atque haud ſcio, an quæ heri audivi, referre nunc omnia memoriter poſſim: quæ verò puer accepi, mirabor equidem, ſi quid eorum memoriâ mihi exciderit.*

89. Ad th. 40. *innutriti*) Majemonid. More Nevoch. p. 1. cap. 31. fine: *Amant homines naturâ id ad quod ſunt aſſuefacti & propendent ad illud* &c. *Idem planè accidere ſolet homini in ſententiis & opinionibus, quibus innutritus eſt, ut præ amore illarum, ab illis dimoveri nequeat. Quæ cauſa eſt ut homo ſæpe non poſſit apprehendere veritatem, quia ſcilicet illa ſequitur, quibus eſt aſſuetus* &c. Vt ut etiam præjudicia quis deponat, poſtea tamen, lubentiùs recipit doctrinas iis conformes & ſimiles.

90. Ad th. 41. *corporeis*) Marſilius in Phædonem: *Diſce hîc quoque, animam ex eo quòd rebus corporeis oblectatur & paſcitur, evadere corporalem: atque hinc uſque adeo falli, ut*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*ſola corporea judicet eſſe vera, cum omnino ſit contrà: fallaciam ejuſmodi malorum omnium eſſe graviſſimum.* Verba Platonis in Phædone ſunt: *ſin autem polluta impuraq; decedat* (anima) *utpote quæ corpus ſemper amplexa ipſum duntaxat coluerit & amaverit ejuſque voluptatibus & libidinibus quaſi veneficiis quibuſdam delinita fuerit, & uſq; adeo capta, ut nihil putet eſſe verum, niſi quod corporeum ſit, quod tangi, quod videri poſſit, quodve bibat, & quod edat, & quo in venereis utatur: quod verò oculis quidem occultum & inviſibile ſit, veruntamen intelligibile, & philoſophia comprehendendum, habere odio conſueverit, tremereq; & fugere: ſic inquam inſtitutam animam putaſne ipſam per ſe ſinceram evadere? Nullo modo, inquit. Sed infectam involutamque, ut arbitror, contagione corporea, quam conſuetudo congreſſuſque cum corpore propter continuam familiaritatem plurimumq; ejus cultum effecit quaſi congenitam?*

91. *Animam*) Marſil. in Phædon. *Difficillimum eſt in hac vita ſubſtantiam animæ intelligere, quoniam videlicet ſub corporea eam ſpecie intuemur. Ideoque tutiſſimam rationem ad animam comprehendendam eſſe, tum moralem purgationem, tum metaphyſicam abſtractionem.* Vide quid hîc amplius Platone non ſolùm dixerit, ſed etiam fecerit Carteſius Medd. p. 69. *Quamvis jam antè di-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*tè dictum ſit à multis, ad res Metaphyſicas intelligendas mentem à ſenſibus eſſe abducendam, nemo tamen adhuc, quod ſciam, qua ratione id fieri poſſit oſtenderat: vera autem via, & meo judicio unica ad id præſtandum in ſecunda mea Meditatione continetur, ſed quæ talis eſt ut non ſit ſatis ipſam ſemel perſpexiſſe, diu terenda eſt & repetenda, ut totius vitæ conſuetudo res intellectuales cum corporeis confundendi contraria paucorum ſaltem dierum conſuetudine eaſdem diſtinguendi deleatur.*

92. *Inſtar venti,*) Vel aëris, inde Virgil. Eclog. 6. animam uſurpat pro aëre.

*Namque canebat, uti magnum per inane coacta* *(fuiſſent,*
*Semina, terrarumque* animæque, *mariſq;*

Et Æneid. 2.

*Vt regem æquævum crudeli vulnere vidi*
*Vitam exhalantem.*

Vbi Servius: ſecundùm eos, qui volunt animam eſſe ventum: ut, *atque in ventos vita receſſit.* Alius interpres: alludit ad ſententiam eam, quam perſtrinxit ſub perſona Cebetis ad Socratem Plato in Phædone, eo loco quo multos in eo errore verſari dicit, ut credant animam ab hominibus efflari, ut tanquam fumus dilabatur & diſſipetur. Hæc ille. Equidem ratione vocis, *Anima*, propriè eſt ventus, unde Hora-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

tius lib. 4. od. 12. *impellunt animæ lintea Thraciæ*: item halitus oris, ut cum dicimus, *animam fœtere* vel *efflari*. Deinde traducta vox eſt ad animam ſenſitivam, tandemque ad rationalem denotandam. Ex dictis igitur patet cur Anima Latinis à vento, qui Gr. ἄνεμος, acceperit nomen, cur Græcis dicta ψυχὴ à ψύχω ſpiro, cur Hebræis נֶפֶשׁ à נפש quod in Niphal reſpirare notat.

93. Notetur autem, ex antiquis Philoſophis Anaximenem, Anaximandrum, Anaxagoram & Archelaum animam *aëriæ* eſſe naturæ credidiſſe; Parmenidem, Hippaſum & Heraclitum *igneam* illi naturam tribuiſſe: Empedoclem ex *ætherea* & aëria ſubſtantia eam conflâſſe. Alii etiam Veterum tum Philoſophorum, tum Eccleſiæ Patrum non quidem craſſa & palpabilia, at ſubtilia tamen & tenuia corpora Animabus atque Angelis aſſignarunt, quia omnia corporea eſſe, aut ad modum corporum ſe habere, ſeducti infantiæ præjudiciis, firmiter ſibi perſuadebant.

94. Sed quæri hîc poteſt, cur Angelos v. g. potiùs ad corporum tenuium & ſubtilium, quàm ad craſſiorum & duriorum (ſicut cœlo adamantinam aut cryſtallinam duritiem aſſignârunt) ſimilitudinem ſibi homines plurimi repræſentârint, ſive, cur illa po-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

potiùs quàm hæc iis corpora tribuerint? Reſp. Cauſæ ſunt variæ. Sufficiat nunc illam annotâſſe, quæ ex theſibus 18. 19. 20. deſumitur, ubi tres obſervantur gradus: primus, quòd homines ibi nihil eſſe putant, ubi non afficiuntur; ſecundus, quòd ibi parum eſſe putant, ubi parum afficiuntur; tertius, quòd ibi multum eſſe putant, ubi valde corpus afficitur. Iam ad hypotheſin. Primò quidem res ſpirituales nullas eſſe opinabantur homines, quia nullas videbant; deinde verò cùm aliunde certiores redditi aliquid eas eſſe judicâſſent, dicto primo gradu relicto ad ſecundum quidem adſcenderunt, ad tertium verò pervenire haut potuerunt, hoc eſt, cùm antea nihil eas eſſe credidiſſent, poſtea quidem aliquid eſſe conceſſerunt, non potuerunt tamen adduci, ut multum illis entitatis ac ſubſtantiæ tribuerent, quia major eſt inter nihil & multum, quàm inter nihil & aliquid diſtantia. Quare dum illis rebus, quibus minimum aſſignabamus entitatis ac ſubſtantiæ, non illis, quibus multum, Animos atque Angelos ſimiles, aut eoſdem eſſe putavimus, cogitet quæſo lector à præjudicio liber, quàm indignis modis de rebus inter creata omnia digniſſimis judicaverimus.

59. Ad th. 42. *niſi quod manibus*) Plato in Theæteto: *profani ſunt, qui nihil aliud eſſe putant, quàm quod pugno tenere*

 *poſſunt.*

*poſſunt. Actiones verò generationeſque, & quicquid inviſibile eſt, in eorum quæ ſunt numero nequaquam habent.* Ad quæ Eraſmus in Adagiis ſub titulo Securitatis: *Loquitur de his qui non exiſtimant quicquam eſſe in rerum natura, præter res corporeas & ſenſibus expoſitas: actiones, generationes, & hujus generis alia, quæ intellectu, non ſenſibus percipiuntur, exiſtimant eſſe inania vocabula. Talis viſus eſt Platoni Diogenes* &c. *Tam craſſum ingeniorum genus Plato veluti prophanum à Philoſophiæ myſteriis jubet arceri. Veriùs enim ſunt, quæ non videntur, quàm quæ videntur, & certiùs ea ſcimus quæ ratione colligimus, quàm quæ manibus contrectamus, ſenſuum enim judicium fallax eſt.* Maimonid. p. 1. M.N. cap. 2. *quia peccavit* (homo) *contra præceptum illud, quod ratione intellectus ei datum erat, ideo in locum hujus ſucceſſit apprehenſio ſenſibilium, ſicque præcipitatus eſt in turpes & libidinoſos affectus.*

96. Ad hanc & ſequentes theſes pertinet egregius locus Maximi Tyrii Platonici Philoſophi, qui ſerm. primo ſic loquitur: *Senſile propter conſuetudinem vulgatius eſt: intellectilia verò ob inſolentiam, hominum cœtui minùs nota ſunt, naturæ tamen exploratiora. Enimvero animalia, plantæ, lapides, voces, iræ, appetitiones, colores, ejuſmodi omnia quæ longa conſuetudo collegit, dietimque permiſcentur*

ſcentur ordine vivendi, ita animum diſpoſuerunt traxeruntque in ſententiam, ut in his ſolis eſſentiam omnem, nec præterea alibi locatam arbitretur. Sed intellectile cùm ſit ab illorum contactu cohærentiaque penitus liberum, ejus eſt natura, ut ab intellectu tantum ſecundùm propriam naturam cerni poſſit. Is verò intellectus, quoniam in univerſa anima diſſeminatus eſt, propterea diſtrahitur à ſenſibus ac perturbatur, & eò inquietudinis agitur, ut ſua ipſe ſpectacula diſcernere non poſſit, ob eamque cauſam plebejus factus, ita moribus plebis aſſuevit, ut popularibus ſenſuum vocibus loquatur, nihilque aliud eſſe arbitretur, præterquam quod videri, audiri, olfieri, guſtari ac tangi queat. Igitur quemadmodum in epulo nidoris pleno, in quo permultum vini miſcetur, eſtque tibiarum, fiſtularum, ſaltationumque ſtrepitus multus, atque odoramentorum magna vis, is conſtantiſſimus ſit, qui ſeſe colligens, ac contrahens, ab illis omnibus avocet ſenſum, ſeque & ſobrium, & temperatum præſtet. Ita etiam variè obſtrepentibus ſenſibus magni negotii eſt invenire mentem frugi, quæ adeo ſeſe ab his explicet, ut ſua ipſa ſpectacula poſſit intueri.

97. Ad th. 44. *longo iſto uſu*) Marſil. in Phædonem, *animum corporea intuentem, interim ad incorporeorum intuitum obcæcari. facilitatem*) Maim. M. N. p. 1. cap. 49.

*Noſti apprehenſionem illius rei, quæ immunis eſt à materia, & omni corpore deſtituta, homini eſſe difficillimam, præſertim ei qui neſcit diſcernere inter intelligibile & imaginarium* (refer ad th. 49.) *& qui apprehenſioni tantùm imaginationis innititur. Nam illi revera omnia vel actu vel potentiâ exiſtunt, quæcunque in imaginatione ſuâ concipit: & quæcunque in imaginatione ſuâ concipere nequit, habet pro puris privationibus vel pro non entibus.* (refer ad th. 46.) *Ejuſmodi autem homines, quales ſunt plerique ſpeculatores, nullam rem ex veritate poſſunt cognoſcere, neque etiam ex dubiis & rebus controverſis nôrunt ſe extricare. Propter hanc ergo difficultatem Prophetæ quædam in medium attulerunt, quæ juxta ſenſum literalem Angelis corpora tribuere videntur, motum, item formam ac figuram humanam.*

98. *Quaſi hæ minus*) Majora & perfectiora quæ ſunt, vocabulis affirmativis exprimuntur, aut ſaltem exprimi debent, ut: gnarus, doctus, ſciens; quæ minus exiſtunt & imperfecta ſunt, negativis, veluti ignarus, indoctus, neſcius.

99. Ad th. 48. ConſulePlatonis Phædonem, ubi inter alia hæc verba occurrunt: *neceſſe eſt ergo nos* æqualis *ipſius ſcientiam ante illud tempus habuiſſe, in quo primum videntes*

*tes æqualia, agnovimus conari quidem hæc omnia* (ſcil. æqualia in ſenſus incurrentia) *talia evadere, quale eſt ipſum, attamen à perfectione ipſius abeſſe.* Item, *antè enim quàm inciperemus videre aut audire aliiſque uti ſenſibus, oportet nos æqualis ipſius ſcientiam poſſediſſe, videl. quid ipſum ſit, ſi modò æqualia hæc quæ ſenſibus ſubjacent, ad ipſum adeo relaturi ſimus, ut judicemus anniti quidem hæc omnia talia quale ipſum eſt evadere, Veruntamen deteriora relinqui.* His ſimilia ſunt verba Carteſii (quæ tamen non profert ad reminiſcentiam probandam, non enim ea parte ſentit cum Platone) Reſpp. quint. p. 73. *cùm primùm olim in infantia figuram triangularem in charta depictam aſpeximus, non potuit illa figura nos docere quo pacto verus triangulus, ut à Geometris conſideratur, eſſet concipiendus, quia non aliter in ea continebatur, quàm velut in rudi ligno Mercurius: ſed quia jam antè in nobis erat idea veri trianguli & faciliùs à mente noſtra quàm figura magis compoſita picti trianguli concipi poterat, idcirco viſâ iſtâ figurâ magis compoſitâ non illam ipſam, ſed potiùs verum triangulum apprehendimus.*

100. *Malebant diſtinctiones*) Verul. Nov. Org. lib. 1. aph. 25. *Axiomata quæ in uſu ſunt, ex tenui & manipulari experientia & paucis particularibus, quæ ut plurimum oc-*

*currunt, fluxêre: & ſunt ferè ad menſuram eorum facta & extenſa* &c. *Quod ſi fortè inſtantia aliqua non priùs animadverſa aut cognita ſe offerat, axioma diſtinctione aliqua frivola ſalvatur, ubi emendari ipſum verius foret.* Item aph. 46. *Intellectus humanus in iis quæ ſemel placuerunt (aut quia recepta ſunt & credita, aut quia delectant) alia etiam omnia trahit ad ſuffragationem & conſenſum cum illis: Et licèt major ſit inſtantiarum vis & copia, quæ occurrunt in contrarium; tamen eas aut non obſervat, aut contemnit, aut diſtinguendo ſummovet & rejicit, non ſine magno & pernicioſo præjudicio, quò prioribus illis Syllepſibus authoritas maneat inviolata.*

101. Ad hanc th. & ſeq. 49. pertinet prolixus Platonis locus in Phædone, ubi inter alia hæc legas: *Num aliquando horum aliquid* (juſtum, pulchrum &c.) *oculis percepiſti? Nunquam* &c. *Nonne igitur ille puriſſimè faceret, quicunque ipſa mentis excogitatione quàm maximum ſe ad unumquodque conferret neque viſum in excogitando adhibens, neque ſenſum prorſus ullum ratiocinationi conjungens: ſed ipſa ſecundùm ſeipſam mentis excogitatione ſincera utens, ipſum per ſe quodlibet ſincerum exiſtens ſtuderet venari, ab oculis, ab auribus, & ut ſummatim dicam, à toto corpore liber, utpote perturbante animum, neque permittente veritatem ſapientiamque aſſequi,*

*ſequi, ſi quando in communionem recipiatur? Annon hic erit ô Simmia, ſi quis unquam alius, ipſius quod verè eſt compos? Mirificè vera loqueris ô Socrates, inquit Simmias.* &c. *Impedimenta pene innumerabilia corpus præbet propter neceſſariam ejus alimoniam. præterea morbi nobis hinc incidentes inveſtigationem veritatis impediunt: amoribus, cupiditatibus, timoribus, multiplicibuſque imaginibus, multis denique nugis nos implet, ut veriſſimè dicatur nihil penſi unquam ac veri nobis afferre.* &c. *Cæterum nobis revera demonſtratum eſt, ſi quando optamus purè aliquid intelligere, recedere à corpore oportere, atque ipſo animo res ipſas conſiderare.*

102. Ad th. 49. *intellectionem & imaginationem*) Fuit apud Arabes ſecta quædam Philoſophorum, qui dicti ſunt Loquentes, de his Majemonid. More Nevoch. p. 1. cap. 71. *in quàm plurimis locis imaginationem & phantaſiam cum intellectu confundunt.* Hos refutat capite 73. Marſil. Ficinus in Phædonem: *imaginatio mentem ad incorporea ſe elevantem, interim ad imagines quaſdam corporum ſæpiſſimè diſtrahit cogitque ipſa modo quodam corporeo cogitare.*

103. Ad hanc & ſequentes theſes, ad verba illa: *ſimul, eopſe momento quo, illico etiam, ſtatim,* obſervetur, quod quæ tempore ſimul ſunt ſæpe pro eodem habeantur &



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

inter ſe confundantur: Ita quia dum oculus *movetur* à lumine aut colore, ſimul mens juncta corpori aliquid *percipit*, ſimul illico *judicat*, hinc tria iſta valdè diverſa, nimirum corporis motus, mentis perceptio, judicium, à vulgo pro uno eodemque reputantur atque uno videndi ſeu viſionis vocabulo exprimuntur. Sic dicimus, audio hominem illum, ſola audiendi voce comprehendentes, quòd aures noſtræ moveantur à tremulo & vibrato aëre, quod ex eo mens aliquid percipiat & intelligat, quòd denique judicet talem illum hominem eſſe. Quando enim ſonus aurem ferit, qualis ſæpe ante, inde ratiocinatione colligimus, eſſe eundem hominem, à quo antehac vocem illam prodiiſſe judicavimus.

104. Ad th. 50. Marſil. in Phædon *Advertendum eſt, quod Plato nullam corpori cognitionem tribuit*. Majemonid. M.N. p. 1. cap. 53. *Homo compoſitus eſt ex anima quæ eſt apprehenſiva, & ex corpore quod non eſt tale. Videre oculum*) his & ſimilibus non motum duntaxat corporis & perceptionem mentis, verùm etiam judicium deſignari ſolet, uti jam dictum. Quamobrem dum legis hujus diſſertationis th. 7. *manibus res contrectare* & th. 9. *corpore perſentiſcit*, cum vulgo locutum me eſſe ſcies, nequaquam verò ſenſiſſe cum eodem.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

105. Ad th. 51. Senſuum præjudicia falſa & dubia aſſerimus, an ergo oculos, aures, linguam, manus &c. fallere aut errare dicimus? Reſpondetur ex hac theſi, negando. Nam error non poteſt eſſe niſi in judicio. At judicium organis corporeis denegamus. Quare ſicut oculus non rectè dicitur, judicare: unde & Scaliger contra Cardan. exerc. 63. ſ. 2. *oculus non exiſtimat, neque alius ſenſus*) ita quoque non rectè dicitur, παραβλέπειν, verſehen.

106. Ad th. 52. *ab objectis*) Ex hoc præjudicio ejuſmodi loquendi formulæ primùm natæ videntur, quibus res dicuntur venire nobis in mentem, incidere, cadere ſub intellectum, occurrere, ſuccurrere, quando ſcimus; item, nos fugere, præterire, quando illas neſcimus. Marſilius in Theætet. *Neq; in corpore figi vult* (Plato) *rerum imagines, neq; in animo ab externis objectis effingi, ſed vel ex natura ſua habere illas animum, vel occaſione ab externis motibus corporiſque paſſionibus ſumta in ſeipſum ſua vi formas rationeſque concipere.* Quæ multò luculentiùs & uberiùs Carteſius in Notis ad Programma, unde ſequentia placet apponere.

107. Medd. 185. ſq. *Quiſquis rectè advertit, quouſque ſenſus noſtri ſe extendant, & quidnam ſit præcisè, quod ab illis ad noſtram cogitandi facultatem poteſt pervenire,*

*debeat fateri, nullarum rerum ideas, quales eas cogitatione formamus, nobis ab illis exhiberi: adeo ut nihil ſit in noſtris ideis, quod menti, ſive cogitandi facultati, non fuerit innatum, ſolis iis circumſtantiis exceptis, quæ ad experientiam ſpectant, quòd nempe judicemus, has vel illas ideas, quas nunc habemus cogitationi noſtræ præſentes, ad res quaſdam extra nos poſitas referri, non, quia iſtæ res illas ipſas noſtræ menti per organa ſenſuum immiſerunt; ſed, quia tamen aliquid immiſerunt, quod ei dedit occaſionem ad ipſas, per innatam ſibi facultatem, hoc tempore potiùs quàm alio, efformandas.* Quibuſdam interjectis: *conſideremus aliquid dici poſſe ex alio eſſe, vel quia hoc aliud eſt cauſa ejus proxima & primaria, ſine qua eſſe non poteſt, vel quia eſt remota & accidentaria duntaxat, quæ nempe dat occaſionem primariæ, producendi ſuum effectum uno tempore potiùs quàm alio. Sic artifices omnes ſunt operum ſuorum cauſæ primariæ & proximæ; qui verò jubent, vel mercedem promittunt, ut illa faciant, ſunt cauſæ accidentariæ & remotæ, quia fortaſſe niſi juſſi non facerent. Non autem dubium eſt, quin traditio vel rerum obſervatio ſæpe ſit cauſa remota, nos invitans, ut ad ideam, quam habere poſſumus de Deo, attendamus, illamque cogitationi noſtræ præſentem exhibeamus. Quòd autem ſit cauſa proxi-*

*proxima iſtius ideæ effectrix, à nemine dici poteſt, niſi ab eo, qui putat nihil à nobis de Deo unquam intelligi, niſi quale ſit hoc nomen* DEVS, *vel qualis ſit figura corporea quæ nobis ad repræſentandum Deum à pictoribus exhibetur. Quippe obſervatio ſi fiat per viſum, nihil propria ſua vi menti exhibet præter picturas, & quidam picturas ex ſola motuum quorundam corporeorum varietate conſtantes: Si per auditum, nihil præter verba & voces: Si verò per alios ſenſus, nihil in ea habetur quod referri poſſit ad Deum. Et ſanè quòd viſus nihil præter picturas, nec auditus præter voces vel ſonos, propriè ac per ſe exhibeat, unicuique eſt manifeſtum: adeo ut illa omnia quæ præter iſtas voces vel picturas cogitamus tanquam earum ſignificata, nobis repræſententur per ideas non aliunde advenientes quàm à noſtra cogitandi facultate, ac proinde cum illa nobis innatas, hoc eſt, potentia nobis ſemper inexiſtentes: eſſe enim in aliqua facultate, non eſt, eſſe actu, ſed potentiâ duntaxat, quia ipſum nomen facultatis nihil aliud quàm potentiam deſignat. Quòd verò de Deo nihil præter nomen vel effigiem corpoream poſſimus cognoſcere, nemo poteſt affirmare, niſi qui ſe apertè atheum, atque etiam omni intellectu deſtitutum, fateatur.*

108. Ad th. 53. Omnis quidem cognitio humana eſt intellectualis, quatenus omnis

omnis in & ab intellectu eſt ſeu mente (corpori enim nulla competit ex th. 50. Not. 104.) ſed non omnis eo nomine appellatur, nec appellari digna eſt. Nam ut ille ait, non vivere, ſed valere vita eſt: ita dixerim: non intelligere, ſed attentè percipere, conſideratè judicare cognitio *intellectualis* eſt. *Senſualis* autem vocatur illa, quæ motum organi corporei ſtatim ſequitur, ſic, ut ita tantùm judicemus, prout afficitur & movetur organum aliquod corporis, v. g. oculus, auris &c. ex theſibus 14. & ſequentibus.

109. Ad th. 56. *rationis dictamine*) Duo ſenſus ſi diſſideant, litem dirimere debet ratio, neuter enim judex in propria cauſa eſſe poteſt: & cùm ſenſus tactus viſui longè ſit poſthabendus, ut Phyſici docent, cedere profectò huic deberet in præſenti negotio (videl. ut potiùs crederetur viſui, fractum eſſe baculum judicanti, quàm tactui non fractum aſſerenti) niſi ratio aliud dictaret. *rationem aliquam eſſe debere*) rationem hanc, cur baculus tali caſu appareat fractus, Optica tradit.

110. Addita ſuperiori diſſertationi antehac fuerunt tria etiam ſequentia corollaria: 1. Cur tam pauci ſemper fuerunt ſapientes, & cur non poſſunt eſſe niſi pauci? Reſp. præcipua hujus rei cauſa eſt, quòd nullus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

nullus infans præjudicia vitare, nec ullus adultus facilè ea deponere poteſt. 2. Cur Arithmetica & Geometria dudum ad majorem fuerunt perfectionem deductæ, quàm Phyſica? Reſp. non poſtrema cauſa eſt, quod de rebus Phyſicis multa ab ineunte ætate hauſimus præjudicia, de rebus Arithmeticis & Geometricis non item. 3. Sed cur de illis potiùs quàm de his præjudicia hauſimus? Reſp. de rebus Phyſicis (terra, ſole, ſtellis, aëre &c.) varia judicia infantes tulimus, quia ad vitæ quam ingrediebamur, conſervationem faciebant (ad corporis enim utilitatem referebamus omnia ex th. 14. & ſqq.) Ad res ad Matheſin puram ſpectantes (ternarius, novenarius in abſtracto, triangulum, octogonum, rhombus &c.) tunc nondum erant uſui, ideoque de iis nihil antè judicavimus, quàm ad judicandum apti eſſemus. Si nihil judicavimus, ergo nec præjudicia hauſimus.

III. Duo poſtrema corollaria erant: 1. Qui fit, quòd in eo omnes errore verſentur, ut plus materiæ ſeu ſubſtantiæ corporeæ in vaſe eſſe putent, cum plumbo vel auro, vel glacie, vel alio graviſſimo & duriſſimo corpore plenum eſt, quàm cùm aëra tantùm continet vacuumque exiſtimatur? Reſponſio una petatur ex th. 18. altera

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

altera ex th. 32. Certè partium materiæ quantitas non pendet ab earum gravitate vel duritie, ſed à ſola extenſione, quæ ſemper in eodem vaſe eſt æqualis. 2. At nunquid in vaſe, dum eſt plenum auro, plus eſt materiæ hujus, id eſt aureæ, quàm in eodem eſt materiæ v. g. lapideæ, dum eſt pumice refertum? Reſp. nemo inficiatur, tantùm negatur, plus in illo eſſe poſſe ſubſtantiæ corporeæ in genere conſideratæ.

112. Apponamus tandem verſus, quos D. Cyriacus Lentulus huic diſputationi, quo tempore habebatur, adjiciebat, ut cognoſcamus, an non ipſi potiùs, quippe qui menſibus aliquot pòſt ſtylum, os, calamum in contrarium vertit, mentis illa fluctuatio & inconſtantia judicii conveniat, quàm Renato Carteſio, cui illam paſſim objicit in ſua Nova Sapientia.

*Erigit attentas aures* CLAVBERGIVS, *arte,*
*Relligione, viâ non inferiora reclusâ*
*Herbornæ meritus. movet hic conamen & audet,*
*Quo vulgata ſenum creſcens ætate priorum*
*Dogmata, quo tritos expurget ſentibus agros.*
*Nos, quos more Patrum ſtudium tractare ſenile*

*Vel*

*Vel puerile juvat, moroſis tollere nugis*
*Triſte ſupercilium, Logicæ promiſſa virilis*
*Ardua, judicii ſuſpenſâ lance futuras*
*Expectemus opes. hoc vita fama meretur,*
*Hoc doctrina. Viri, pietas hoc ſuadet & ardor*
*Indolis, ingenio non occurſurus inerti.*

*Dn. Præſidi amoris & honoris ergò ita modulatur*

CYRIACUS LENTULUS à *Lentz, Politices & Antiquitatum Profeſſor ordinarius.*

## CAP. XXXIII.

### *De Præjudiciis Infantiæ Diſſertatio ſecunda, in qua univerſæ Phyſicæ fundamentum ponitur, dum vera ſententia de natura ſeu eſſentia rei corporeæ à præjudiciis vindicatur.*

1. QUamvis aliquammulta errorum, ex infantiæ præjudiciis ortorum, exempla ſuperiori diſſertatione protulerimus, quia tamen nonnulla attigimus potiùs quàm tractavimus, in præſenti diſputatio-

tatione ea reſumemus, quæ ad naturam rei corporeæ universè ſpectatam pertinent. Sequenti verò copioſam errorum, in cognoſcendo & colendo Deo commiſſorum, ſegetem rationis falce ſuccidendam reſervabimus. Cùm enim pro duplici rerum genere duplicia ſint ætatis immaturæ præjudicia, quorum alia ad res intellectuales, alia ad res materiales ſe extendunt, ex illis quidem longè peſſima ſunt quæ idololatriam progenuêre; ex his autem, quæ corporis in genere ſpectati naturam obſcuravêre. Et ſicut illa Theologiam, ſupernaturalem ſcientiam: ita hæc Phyſicam ſeu ſcientiam naturalem planè perverterunt. Etenim Phyſica pro objecto habet ſubſtantiam materialem ſeu corpoream hujuſque eſſentiæ explicatio primum illius fundamentum eſt, quàm ſi à pravis hominum præjudiciis liberaverimus, ſcientiarum ampliſſimæ pulcherrimæque ſacrarium recentioribus naturæ myſtis reſerâſſe videbimur.

2. Multa ſunt quæ rebus naturalibus ineſſe aut ratio judicat, aut ſenſus indicat, aut credunt Philoſophi. Nam primò in iis agnoſcitur *extenſio* in longum, latum & profundum, *figura* quæ ex terminatione extenſionis illius exſurgit, *ſitus* quem diverſa figurata inter ſe habent, & *motus* ſeu mutatio iſtius ſitus: ad quæ facilè referuntur partium

extra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

xtra partes poſitio, diviſibilitas, continuis, quantitas & magnitudo; raritas item denſitas, poroſitas & ſoliditas; locus diantia & ſimilia. Deinde percipiuntur in ubſtantiis corporeis variæ *qualitates ſenſiiles* (quæ an fortè etiam ad priùs enarrata educi debeant jam non diſquiro) ut lumen colores, ſoni, ſapores, odores, calor & rigus, gravitas & levitas, durities & mollities aliæque tactiles qualitates. Denique hiloſophi ſuperioribus addunt *qualitates occultas* eaſque unà cum ſenſibilibus ſeu manifeſtis plerumque à *forma ſubſtantiali*, quam cuique rei naturali tribuunt, originem habere decernunt.

3. Iam quæritur, in quonam ex iſtis omnibus formalis corporeïtatis ratio conſiſtat, quodnam ſit internum illud principium per quod ſubſtantia verè eſt ac dicitur corporea ſeu materialis, quo poſito ipſa ponitur, ablato ipſa tollitur, variato ipſa variatur, hoc eſt, quænam ſit poſitiva atque abſoluta corporis *eſſentia* ſeu natura. Et quæritur hoc non de aëre, terrâ, auro, lapide aliave re corporea in ſpecie, ſed de *corpore generaliter* atque universè: ſive parvum illud ſit ſive magnum, ſive terreſtre, ſive cœleſte, ſeu finitum ſeu indefinitum, nihil intereſt.

4. Facilè autem liquet fruſtra eum fore, qui pro eſſentia corpori *formam ſubſtan-*

*tialem*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*tialem* hoc loco voluerit aſſignare. Nam illa forma, qualiſcunque tandem eſſe putetur, aut materialis, aut immaterialis ſit neceſſe eſt. Si eſt immaterialis, non poteſt rem materialem, quà talem, internè conſtituere. Si materialis, remanet quæſtio, in quo conſiſtat rei materialis eſſentia, cui quæſtioni formæ ſubſtantialis nomine ac notione nunquam ſatisfiet. Præterea ſi formæ nomine illud veniat, cujus beneficio corpus unum ab alio diſtinguitur, ea quoque prorſus aliena erit à præſenti inſtituto. Neque enim de eo nunc laboratur, quo corpora inter ſe differunt, verùm de illo, quo corpora omnia unum ſunt, ſive, quo inter ſe ita conveniunt, ut differant ab omni eo quod eſt immateriale. Poſtremò ſi non ſubſtantialis, ſed *accidentalis forma* intelligatur, perſpicuum eſt, eam pro rei ſubſiſtentis eſſentia ſumi haudquaquam poſſe. Sed quid de formis accidentalibus ſeu accidentibus & qualitatibus corporis ſtatuendum ſit, ſpeciatim nunc videamus.

5. *Occultas* quidem *qualitates* nemo ad eſſentiam corporis conſtituendam facere dixerit, qui eas pro certis agendi potentiis ac proprietatibus ſubſtantiam ipſam conſequentibus haberi noverit. Sed velim hîc diligenter annotari, quid in quæſtione verſetur, quam orſi ſumus, nempe hoc unum quæritur, in quo nos poſſimus ac debeamus

judi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

judicare, naturam ſive eſſentiam corporis conſiſtere. Quare, cùm Philoſophi hæc debeat eſſe perpetua regula, ut nihil judicet unquam, niſi de re clarè diſtinctéque percepta, vitio nobis verti nequit, quòd qualitates illas, quas ipſimet earum aſſertores naturâ ſuâ occultas ajunt, hac vice deſeramus. Neque erit cur offendantur, ſi eadem de cauſa ſubſtantiales quoque formas (quas ſimili ratione incognitas perhibent) ipſis relinquamus. Adde quòd explicatio naturæ corporeæ primum ſit Phyſicæ principium, & quòd principii hæc ſit prima conditio, ut quàm maximè clarum ſit & evidens, cùm ex principio non evidenti concluſio deduci evidens poſſit nulla.

6. Vt igitur ab obſcuris & occultis ad eas qualitates progrediamur quæ *manifeſtæ ſenſibileſque* appellantur, duo nobis præjudicia evertenda veniunt, generale unum, ſpeciale alterum. Generale eſt, quòd ab ineunte ætate cuncti exiſtimavimus, corpus omne debere eſſe ſenſibile, ita quidem, ut ubi nihil eſſet, quod ſenſus noſtros afficeret, nullum etiam corpus eſſe putaremus. Ex quo proficiſcitur, ut multi etiam ex adultis & doctis credant, ad corporis naturam omnino pertinere, quòd ſit res ſenſibilis neque illud aliter definiri oportere. Speciale eſt, quòd præcipuè duritiem & gravitatem ad corpus

quà

quâ corpus requiri, infantes arbitrati fuimus. Vnde etiamnum matura ætate plerique omnes opinamur, plus eſſe corporeïtatis in ſaxis & metallis, quàm in aqua aut aëre, & generatim ubicunque plus duritiei ac ponderis experimur, plus etiam corporeæ ſubſtantiæ reperiri judicamus.

7. Iam verò, ut præjudicia illa deponamus, conſideremus imprimis tantum abeſſe, ut corpus omne ſit ſenſibile, ut ne quidem ullum exiſtat, quin ſit planè inſenſibile, ſi tantùm in partes nervorum noſtrorum particulis multò minores & ſingulas ſeorſim ſatis celeriter agitatas diviſum fuerit. Nihil quippe ſenſum efficere in nobis poteſt, quin moveat nervos membrorum noſtrorum: at nervi non ſunt minutiſſimi, ſed funiculorum inſtar ex multis particulis ſe minoribus conflati, nec proinde à minutis admodum corporibus moveri poſſunt. Ergo valde minuta corpora non ſunt ſenſibilia. Quis tamen corpora ea eſſe neget? Si demonſtrationem iſtam non capis, eandem veritatem experimento diſces, ſi exempli gratiâ, filum ſericum album, rubrum aliove colore tinctum in quotcunque potes filamenta dividas: ſic enim non erit ullus color amplius in iis conſpicuus. Quod autem hîc de colore advertis, ſimili pacto ad alias ſenſibiles qualitates accommodabis.

8. Et

8. Et quotidiana experientia docet, non modò rem coloratam colorem poſſe perdere, ſed etiam odoratam odore poſſe deſtitui, ſapidam ſapore poſſe privari, atque ita de cæteris, adeoque corpus poſſe retinere omnem ſuam corporis naturam, quamvis non ſit ad ſenſum molle, nec durum, nec frigidum, nec calidum, nec denique habeat ullam ſenſibilem qualitatem. Et quantum in ſpecie ad duritiem attinet, nihil de duris corporibus ſenſus nobis indicat, quàm quòd reſiſtant tactui, ſicut è contrario molle cedit tactui, unde Germanis weich à weichen / cedere, appellatum. Iam ſi manus vel aliud ex membris noſtris verſus aliquam partem moveretur, & corpora interim omnia ibi exiſtentia recederent eadem celeritate, quâ manus noſtra accedit, duritiem certè nullam ſentiremus. Sed an ideo corpora ſic recedentia naturam corporis amiſiſſe cogitare liceret? Et quid eſt manifeſtius, quàm rem mollem poſſe indurari, duram emolliri, non amiſsâ nec propter hoc, nec propter illud corporis eſſentiâ? Si molle illud eſt quod facilè cedit tactui, quid mollius aëre? At includatur veſicæ, durus erit, reſiſtet enim tactui. Frumentum durum eſt, conteratur in farinam, erit molle. Farina compingatur in ſaccum, erit durior, diſpergatur poſtea per aërem, erit molliſſima.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

9. At ponamus ſemel, corpus omne eſſe ſenſibile, nec poſſe ſenſibiles omnes qualitates ſimul à corpore tolli, quamvis hæc aut illa auferatur, natura ejus integra remanente, an inde efficietur, corporis eſſentiam in ſenſibilitate conſiſtere? Nullo modo. Nam quid aliud eſt ſenſibilitas quàm externa corporis ſenſibilis ab habitudine ad ſenſus humanos petita denominatio? Quid autem reſpectus ille ad poſitivám atque abſolutam, quam ſolam quærimus, corporis eſſentiam? Quaſi verò corpus eſſe nullum poſſet, niſi homo, niſi ſenſus eſſent.

10. Poſtquam ita cognovimus, nullum ſenſibile, quatenus tale, ut corpus verè ſit corpus efficere, examinemus porrò, an quid intellectu clarè ac diſtinctè queat percipi, quod corporis eſſentiam conſtituat atque abſolvat. Certè quæ ſecunda theſi in primo ordine recenſuimus clara ſunt ac manifeſta omnia nihilque amplius inquirendum reſtat, quàm quid ex illis primum ſit & potiſſimum & quaſi radix cæterorum.

11. *Situs* autem adeoque locus, diſtantia & *motus* figuram præſupponunt, ut communiter agnoſcunt Philoſophi. Ad figuram verò pertinent raritas ac denſitas, poroſitas ac ſoliditas. Nam ut ratione exterioris figurationis corpori tribuitur lævitas vel aſperitas: ita ratione interioris

ſche-

ſchematiſmi & configurationis partium poroſum dicitur aut ſine poris, hoc eſt, ſolidum. Porrò raritas ac denſitas non niſi in pororum dilatatione & imminutione vel totali ſublatione conſiſtunt, ut poſtea uberiùs explanabitur. Quapropter hæc & ſimilia ad figuram pertinent.

12. *Figura* verò ipſa extenſionem præſupponit, ex cujus terminatione reſultat, & ſi extenſum interminatum cogitemus, nullam ejus figuram agnoſcemus. Concipere enim poſſumus figuram omnem auferri ab aliquo corpore, nempe ſublato illius & contiguorum motu (ſic enim nulli relinquuntur extenſionis termini adeoque nec figuræ) vel etiam ab omni corpore, ſuppoſita unà cum univerſali quiete interminata mundi extenſione, de qua ſuo loco agemus. Sicque duplici argumento diſcimus, in figura non conſiſtere eſſentiam corporis, tum quia tolli ab eo poteſt, tum quia, ut ut tolli non poſſet, extenſionem præſupponit.

13. Ad extenſionem referebamus partium extra partes poſitionem, continuitatem, diviſibilitatem, quantitatem, magnitudinem: nunc penitiùs inſpiciamus, quidnam ex his primum ſit in conceptu noſtro, quid in corpore intimum, quid denique maximè poſitivum atque abſolutum. Illud



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

enim ſolùm meritiſſimo jure eſſentiam corporis vocabimus.

14. Equidem ſi quis tria iſta, extenſionem, quantitatem, magnitudinem pro re eadem velit ſumere, neque aliud hoc vocabulo, aliud illis deſignari pertendat, nolim cum eo contentionis ſerram diu reciprocare. Attamen ſi lubeat rem penſiculare ſubtiliùs, non videtur omnino negari poſſe, extenſum eſſe quid in corpore magis abſolutum, quantum verò & magnum magis eſſe reſpectiva, quandoquidem ut quantum ad tantum, ita magnum ad parvum referatur. Neque ipſa quantitatis appellatio aliud menti exhibet, quàm certam determinationem & menſuram extenſionis. Hoc enim ſibi vult quæſtio, quâ rogamus, quantum eſt? Ideoque prior eſt & potior extenſionis quàm quantitatis conceptus. Quod multò magis de magnitudine etiam dabunt Philoſophi, qui eam ſpeciem quantitatis faciunt.

15. Porrò diviſibilitas præœrequirit extenſionem eſtque corpus diviſibile quia extenſum, non verò extenſum, quia diviſibile. Diviſionis quoque conceptus negativus, extenſionis non item. Quòd verò partes habeat corpus, quarum una ſit extra aliam poſita, nec una poſſit penetrare alteram, ſed cùm ea per extremitates ſuas juncta con-

tinuum

tinuum faciat &c. totum illud in relatione poſitum eſt atque inſuper diviſionis ac terminationis conceptum, utrumque negativum, præſupponit.

16. Quid ergo remanet præ cæteris poſitivi atque abſoluti? *Extenſio*: extenſio eſt quæ eſſentiam corporis conſtituit, quæ ſola à corpore divelli nequit. Quamvis enim in extenſione habitudinem partium ad invicem facilè comprehendamus, poſſumus tamen extenſionem optimè concipere, etſi de illa habitudine nequaquam cogitemus & poſſumus concipere corpus indefinitum atque interminatum, in quo nihil præter extenſionem conſideretur. Extenſio igitur eſſentia corporis eſt.

17. Qualis verò extenſio? In longum, latum & profundum, quam ex fluxu ſuperficiei provenire cogitat Geometra. Neque alia extenſio ſub cogitationem humanam cadit præter eam quæ in longitudine latitudine & profunditate conſiſtit, tametſi nunc unam ex iſtis dimenſionibus ſolam, nunc duas, nunc omnes pariter attendamus. Tandem extenſionem intelligimus, à qua diviſibilitas, figura, ſitus & alia dependent, ad quam reducuntur omnia quæ ſunt in corpore.

18. Sed adhuc videtur hominibus conceptus ille corporis nimis eſſe Mathematicus,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

cus, nimis abſtractus, vellent Phyſicum quid magisque reale & ſubſtantiale. Ecquid verò deſiderant, quid petunt ampliùs? An durum quid & palpabile & ponderoſum? Nempe aſſiduè recurrunt conſuetæ opiniones tantamque à teneris annis nobiscum familiaritatem contraxêre, ut ipſi cedere veritati recuſent. At rejectæ jam ſunt, refutatæ ſunt. Quid ergo reſtat niſi ut manus dent adverſarii, & extenſionem pro vera corporis eſſentia agnoſcant? Putantnè, ſicut vulpes eluſa à ciconia, ſe lambere vas vitreum, pultem non attingere? Habent pultem, quâ ſaturari poſſunt ac debent, refrenent aliquando cupiditates immodicas, quod appetant reliquum eſt nihil, omnia enumeravi, omnia ordine perluſtravi, inveni tandem extenſionem, eam realem, ſubſtantialem, denique eſſentiam corporis eſſe contendo. An tenue nimis aut reale minus illis eſt, quod divinus Moſes in creationis hiſtoriâ *Extenſi* ſeu *Expanſi* nomine deſcribit? Atqui ego quidem illud ut potentiſſimi Creatoris ampliſſimum opus admirabar & aptiſſimè ſic definiri arbitrabar. Sol, terra, luna, ſtellæ cæteræ ſua acceperunt nomina, magnitudinem verò tantam non accepêre, ut cum immenſa cœlorum machina comparari poſſent. Hanc itaque (quippe quod præcipuo jure mereatur) extenſi ſeu expanſi, id eſt, univerſali cor-

corporis nomine ac notione ſacræ paginæ denotare voluerunt.

19. Sed uſque oggeritur, aliud eſſe *corpus Phyſicum*, id eſt de categoria ſubſtantiæ, aliud *mathematicum*, quod eſt de categoria quantitatis, meque fucum facere, hoc pro illo obtrudendo. Ecce novum præjudicium! ad quod tamen non tam cœco judicandi impetu ſponte prolapſi, quàm à præceptoribus pueritiæ noſtræ adducti fuimus. Nimirum ſimul ac primis Lycei ſacris initiati ſumus, decem eſſe rerum claſſes audivimus, ex illis ſubſtantiæ primam, quantitatis eſſe ſecundam, duo illa diſtincta eſſe rerum genera, extenſionem corpori convenire non ratione ſubſtantiæ ſuæ, ſed ratione quantitatis &c. Sic docebant præceptores noſtri neque minùs ſæpe illud accinebant: diſcentem oportet credere.

20. Nunc verò poſteaquam non quidem ex diſcentium, ſed tamen ex eorum numero, quos oportet credere, eſſe deſivimus, proprio uti judicio licere nobis exiſtimamus. Quæro igitur ab illis & percunctor, quid per ſubſtantiam intelligant, dum illam à quantitate & extenſione diſtinguunt? Ecquænam iſta eſt ſubſtantia, à qua extenſionem cogitatione divulſerunt? An corporea? Nihil minus: quid enim in ea concipi

poteſt quod corpus redoleat? Motus abeſt, figura, ſitus, locus, magnitudo, ablata ſunt raritas, denſitas, longitudo, latitudo, profunditas, denique omnia deſunt quæ à Deo materiali ſubſtantiæ fuerunt attributa quæque voluit Conditor optimus percipi ab homine, ſapientiæ ſuæ ſpectatore. Reſpondeant jam illi, quid concipiant? Profectò id vel nihil omnino eſt, vel ſi aliquid eſt, præter confuſum ſubſtantiæ incorporeæ conceptum (quem falſiſſimè tum corporeæ tribuunt) nihil eſſe poteſt. Dicam quod res eſt: habent verum ſubſtantiæ corporeæ conceptum, quo extenſionem apprehendunt, ſed eam deſerunt tanquam ignobile accidens (nam qualitates multoque magis formas ſubſtantiales quantitati præferunt) pulchrius aliud & ſolidius & eſſentiale magis (quod revera tamen ſubeſt nullum) expetentes, ſimiles cani Æſopico, qui carnem ore ferebat; ſed umbram captans non modò nihil novi acquiſivit, verum etiam illud quod habebat perdidit.

21. Verum enimverò, nondum id effecimus ut quieſcant adverſarii, quin potiùs à categoriis, tanquam è veſtibulo Philoſophiæ ſuæ depulſi ad naturalis ſcientiæ caſtra ſe recipiunt, ut Phyſicæ noſtræ fundamentum evertant, è Phyſica petitis armis pugnaturi. Obtendunt igitur *rarefactionis*

&

& *condenſationis* experimenta. Si ſubſtantiæ materialis, inquiunt, eſſentia in extenſione conſiſteret, qui fieri poſſet, ut corpus aliquod absque novæ materiæ appoſitione plus extenſionis acquireret? At cernimus, verbi causâ, aquam reſolvi in vaporem, augetur extenſio, novæ ſubſtantiæ nehilum quidem accedit. Iterum vapor in aquam cogitur, extenſio minuitur, ſubſtantiæ tamen ipſi nihil materiæ detrahitur. Variatur igitur & mutatur extenſio, ſubſtantia manet eadem, neque proinde ſubſtantia eſt extenſio. Laudo conatum, quo φυσικώτερα nonnulla aperiendi occaſio nobis datur.

22. Principio repetendum memoriaque ſemper tenendum eſt quod ſuprà monebamus, Philoſophi non eſſe de rebus naturali lumine cognoſcendis quicquam pronunciare, niſi quod clarè priùs diſtinctèque perceperit. Atqui nihil in rarefactione & condenſatione aliud contingere percipimus, quàm figuræ mutationem, ita ſcilicet, ut rara corpora illa ſint, inter quorum partes multa intervalla exiſtunt corporibus aliis repleta, & per hoc tantùm denſiora reddantur, quod ipſorum partes ad invicem accedentes intervalla iſta imminuant vel planè tollant: quod ultimum ſi aliquando contingat, tunc corpus tam denſum evadit, ut



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

repugnet ipſum denſius reddi poſſe. Atqui non ideo minùs tunc extenſum eſt, quàm cùm partes habens à ſe mutuò diſſitas, majus ſpatium amplectitur: quia quicquid extenſionis in poris ſive intervallis à partibus ejus relictis, continetur, nullo modo ipſi tribui debet, ſed aliis quibusvis corporibus, à quibus intervalla iſta replentur. Vt cùm videmus *ſpongiam* aquâ vel alio liquore turgentem, non putamus ipſam ſecundùm ſingulas ſuas partes magis extenſam, quàm dum compreſſa eſt & ſicca; ſed tantummodò poros habere magis patentes, atque ideo per majus ſpatium eſſe diffuſam.

23. Quid verò cauſæ ſit, cur de hoc ſpongiæ experimento rectè ab ineunte ætate judicaverimus, de reliquis autem plerisque rarefactionum exemplis præjudicia foveamus erronea, facile eſt intelligere ex iis quæ ſuperiori diſputatione propoſuimus. Nempe in ſpongia videbamus poros, videbamus eos ampliores reddi, videbamus novum corpus ad illos replendos accedere, quæ tria cùm in cæteris non ita obſervaremus, ideo nec eſſe credebamus. Adeo ſenſibus eramus mancipati, ut ab illorum ſolo teſtimonio ajentia pariter & negantia argumenta confidentiſſimè duceremus: Video tale, tantum. Ergo eſt tale, tantum. Non video, ergo non eſt &c.

24. Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

24. Sed pudeat viros, ſupra vulgus ſapere cupientes, adeo etiamnum præjudiciis infantiæ ſuæ adhærere, ut iisdem quibus oculi corporis rationis oculum anguſtiis terminari opinentur. Conſiderent, ſi placet rarefactionem & condenſationem ſe perfacile modo explicato, non autem ullo alio fieri poſſe percipere.

25. Conſiderent etiam, non tam eſſe rationi conſentaneum, aliquid non intelligibile effingere ad corporum rarefactionem verbotenus explicandam, quàm ex hoc quod rarefiunt concludere, in iis eſſe poros ſeu intervalla quæ ampliora fiant novumque corpus accedere quod ipſa impleat, etſi hoc ſenſu non percipiamus, ut nec ſenſu deprehendimus quid quantumque creſcenti arbori ſingulis horis adjiciatur, cui tamen continuò aliquid adjungi, quo major reddatur, dubitare nequimus.

26. Conſiderent denique quantò meliùs ſit, ad exemplum eorum quæ in magnis corporibus accidere ſenſu percipimus, judicare de iis quæ accidunt in minutis corpuſculis, ob ſolam ſuam parvitatem ſenſum fugientibus, quàm ad hæc explicanda nova quædam, nullam cum iis quæ ſentiuntur ſimilitudinem habentia, excogitare.

27. Quò autem diligentiùs advertant



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

quid in rarefactione majorum corporum contingat atque inde paulatim de minoribus judicare aſſueſcant, age jam in medium experimenta quædam obvia & facilia producamus, ut ſi qui ſenſibus nimium confiſi nondum rationem audire velint, ipſis etiam ſenſibus quodammodo redarguantur.

28. *Panis* bis coctus, qui eſt magis compactus reliquo pane, vino aut lacti intritus quantopere per horum corporum in poros ſuos admiſſionem dilatetur nemo non potuit deprehendere quàm ſæpiſſimè. Nec tamen qui attendet majorem hîc ipſi pani extenſionem tribuet, ſed potiùs ex pane cum humido corpore, quod in poris latet, compoſito tertium quid ortum eſſe judicabit, cujus extenſio major ſit, quàm panis erat ab illo humido liberi. Quod autem hoc majus extenſum, ex pane & lacte compoſitum, panis ferè nomen retinet, id neminem movere poteſt, niſi qui ſermonis uſum à rei veritate diſtinguendum eſſe inficias iverit.

29. *Lignum*, pane licèt durius ſit, ſimili tamen modo cum aqua vel aëre vaporibus aquæ pleno, qui in poros ejus ſe inſinuans partes ejus diſtendit, majus quoddam extenſum componit; unde valvæ in aëre humido interdum aperiri & claudi non poſſunt,

&

& doliorum aſſeres, quibus exſiccatis dolia rimoſa evaſerant, aquæ immerſi dilatantur.

30. Duriſſimum *ferrum* eſt, ignis autem minimè, & tamen ab hoc illius pori adeo augentur, ut partibus à ſe invicem recedentibus ipſum non modò ductile fiat, ſed etiam in majorem locum protendatur. Accipe enim ferrum oblongum eique bacillum ligneum adæqua quàm potes accuratiſſimè; tum ferrum in validum ignem conjice, ut totum incandeſcat: denique forcipe exemtum ligneo illi bacillo viciſſim applica: videbis notabili ratione ferrum excreviſſe & bacillo longius evaſiſſe ſenſu ipſo deprehendes. Si jam idem ferrum frigefieri patiaris, redibit ad priſtinam quantitatem. Quodque de longitudine hîc obſervaſti, in latitudine quoque & profunditate poteris, par enim hâc in parte dimenſionum omnium eſt ratio. Et nota, quamvis ferrum jam longius evaſiſſe, jam ad priſtinam quantitatem rediiſſe vulgari loquendi conſuetudine dicamus, non tamen intelligi revera quicquam illi magnitudinis vel acceſſiſſe vel deceſſiſſe.

31. Quantum ad *vapores* attinet, quorum exemplo nitebatur objectio, in illis non percipitur major extenſio majorve quantitas, quàm fuerat aquæ non reſolutæ, cùm



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

nihil aliud hîc fiat, quàm partium aquæ propiùs antè conjunctarum ſolutio, diviſio, remotio, quod ipſum reſolutionis vocabulum apertè indicat. Adſpice vapores ex aqua ad ignem calefacta adſcendentes aut fumos è pice vel ligno accenſo ortos: procul remotus continua vel contigua corpora exiſtimabis, at propiùs accedens diligentiuſque intuens vix ullam in iis continuitatem vel contiguitatem notabis. Nempe vapores, fumi, nebulæ, nubes, denique exhalationes omnes nihil aliud ſunt quàm innumerorum certi alicujus generis corpuſculorum congeries, multis heterogeneis corporibus intercurrentibus atque illa à ſe mutuò ſeparantibus.

32. Quamobrem per hæc & ſimilia exempla non magis probatur, majorem eſſe corporis rarefacti quàm ejuſdem condenſati propriam extenſionem, quàm ex eo quòd rete, quod prius erat convolutum, nunc in aqua ſit expanſum, probatur majorem illud extenſionem acquiſiviſſe: quod erat demonſtrandum.

33. Firmiter igitur ſtatuatur, planè fieri non poſſe, ut aliquid novâ quantitate vel novâ extenſione augeatur, quin ſimul etiam nova ſubſtantia extenſa, hoc eſt, novum corpus ei accedat, neque fieri poſſe, ut vel minimum quid ex quantitate aut extenſio-

ne

ne tollatur, quin tantundem etiam de ſubſtantia detrahatur.

34. Vtque omnis de poſſibili extenſionis mutatione non mutata ſubſtantia dubitandi occaſio præcidatur, notandum eſt, quòd *extenſio duobus modis ſpectari* poſſit: 1. ut conſtituens naturam ſubſtantiæ corporeæ, tuncque non aliter concipi debet quàm ipſa ſubſtantia extenſa. 2. ut modus ſubſtantiæ, quatenus ſcilicet unum & idem corpus v.g. cera, retinendo ſuam eandem quantitatem ſubſtantialemque extenſionem, pluribus diverſis modis poteſt extendi, nunc ſcilicet magis ſecundùm longitudinem minuſque ſecundùm latitudinem vel profunditatem, nunc è contrario magis ſecundùm latitudinem minuſque ſecundùm longitudinem &c.

35. Everſis hunc ad modum de rarefactione & condenſatione præjudiciis, alia ſuccedunt, difficultates haut minores in agnoſcenda eſſentia corporis parientia. Tale eſt conſueta hominum de *ſpatio*, ſeu vero ſeu imaginario, cogitatio atque oratio, quæ contra noſtram de extenſione doctrinam hujuſmodi inſurgit argumento: ubicunque nihil aliud eſſe intelligitur quàm extenſio in longum, latum & profundum, non corpus, ſed ſpatium concipitur, adeoque poſitâ extenſione ſolum ponitur ſpatium. Atqui

ſpatium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ſpatium non eſt corpus, (ſecus enim corpus in ſpatio eſſe, ſpatio contineri *&c.* dici non poſſet ; ) ſed vel res à corpore diverſa eſt, vel potiùs (ut plerorumque eſt opinio) merum nihil eſt, fictum planè & imaginarium. Si ergo non-corpori, ſi mero rationis enti, imò non enti extenſio tribuitur, non poterit ea pro genuina corporeæ rei eſſentia venditari.

36. Quaſi verò Phylax meus non eſſet verus canis eò quòd naturam canis per fictionem intellectus cerbero poëtæ tribuunt. Ita reſponderet fortaſſis aliquis vulgaris Philoſophiæ conſultus. Nos, ut metam præſtitutam aſſequamur, in alia omnia abeuntes, negamus, ullum ſpatium concipi poſſe, niſi reale & verum & corpore plenum, dicimuſque non magis fictum vel imaginarium eſſe ſpatium, quàm eſt corpus ipſum; imò ſpatium & corpus idem eſſe.

37. Quod ut manifeſtum evadat, *inter realia entia & rationis figmenta quid interſit* videamus. Nimirum conceptus illi qui non continent veras & immutabiles rerum naturas, ſed fictitias duntaxat & ab intellectu compoſitas, ab eodem intellectu non per abſtractionem tantùm, ſed per claram ac diſtinctam operationem dividi poſſunt, adeo ut illa quæ intellectus ſic dividere non poteſt, non debeant judicari ab ipſo eſſe com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

compoſita. Vt, exempli causâ, cùm cogito equum alatum vel montem aureum, facilè intelligo, me etiam ex adverſo poſſe cogitare equum non alatum, montem non aureum, nec proinde illa veras & immutabiles naturas obtinere. Si verò de ſpatio cogitem, attendendo ad id quod cogito, non poſſum non intelligere illud eſſe extenſum, & omnino oppoſitum in appoſito ſtatuam, ſi illud non extenſum cogitavero. Ac proinde extenſio non per figmentum intellectus ſpatio tribuitur, ſed vera illius eſt & immutabilis natura, eademque prorſus eſt natura corporis, veluti abundè eſt oſtenſum. Sed homines ob perpetuam circa ea quæ non ſunt mentis agitationem adeò ſunt figmentis aſſueti, ut non raro etiam ea figmentis ſuis accenſeant quæ vera ſunt & realia, ſicut illi qui crebrò ſomniare ſolent, interdum etiam quod vigilantes cogitant ſomnium eſſe ſibi perſuadent.

38. An ergo nulla planè *inter ſpatium & corpus eſt differentia?* In re certè nulla, ſed *in modo tantùm concipiendi*. Nam extenſionem ſpatii conſideramus, ut communem & genericam, extenſionem verò corporis, quod in ſpatio eſſe dicimus, ſpectamus ut ſingularem & individuam: v.g. Sublato lapide è ſpatio vel loco in quo eſt, putamus etiam ejus extenſionem eſſe ſublatam, ut-

pote

pote quam ut ſingularem & ab ipſo inſeparabilem ſpectamus ; ſed interim extenſionem loci, in quo erat lapis , remanere arbitramur , eandemque eſſe , quamvis jam ille locus lapidis à ligno, vel aëre , vel alio quovis corpore occupetur , quia hîc extenſio conſideratur in genere , cenſeturque eadem eſſe lapidis, ligni , aëris alteriuſve corporis, modò ſit ejuſdem magnitudinis & figuræ ſervetque eundem ſitum inter corpora externa, quæ ſpatium illud determinant.

39. Quare eadem eſt extenſio, quæ naturam corporis & naturam ſpatii conſtituit, nec magis hæc duo à ſe mutuò differunt, quàm natura generis aut ſpeciei differt à natura individui. Et quemadmodum totum dicitur continere partes, & partes omnes unitæ dicuntur eſſe in toto , etſi totum & partes omnes ſimul unitæ, unum planè & idem ſint : ita quamvis ſpatium dicatur continere corpus & corpus eſſe dicatur in ſpatio , non tamen idcirco ſpatium & corpus realiter differre exiſtimabit conſtans veritatis inveſtigator, neque à loquendi uſu, cujus præjudiciorum tenebris obſeptum vulgus Author & magiſter eſt, imponi ſibi patietur.

40. Cæterùm , ſi diverſo philoſophandi modo aſſueti hactenus propoſita voluerint examinare , & quæ ex iis conſequuntur indaga-

dagare, facilè opponent nobis, miras & novas è ſententia noſtra conſequentias fluere. Nam ſi res ita ſe habet, ut ſpatium & corpus & extenſio ſint idem, ſi quodcunque poteſt concipi ſpatium reale eſt & verum & corpore plenum, conficietur inde I. *planè repugnare, dari Vacuum* ſeu ſpatium ſine corpore, cùm tamen Philoſophi ad hunc uſque diem ſat egiſſe ſe putaverint, quòd oſtenderint, naturam in mundo vacuum non admittere, qui verò eò uſque proceſſerit ut Vacuum, ubi ubi ſtatuatur, contradictionem dixerit implicare, repertus quod ſciam fuit nemo.

41. II. Colligetur inde, *in Mundo* ſive in hac ſubſtantiæ corporeæ univerſitate *nullos extenſionis fines* poſſe à nobis agnoſci, quoniam ultra quoslibet aſſignatos fines ſemper ſpatia occurrunt extenſa adeoque corpore plena; cùm tamen Philoſophi de terminis & figura mundi deque ſpatiis extra mundi fines imaginariis diſſerere conſueverint.

42. III. Concludetur, univerſum continuò extenſum non niſi unum cogitari poſſe adeoq; *plures eſſe mundos* itidem *contradictionem implicare*. Nam ſubſtantiam extenſam & corpoream omnia omnino ſpatia imaginabilia, in quibus plures illi mundi fingi poſſent, jam occupare clarè ex antè

dictis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

dictis intelligimus. Neque poſſunt plura cogitari extenſa à ſe invicem ſeparata, niſi inter ea concipiatur ſpatium inter medium quo diſtent. Atqui ſpatium, uti dictum, eſt extenſio, & diſtantia eſt modus extenſionis, cui modo prorſus adverſatur extra ſubjectum quod extenſum ſit reperiri, ſicut ipſi extenſioni repugnat eſſe in non-corpore, cùm ſit eſſentia corporis.

43. Hæc verò de impoſſibili Mundorum multitudine ſententia nondum audita ſuit in Scholis Philoſophicis. Quin imò ſapientiores, Ariſtotelicarum rationum imbecillitatem agnoſcentes neque alias in naturæ libro ſcriptas invenientes, ſemper exiſtimârunt, Mundi unitatem non niſi ex Sacro codice demonſtrari poſſe, Deoque & eſſe & fuiſſe poſſibile, plures uno Mundos condere, cùm tamen ea quæ contradictionem involvunt neutiquam divinæ omnipotentiæ objectis annumerentur.

44. Quid ego ad iſta omnia? Agnoſco illas conſequentias adeo neceſſarias, adeo evidentes, ut vix ullam Mathematicam demonſtrationem certiorem dari poſſe confidam. Quod equidem, niſi nimis excreſceret præſens diſputatio, pleniùs planiuſque exponere eſſet in proclivi. Sed nec valde opus eſſe judico, cùm attendenti cuncta iſta ſint perſpicua, iis verò qui attendere ac medi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

meditari aut non poſſunt aut non volunt, nihil unquam ſatis fieri poteſt.

45. Vnum dico, non eſſe cur ullo modo ſuccenſeant nobis Philoſophi, quòd ea vel ex uno Phyſicæ noſtræ principio luculenter adeo videant eſſe demonſtrata, quæ ipſi per ſua principia, ut ut omnes eorum copias explicarent, demonſtrare ſatis nondum valuêre.

46. Deinde conſiderandum iis propono, ſatiſne ſibi conſtent, ſatis de Deo magnificè, ſatis de ſemetipſis demiſsè ſentiant, quando ex una parte de mundi termino ac figura definiunt, & fines eorum quæ Deus creavit, ſuo quidem judicio, egredientes, quaſi jam univerſa animo complexi, infinitum vacuum, in quo plures mundi collocari poſſint, ſibi repræſentant. Ex altera verò parte eſſentias & formas rerum homini incognitas aſſeverant. Videant autem ibi, ne ſuperbæ forſitan arrogantiæ inſimulentur, quando limitatam valde intellectus ſui potentiam ad plura & majora extendere volunt, quàm ſuam extendere voluit omnipotentiam Creator maximus. Caveant etiam hîc, nec demiſſos præ ſe animos ferentes optimi Conditoris bonitati detractum eant, quaſi ille formas & quod pulcherrimum in rebus eſt abſconderit, ſola accidentia & umbras rerum locarit in propatulo.

47. Re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

47. Retorquebunt illi, nos multò magis divinæ infinitati derogare, Mundum faciendo infinitum in ſecundo noſtro conſectario, atque in tertio Dei omnipotentiæ limites ponere, quaſi illa ſit unius Mundi creatione ſic exhauſta, ut plures non valeat efficere.

48. Quantum ad prius attinet, obſervent boni viri, nos ſi mundum infinitum diceremus extenſione ſola, non ideo Deum facere, quem ſolum perfectione novimus infinitum. Sed nego aliud è ſententia noſtra ſequi, quàm Mundum eſſe indefinitum. Deum abſolutè *infinitum* intelligimus, quatenus ad naturam ſummi entis pertinet infinitas, & omni ratione talem prædicamus, intellectu, voluntate, potentiâ, duratione &c. Mundus verò num ulla ratione infinitus ſit nec ne, profitemur nos neſcire, ſcimus tantùm nos in illo ſub aliqua ratione, nimirum quatenus eſt extenſus, finem non invenire atque idcirco reſpectu noſtri dicimus *indefinitum.* Ita quamvis Philoſophi ſibi permiſerint, ut appellationem infiniti aliis etiam rebus impertirentur (ut quando de numero infinito, de linea infinita &c. diſputant,) nos tamen ut de ſupremo Numine quàm poſſumus religioſiſſimè loquamur pariter & ſentiamus, infiniti nomen ipſi ſoli reſervamus.

49. Quan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

49. Quantum ad poſterius, cùm ſciamus intellectum noſtrum eſſe finitum, Dei verò potentiam infinitam, nobis quidem in more poſitum non eſt quicquam de hac determinare conſideramus duntaxat, quid poſſit, à nobis percipi, vel non poſſit, & cavemus diligenter, ne judicium ullum noſtrum à perceptione diſſentiat. Quapropter audacter affirmamus, Deum poſſe id omne, quod poſſibile eſſe percipimus, non autem è contrario audacter negamus illum poſſe id, quod conceptui noſtro repugnat, ſed dicimus tantùm, contradictionem implicare.

50. Supererat unum præjudicium, quod extenſionem rebus incorporeis & intellectualibus attribuit, ſed illud æquè commodè ad proximè ſecuturas theſes referemus. Nunc longâ ſatis diſputatione fatigati Lectores cordatos quantâ poſſumus modeſtiâ precamur, ut ſi ſenſa animi noſtri candidè expromſimus, ſi quid etiam, urbaniuſculè luſimus, id ne accipiant in partem deteriorem.

## *Notæ ad* CAP. XXXIII.

51. Multa ab amico diſputationi huic oppoſita ſunt, quæ cùm in ipſis theſibus accuratè jam eſſent refutata omnia, non putavi aliud reſpondendum eſſe, quàm ut exami-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

examinaret eas attentiùs. Proferam tamen nonnulla, ne depreciare videar amicum dilectum & in humanioribus olim præceptorem.

52. Theſi tertia ſtatus controverſiæ claris adeò verbis deſcriptus erat, ut meo quidem judicio clarioribus non poſſet: & tamen illius negligentiori intuitu talis nata fuit objectio: *quod eſſentiale eſt generi, etiam eſſentiale eſt omnibus ſpeciebus, jam verò ad corporum eſſentiam in ſpecie nihil facit extenſio, ut patet in panno, ligno, homine, leone* &c. *nihil enim minus ad horum eſſentiam pertinet, quàm extenſio, abſurdè enim dicitur pannum eſſe ſuam extenſionem, & ſic de cæteris.* ℞. Quod eſſentiale eſt generi, etiam eſſentiale eſt omnibus ſpeciebus, ac proinde extendi in longum latum & profundum eſſentiale eſt omnibus & ſingulis corporibus. Verum diverſa quæſtio eſt, an extenſio quà extenſio faciat ad illud eſſe ſpeciale cujuſque rei h. e. an pannus à ſola extenſione habeat, quod ſit ac dicatur pannus, lignum propter ſolam & meram extenſionem ſit ac dicatur lignum &c. quod pernegamus. Nam certè ad eſſentiam hominis facit, quòd ſit ſubſtantia, quòd corporeus, quod finitus &c. ſed non ad hominem, quatenus homo eſt. Corpora diſtinguuntur à ſe invicem non extenſione ipſa,

ipſa, ſed variis extenſionis modis, partium figuris, magnitudinibus, raritate, denſitate, motu item & quiete & ſimilibus, unicuique rei, quatenus talis res eſt, conſtituendæ convenientibus, ſimul junctis & comprehenſis. E.G. eadem res extenſa quæ eſt & vocatur *Aqua* quando ab intenſiori frigore ad quietem partium & conſiſtentium eſt redacta, dicitur *Glacies*; quando in particulas magis à ſe invicem ſeparatas ac celeriter motas eſt diviſa à calore, nuncupatur *Vapor* vel *Aër*; quando adhuc celeriùs agitatur, ut ſimul corpus noſtrum aliaque in aëre poſita ſenſibili ratione concutiat, appellatur *Ventus*, *Tempeſtas* &c. Hæ autem formæ, quibus res naturales, quatenus tales ſunt conſtituuntur ac diſtinguuntur, materiæ quidem, ſeu corpori quà corpus eſt, accidentales ſunt; ſed rei cuique naturali, quatenus talis res eſt v.g. lignum, lana, vapor *&c.* ſunt eſſentiales. Sicut certus ac determinatus motus, figura, ſitus, numerus & magnitudo partium ferro quidem accidentalia ſunt, horologio tamen eſſentialia, nam ferrum ſine iis ferrum eſt, at horologium ſine iis nunquam horologium eſt dicendum.

53. Ex jam dictis intelligitur quid ad illa ſit reſpondendum, quæ ampliùs adferuntur: *Porrò, tuâ ſententiâ verâ, omnia*

*eſſent eadem, & omnia eſſent diverſa, accipe enim ſingulorum corporum partes æquales, quarum ſingulæ æqualem; eandemque habebunt extenſionem, adeoque juxta te eandem eſſentiam, ut vas idem continere poteſt nunc vinum, nunc aquam, nunc quidvis aliud, contentum autem in vaſe eodem eandem neceſſariò habet extenſionem. E contra ſume ſingulorum corporum partes inæquales, quæ diverſam etiam habebunt extenſionem, & conſequenter eſſentiam, cujus verò eſſentiæ eſt pars homogenea, ejus & totum. Eſt quoque in ſingulis corporis ſpeciebus ſpecifica eſſentialis differentia, per quam communis omnibus natura contrahitur ad unam illam & ſolam ſpeciem, ſed extenſio in corporis ſpeciebus non differt eſſentialiter, unius ſpeciei ſcilicet ab alterius extenſione, ut ſanè nulla eſt eſſentialis differentia inter extenſionem hominis & leonis. Denique ſingula individua eſſent diverſæ eſſentiæ, quia nulla reperiuntur planè ejuſdem extenſionis.*

54. ℞. 1. Omnia ſunt eadem, ratione naturæ genericæ, quatenus res ſunt extenſæ. Omnia ſunt diverſa, ratione naturæ ſpecificæ atque etiam individualis, quatenus differunt variis extenſionis modis & formis, quemadmodum expoſuimus. 2. Contentum in vaſe eodem habet eandem extenſionem, ſi exten-

ſi extenſionis nomen genericè ſumas & in communi; non habet eandem, ſi attendas varios extenſionis modos, quibus non modò totum in exteriori ſuperficie, ſed omnes etiam illius partes & particulæ determinata ratione conjunguntur ad totum componendum. Ita alius modus & conſtitutio eſt particularum ex quibus vinum componitur, alius earum, ex quibus aqua. Confer capitis præcedentis th. III. & hujus th. 34. 38.

55. Theſi ſeptimæ obducitur: *à negatione actualis ſenſuum perceptionis, ad ipſam ſenſibilitatem non valere conſequentiam, ut homo non ridens, imò lachrymans ridendi facultatem habet. Sint igitur, ut vis, aliqua corpuſcula, quæ præ exigua ſua quantitate non incurrant actu in ſenſus, jungantur ſuo toti, & ſentiri poterunt.* R. 1. agitur hîc de actuali ſenſibilitate, refutatur enim generale illud præjudicium th. 6. propoſitum, corpus omne debere eſſe ſenſibile, *ita quidem, ut ubi nihil ſit quod ſenſus noſtros afficiat, nullum etiam corpus exiſtat.* Nam hoc præjudicium omnino refutatur, ſicubi vel corpuſculum eſſe queat quod ſenſus noſtros non afficiat. 2. Si corpuſcula illa nunquam ſuo toti jungantur, nunquam etiam ſentiri poterunt, neque tamen amittent eſſentiam corporum, quàm diu Deus ea non redegerit in nihilum. 3. utcunque etiam corpus

omne tuo ſenſu foret ſenſibile, non tamen ideo ad naturam corporis pertinebit ſenſibilitas, ex theſi nona.

56. Ad cujus theſeos verba: *quaſi verò*) Nota quòd primis quatuor creationis diebus nulla fuerint animalia adeoque nulli ſenſus. Attamen jam erant corpora ſuaſque eſſentias habebant, erat cœlorum expanſum, terra, mare, ſol *&c.* Et ſi cogitemus, Deum nullos homines, nulla animalia produxiſſe, neque enim contradictionem implicat; ſed hominem eſſe factum meram mentem, nullus etiam fuerit ſenſus, nulla ad ſenſus habitudo ſeu ſenſibilitas.

57. Theſi 17. Perſpicuè ſatis definitum fuerat, qualis extenſio ſubſtantiæ corporeæ pro eſſentia aſſignetur, nempe non *accidentalis*, qualis eſt ſi vita dicatur extendi in multos annos, ſi hora protrahi, ſi intellectus ad plura objecta ſe extendat *&c.* ſed *ſubſtantialis* (agitur enim hîc de eſſentia ſubſtantiæ, ut tota diſputatio docet, qualis eſſentia accidens ullum eſſe nequit, in fine theſ.4.) qualem negavi ullam cogitari poſſe, niſi eam quæ in longitudine, latitudine & profunditate conſiſtit, niſi eam, à qua figura, ſitus & ſimiles affectiones dependent, quales non ſequuntur extenſionem motus & temporis. His ibi clarè licèt dictis, tamen ita fuit contradictum: *in-*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*convenientiſſimum eſſe , extenſionem dicere eſſentiam corporis. Numerus enim motus & tempus* &c. *ſunt extenſa, non tamen corpora.*

58. Theſi 20. oſtenditur, extenſione à corpore ablata, nullam corporis naturam remanere, nullam corporis proprietatem, nihil corporeum. Contra quam ſic inſurgitur : *non certè extenſio per ſe ſubſiſtit , non enim poteſt exiſtere, niſi in aliquo extenſo, ſeparetur enim extenſio panni à panno ipſo, ubi ſubſiſtet ?* R. Perinde eſt ac ſi diceretur , ſeparetur humanitas ab homine, ubi erit? tollatur animalitas ab animali, nuſpiam ſubſiſtet. Non enim poteſt exiſtere humanitas niſi in homine , nec animalitas, niſi in animali. Ergo humanitas non eſt eſſentia hominis , animalitas non eſt eſſentia animalis. Omnes enim nôrunt , ens non poſſe eſſentiâ ſuâ deſtitui , nec eſſentiam reperiri extra ens, quod conſtituit. Vide theſ. 3. At nimis craſsè philoſophatur , qui eſſentiam in ente eſſe putat, ut eſt aqua in vaſe , aut accidens in ſubjecto. Metaphyſicorum loquendi modi obſerventur.

59. Adverſus theſ. 22. allatum fuit : *ſpongiæ exemplum in negotio rarefactionis eſſe inconveniens , ſpongia enim non impleta aquâ , præſertim ſi nova ſit , non habet minorem quantitatem , quàm aquâ plena , ut*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*etiam vas ſine aqua & continens aquam. Certè varia ſunt continentium genera, quid verò hoc ad rarefactionem & condenſationem? Similia ſunt exempla* theſ. 28. 29. ℞. expreſsè ibi ſermo eſt de ſpongia *compreſſa*, quæ ſive nova ſive vetus fuerit, minorem habet quantitatem, ut cum D. opponente loquar, quàm eadem liquore turgens ac perfuſa. Sicut autem in ſpongia, ita in omnibus corporibus raris dicimus eſſe poros, in quibus poris alia corpora continentur, perinde ut aqua in vaſe, cùm hac tantùm differentia, quòd vaſis cavitas ſit grandior, pororum minor & anguſtior, & quòd vaſis v. g. lignei, argentei &c. latera non tam facilè extendi poſſint & contrahi, ut latera pororum in corporibus raris. Etenim ſi corporis rari pori ab aliis corporibus ingredientibus ampliùs extenduntur ac dilatantur, corpus illud fit rarius; ſin ob corpora nonnulla exeuntia contrahuntur magiſque ad ſe invicem accedunt, corpus fit denſius. Ac proinde dici non poteſt, exempla à variis continentium generibus deſumta nihil facere ad rarefactionem & condenſationem. Porrò denſitas à frigore quidem plerumque oritur, ſed non ſemper, aliquando enim etiam à calore, uti apparet in liquefactione glaciei, vi caloris factâ, item in nivis, à calore liqueſcentis, condenſa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

denſatione. Vnde patet quid ad exemplum vulgare *de Glacie* ſit reſpondendum, quod D. Opponens noſter etiam addit: *rarefactioni tuæ*, inquiens, *oppono exemplum aquæ congelatæ, quæ ante congelationem majorem habet quantitatem, quàm poſtquam in glaciem verſa eſt, nec dicere potes in congelatione intervalla iſta tua evacuata eſſe, quia quidvis glaciei jungi & immiſceri poteſt, ut videre eſt in lignis, lapidibus, aliiſque infinitis in media ſæpe glacie hærentibus.*

60. ℞. 1. Falſum eſt, quòd aqua ante congelationem majorem habeat quantitatem, quàm poſt eam. Glacies enim, ſub majori menſura continetur quàm aqua, unde vaſa vitrea & alia ſæpe rumpuntur & diſſiliunt, ſi videlicet liquor in illis contentus in glaciem vertatur. 2. Congelatio adfertur tanquam exemplum condenſationis, cùm ſit exemplum potiùs (ſi velimus accuratè philoſophari) rarefactionis, uti conſtat ex iis quæ de condenſatione à calore profecta nivis ipſiuſque glaciei exemplo jam jam dicebamus; deinde, ex eo quòd per majus ſpatium extendatur glacies, ut modò experientiâ comprobavimus; tertiò ex eo, quòd D. Opponens ipſe fatetur multa & varia corpora glaciei intervallis immiſceri, quod appoſitè quadrat ad omnia,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

quæ nos tota diſſertatione de rarefactione docuimus. 3. Fons & caput erroris eſt, quod denſum confunditur cum craſſo & duro, & rarum cum tenui, quam confuſionem rectiſſimè taxat Clariſſ. D. Deuſingius Compend. Phyſ. pag. 205. *Perperam rarum cum tenui, & denſum cum craſſo confundunt Peripatetici. Hinc perperam ignis rariſſimus, terra denſiſſima dicitur, cùm revera ille ſit denſiſſimus, hæc rariſſima.* Et p. 199. th. 18. *Terra igitur ut craſſiſſimarum partium eſt, ita naturaliter maximè eſt poroſa ac rara: ignis contrà, ut maximè ſubtilis eſt, ita confertiſſimus eſt ac denſiſſimus. Aër proximè conditionem ignis ſequitur, aqua terræ.*

61. Contra theſin 36. & 38. dictum fuit: *Deum tollere poſſe corpus quodvis è ſpatio ſuo & impedire corpus quodvis ne ſpatium tale occupet, item: non impoſſibile eſſe dari vacuum, annihilet enim Deus aquam in vaſe, imò etiam reale tuum ſpatium in vaſe, & impediat alia corpora, ne vas occupent, & tum erit vacuum.* ℞. Cùm D. Opponens ſub finem epiſtolæ ſuæ valdè probet regulam noſtram, *ne quid judicemus quod non clarè prius diſtincteque percipiamus*, ipſe hîc illam evidentiſſimè infringit, quia minimè poteſt percipere, corpus omne ſeu omne extenſum è ſpatio aut vaſe tolli, manente ſpatio aut vaſe,

vaſe, & nullum aliud corpus ſeu extenſum in præcedentis locum ſuccedere. Quæro enim, diſtabuntne adhuc vaſis latera? certè debebunt, ſi vas maneat vas. Si eſt diſtantia, ergo eſt realis extenſio ab uno vaſis latere ad aliud, quod enim merum nihil eſt, diſtantiam facere nequit, cùm non-entis nulla ſint accidentia. Si non diſtabunt vaſis latera, ſibi cohærebunt, nec dabitur vacuum. Sed homines quia videre aut palpare, aut certo nomine deſignare non poſſunt (id quod Phyſicus poteſt) corpus ſive extenſum illud quod in vaſe eſt, ideo nullum in eo eſſe putant.

62. Verùm hæc & ſimilia jam accuratè Philoſophus noſter docuit, cujus locum adſcribam ex Princip. parte ſecunda, ubi art. 18. iſte eſt: *lapſi ſumus ferè omnes à prima ætate in hunc errorem* (dari poſſe vacuum abſolutè ſumtum, hoc eſt, ſpatium in quo nulla planè ſit ſubſtantia corporea) *propterea quod non advertentes, ullam eſſe inter vas & corpus in eo contentum neceſſariam conjunctionem; non putavimus quicquam obſtare, quò minùs ſaltem Deus efficiat, ut corpus quod vas aliquod replet inde auferatur* (motu vel annihilatione) *& nullum aliud in ejus locum ſuccedat* (motu vel creatione.) *Iàm autem, ut errorem illum emendemus, conſiderare*

*oportet nullam quidem eſſe connexionem, inter vas & hoc vel illud corpus particulare quod in eo continetur, ſed eſſe maximam & omnino neceſſariam, inter vaſis figuram concavam & extenſionem in genere ſumtam, quæ in ea cavitate debet contineri: Adeò ut non magis repugnet nos concipere montem ſine valle, quàm intelligere iſtam cavitatem abſque extenſione in ea contenta, vel hanc extenſionem abſque ſubſtantia quæ ſit extenſa: quia, ut ſæpe dictum eſt, nihili nulla poteſt eſſe extenſio.* ( certè nihilum nec extendi nec contrahi, nec parvum nec magnum, nec longum, nec latum, nec profundum eſſe aut dici poteſt, uti per ſe notum eſt.) *Ac proinde ſi quæratur quid fiet, ſi Deus auferat omne corpus quod in aliquo vaſe continetur, & nullum aliud in ablati locum venire permittat? reſpondendum eſt, vaſis latera ſibi invicem hoc ipſo fore contigua. cùm enim inter duo corpora nihil interjacet, neceſſe eſt ut ſe mutuò tangant, ac manifeſtè repugnat ut diſtent, ſive ut inter ipſa ſit diſtantia, & tamen ut iſta diſtantia ſit nihil; quia omnis diſtantia eſt modus extenſionis, & ideo ſine ſubſtantia extenſa eſſe non poteſt.*

63. Hactenus reſponſum eſt ad eorum præcipua, quæ amicus datis ad me literis exercitii & veritatis inveſtigandæ gratiâ ſuperiori

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

periori diſputationi oppoſuerat, cumque ea de cauſa eſſent gratiſſima, volui eum hac occaſione honorare qualicunque refutatione publica, præſertim quòd ad theſes illuſtrandas ea non parum conferre videretur. Sed alii ſurrexerunt invidi atque æmuli, qui ex calce hujus diſſertationis occaſionem arripientes, apud populum & alios Philoſophiæ rudes me iniquiſſimè detulerunt, quaſi ſtatuerem, Deum non poſſe plures mundos creare, adeoque Deum non eſſe omnipotentem. Quæ calumnia cùm longè latéque fuerit diſſeminata, pluribus eam hoc loco retundam, Carteſianæ ſententiæ, quæ & mea eſt, evidentiam atque innocentiam patefacturus.

## *De Mundi unitate ſtatus Controverſiæ.*

64. Principio videndum eſt, quid ſit in quæſtione poſitum, utque hoc videri poſſit, quid Mundi nomine intelligatur, antè cognoſcendum. Cùm autem Varios habeat ſignificatus, ſufficit ad propoſitum noſtrum, ſi tres ſequentes hîc annotemus. Significat igitur 1. rerum creatarum, tam corporalium, quàm intellectualium univerſitatem. 2. univerſitatem rerum tantùm corporearum. 3. ſolam terram & quæ ei cohærent.

65. Prima ſignificatio rationi congruit. Nam cùm illud omne quod præter Deum



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

eſt unam quandam communem habeat rationem, v. g. quòd à Deo ut cauſa efficiente pendeat, & ad ipſum uti finem ordinetur, præterea finitum ſit & corruptibile reſpectu Dei &c. meritò etiam uno communi nomine appellabitur, & vel univerſitas creata vel mundus dicetur.

66. Nec ſecunda ſignificatio ratione deſtituitur. Nam cùm omnes res corporeæ unam eandemque ſortiantur communem rationem, quòd ſint extenſæ in longum, latum & profundum, & hinc mobiles ac diviſibiles in partes, unde variæ figuræ, magnitudines, ſitus *&c.* oriuntur, poſſunt non immeritò una mundi ſeu univerſitatis corporeæ appellatione comprehendi.

67. Tertia autem ſignificatio non in vera & ſolida ratione, ſed in humanis præjudiciis fundatur ac ſtabilitur. Homines namque *Terram* conſiderant ut corpus longè maximum & potiſſimum, alia tantùm ſpectant ut ſecundaria & minùs principalia, ac proinde ſemper eadem concipiunt cum ſubordinatione & relatione quadam ad Terram, & pro hac relatione vel nihil eſſe putantur, vel tantula cenſentur ut cum Terra comparari cumque illa in conſiderationem venire non mereantur, vel denique habentur pro appendicibus & adjunctis Terræ. Nempe *aër* & *cœlum*, & quicquid eſt inviſibile, mun-

mundique adeo pars multò maxima, pro nihilo æſtimatur. Cœleſtia *ſidera* tanquam exiguæ faculæ aut lampades accenſæ, (etiamſi multa ſint numero, tamen quia magnitudine putantur perexigua maximaque temporis parte ſunt inconſpicua, nec alia ratione ſenſibili corpus afficiunt) ubi Mundi, id eſt, Terræ cogitatio animum ſubit, non computantur, aut certè ad Terram non aliter referuntur, quàm parvæ candelæ ad auguſtum palatium. *Sol* etiam ipſe (& ſimilis ferè *Lunæ* ratio eſt) vel tanquam Deus ſpectatur adeóque à mundo diſtinguitur, ut fit à barbaris Nationibus; vel inſtar aliarum ſtellarum, conſideratur ut lucerna Terræ, unde & Orpheus æternum mundi oculum Solem appellavit. Tandem *aqua* & alia, ut adjuncta Terræ reſpiciuntur.

68. Priores itaque duæ ſignificationes Mundi rectæ rationi conformes ſunt, tertia à ratione aliena eſt. Potiori enim ratione (ſi naturam abſolutè & non relatè ad homines adſpiciamus) Mundi appellatio Soli v.g. quàm Terræ imponeretur (utpote qui & magnitudine corporis & luminis in immenſum diffuſi ſplendore hanc multis partibus exſuperat) & majori adhuc jure Cœlo, quod omnia complectitur.

69. Priores etiam ſignificationes conveniunt 2. cum etymo Mundi. Mundus quippe

Græcis quàm Latinis ab ornatu, elegantia & pulchritudine nomen accepit, quæ pulchritudo & elegantia, conſiſtens in rerum delectabili varietate, ordinata diſpoſitione, abſoluta plenitudine, indiſſolubili connexione &c. non ſine contemtu aliquo Conditoris ad Terram & terreſtria reſtringi poteſt; Verùm ad omnia creata, aut ſaltem ad res omnes corporeas extendi debet.

70. Conſentiunt porrò 3. priores duæ ſignificationes, cum aliis appellationibus, quibus Mundus aliàs denotari conſuevit, quando vocatur τὸ πᾶν, omne, τὸ ὅλον, totum, item, univerſum, rerum univerſitas, quæ nomina Terræ ſoli, aut Terræ imprimis (quæ intuitu reliquorum corporum exigui puncti rationem obtinet) applicare non poteſt, niſi præjudiciis immerſus planè intellectus; ſapiens toti coporearum rerum multitudini à Deo creatæ aptiſſiméque diſpoſitæ accommodabit.

71. Quartò denique congruunt priores ſignificatus cum Mundi definitionibus à melioribus authoribus proferri ſolitis. Audiatur enim Philoſophus, quicunque is fuerit, in libro de Mundo cap. 2. *Mundus eſt ordo & digeſtio univerſorum, quæ à Deo & per Deum aſſervatur*. Audiatur Philologus, Martinius in Lexico: *Mundus eſt univerſitas creata*. Quid plures memorem? cùm paſ-

ſim

ſim occurrant ejusmodi definitiones, quibus non Terra modò, ſed omne quod corporeum eſt, imò omne quod creatum, comprehenditur.

72. Iam quæritur de Mundo, in ea ſignificatione, in qua vox hæc ſumi debet & à ſapientibus ſolet, nempe vel in prima, *an poſſint dari plures rerum creatarum univerſitates*; vel in ſecunda, *an poſſint dari plures corporum univerſitates.* Sive autem hoc, ſive illo modo Mundi vocabulum ſumpſeris, Carteſiana & noſtra aſſertio negativa eſt.

73. Non autem quæritur de Mundo in tertia ſignificatione accepto, an Deus poſſit plures Mundos efficere, ſive *an poſſint dari plures terræ.* Quis enim hoc in dubium revocet? Deum poſſe plures terras, plures ſoles, plures planetas &c. condere, adeò non negamus, ut plures eum actu condidiſſe aſſerentium, quàm condendi potentiam ei denegantium opinioni potiùs acceſſuri ſimus.

74. Quisquis igitur nos defert apud populum, ſicuti factum fuit ab adverſariis, quòd negemus, Deum poſſe plures Mundos efficere, is maximâ nos injuriâ afficit, neque enim loquimur de Mundo in ea ſignificatione accepto, in qua homines (quibus adverſarii noſtri opiniones, quas dicunt noſtras, pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

proponunt ) ordinariè accipiunt, dum non aliud intelligunt, quàm quod ſentiamus, Deum plures terras non poſſe creare. Eſt enim iterum iterumque attendendum, homines communiter Mundi nomine nihil aliud menti quàm Terram exhibere, aut ſaltem hanc imprimis intellectui repræſentare, quoties de Mundo ſermo miſcetur, idque ob cauſas th. 67. allatas. Neque hîc idiotas tantùm intelligo, verùm etiam viros in aliis rebus eruditos, quatenus in multis adhuc cum vulgo, propter longam præjudiciorum conſuetudinem, & loqui & ſentire amant.

75. Ita Imperator in Corpore Iuris appellatur *Mundi Dominus*. Ita Trithemius, qui nunc fortè in manus incidit, in Dedicatione Polygraphiæ Maximilianum Imperatorem ita alloquitur: *cùm poſt Deum jure Mundi ſis Dominus*. Vbi nullus ambigere poteſt, quin terra & terrena intelligantur. Ita *Coſmographia* appellatur, quæ præcipuè Orbis terrarum eſt deſcriptio. Nec opus congerere ſcriptorum loca, in quibus Mundi appellatio Terræ tribuitur, ſunt enim innumera. Vnusquisque ſolùm attendat, quid in lingua vernacula ordinariè homines voce Welt deſignare conſueverint, deprehendet ad Terram ſemper appellationem illam referri. Et hoc ipſum

ipſum, quod in humana converſatione obſervatu facillimum, atque ex cauſis ſuis clariſſimè in hac philoſophica tractatione detectum eſt, etiam atque etiam conſiderari velim.

## *Aſſertionis noſtræ probatio prior Metaphyſica, cum ſolutione objectionum eò pertinentium.*

76. Sententia noſtra, *non poſſe dari plures Mundos*, duobus præcipuis argumentis demonſtratur, quorum alterum Carteſianum & Phyſicum in theſibus fuit expreſſum, alterum Metaphyſicum in Schola Platonis dudum prolatum. Quando enim th. 43. ſententiam de impoſſibili Mundorum multitudine ajo nondum auditam fuiſſe in Scholis Philoſophicis, loquor ſolùm de Scholis Peripateticis (cujusmodi hodie ſunt pleræque omnes, aut certè fuerunt ante paucos annos) quemadmodum liquidè patet ex eo quod ſubjungo de *rationibus Ariſtotelicis*.

77. Platonis de Mundi unitate argumentum Marſilius Ficinus Compendio in Timæum capitis 16. initio breviſſimè ſic effert: *quod continet omnia, nihil relinquit extra ſeipſum, ideoque eſt neceſſariò unicum.* Pleniùs efferri ſi voles

voles, tale erit: id, præter & extra quod nullum creatum eſſe poteſt, eſt neceſſariò unicum. Atqui Mundus eſt id præter & extra quod creatum nullum eſſe poteſt. E.

78. *Major* probatur ex notione ſeu definitione Vnici. Vnicum quippe eſt, præter & extra & ultra quod aliud, quod ſit ejusdem generis, naturæ, conditionis, nominis, nullum reperitur. Eſtque adeò propoſitio iſta ex terminis per ſe nota, ut notior reddi non poſſit.

79. *Minor* itidem ex definitione Mundi ſeu terminis perſpectis innoteſcit. Eſt namque Mundus rerum creatarum univerſum. At qui univerſum dicit, nihil excludit. Eſt Mundus τὸ πᾶν. At qui omne dicit, nihil excipit. Qui totam rerum creatarum congeriem, quanta quanta eſt, Mundi nomine & notione complectitur, uti facimus rectam rationem & ſapientes viros imitati, nihil omittit ex iis quæ Deus creavit, ſed omnia unius appellationis ambitu circumſcribit.

80. Plures rerum univerſitates abſque manifeſta contradictionis in adjecto admiſſione ſtatui non poſſunt. Qui enim univerſitatem ponit, pluralitatem tollit & vice verſa. Nam ſi in uno ſunt omnia, quid manebit in reliquis? Si mundi plures ſunt, non erunt profectò plures rerum univerſitates; ve-

verùm, ut ſic dicam, particularitates ſeu partialitates, adeoque nec mundi erunt, ea quidem ſignificatione, quæ hujus loci eſt.

81. Obtendat aliquis 1. non poſſe tantopere urgeri univerſitatis appellationem, cùm vis hujuſce nominis ac notionis non ſit ejusmodi, quæ omnem neceſſariò multiplicationem, eorum quæ univerſa dicuntur, perpetuò excludere videatur. Nam dum, exempli cauſâ, Lutetia Pariſiorum dividitur in *Vniverſitatem*, l'univerſitè, *Civitatem*, la cité, & *Vrbem*, la ville, non omnia ſub univerſitate concludi manifeſtum eſt. Et quid notius eſt, quàm dari plures univerſitates Academicas, id eſt, in quibus omnes liberales artes, omnes diſciplinæ & facultates doceantur? Colonienſis univerſitas non tollit Lipſienſem, nec Lipſienſis Wittebergenſem &c. In Politicis ſubditi reſpectu gubernationis dividuntur in tribus & ſocietates; ſocietates iterum in collegia, corpora, univerſitates. Collegium eſt ſocietas ſubditorum ejusdem vel ſimilis profeſſionis. Corpus eſt ſocietas ex diverſis collegiis collecta & inſtituta. Vniverſitas eſt ſocietas è collegiorum & corporum conjunctione concreta. Si talis ſubditorum univerſitas datur in Germania, quis ideo inficietur, ſimilem in Anglia dari poſſe, imò dari, ſimilem in Gallia, ſimilem

lem in Hiſpania? Quin imò palàm eſt in una eademque republica plures, quas dixi, univerſitates reperiri. Quare, ut ad propoſitum revertamur, non repugnabit etiam, plures ſimul Mundos exiſtere, quamvis univerſitates & ſint & habeantur, neque una corporum naturalium univerſitas, eò quòd univerſitas eſt, excludet ſimilem univerſitatem.

82. R. 1. Quemadmodum dari quidem poteſt univerſitas talium hominum v.g. Europæorum, Germanorum, Colonienſium &c. alia univerſitas aliorum hominum v.g. Afrorum, Ægyptiorum &c. ſed non ideo dari poteſt univerſitas hominum, abſolutè, niſi una: ita exiſtere poteſt alia univerſitas talium corporum, alia talium; ſed nulla univerſitas erit corporum, abſolutè & in genere & ſimpliciter, niſi una, nullum erit rerum à Deo creatarum univerſum, quin omnia omnino creata includat. Iam autem notandum eſt, Mundum, de cujus unitate diſputamus, non conſiderari à nobis neque definiri, tanquam univerſitatem horum aut illorum corporum, v. g. hujus terræ quam incolimus, hujus cœli, horum ſiderum; ſed univerſitatem corporum ſimpliciter. Diſtinguatur itaque inter univerſitatem ſimpliciter ita dictam, & univerſitatem ſecundùm quid; inter univerſi-

ta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

tatem Metaphyſicè acceptam (argumentum enim noſtrum Metaphyſicum eſſe monuimus) & univerſitatem moraliter aut Politicè ſumtam; inter univerſitatem rerum genericè dictam, & univerſitatem talium rerum, ſpecificè ſic appellatam.

83. ℞. 2. Quando Academiæ univerſitates appellantur (& ſimilis eſt ſimilium exemplorum ratio) quòd omnes in illis tradantur artes & facultates, tum voces illæ, *omne*, *univerſum*, ſumuntur diſtributivè in genera ſingulorum h. e. quod omnia diſciplinarum genera ibidem proponantur, eodem modo, quo omnia animalia in arca Noë fuiſſe perhibentur & Chriſtus omnem ſanâſſe morbum dicitur, ubi intelligimus omnia genera aut ſpecies animalium & morborum. Quando autem Mundus univerſum nuncupatur, eò quòd res naturales omnes contineat, tum voces illæ, *omne*, *univerſum*, non diſtributivè, ſed collectivè accipiuntur, quo ſenſu omnes apoſtoli duodecim, omnes planetæ ſeptem, omnes partes idem quod totum eſſe dicuntur. Neque hoc probatione indiget, cùm apud omnes Philoſophos in confeſſo ſit, Mundum eſſe ens quod vocant collectivum ſeu aggregativum, Mundi formam in ordinata collectione, congerie,

aggre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

aggregatione cunctarum rerum naturalium conſiſtere.

84. Obducat quiſpiam 2. Si Deus omnipotens mundum hunc augere poteſt, ſi corpora quæ fecit multiplicare valet in infinitum, ſi mille terras, mille ſoles condere, ut antea conceſſum fuit, poterit utique plures mundos efficere. At verum prius. Ergo & poſterius. Reſp. De minore non eſt neceſſe ut hoc loco laboremus, ſatis eſt majorem eſſe falſam, connexionem ejus eſſe infirmam. Negamus igitur, ſi vel mille terras, mille cœlos crearet Deus omnipotens, plures ideo mundos ſeu plures rerum univerſitates fore. Negamus inquam, plures ſimul & ſemel exiſtere poſſe, hæc enim quæſtio eſt, quippe non jam cum Origine, ante hunc mundum alios fuiſſe, & poſt hunc alterum fore, & illi ſemper ſucceſſurum alium atque alium aſſerente, rem nobis eſſe volumus. Quare affirmamus plures illas terras, plures ſoles, plures cœlos, ſint quotcunque & quantosque eſſe velis, unicam rerum corporearum univerſitatem conſtituere, ab unico ſupremo Domino & capite factam & gubernatam.

85. Veritas hujusce aſſertionis ex jam dictis per ſe cuivis innoteſcit ad cujus tamen uberiorem explicationem notari velim quod modò diximus, mundum eſſe ens collectivum, totum aggregatum, quale eſt exercitus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

tus, reſpublica, eccleſia: his enim exemplis utuntur Philoſophi. Iam ſi cogites ad rempublicam v. g. Belgicam accedere plures cives, plures urbes, plures regiones & provincias, Belgici imperii fines uſque & uſque dilatari ac protendi, non ideo judicaveris, multiplicari respublicas Belgicas, ſed unam eandemque remanere exiſtimabis, quoniam retinet ejusdem reip. formam, eadem rectorum capita, eundem regiminis atque adminiſtrationis modum. Ita ſi poſſis cogitare, de quo jam non ago, mundi terminos uſque & uſque protendi, corpora quæ videmus & cognoſcimus uſque & uſque multiplicari, non tamen ea propter poteris judicare, plures oriri rerum creatarum univerſitates, ſed potiùs corpora illa omnia unum idemque conſtituere univerſum, quia retinent idem caput, eundem gubernatorem, eandem formam, quæ forma, ut ſæpe dictum, in ordinata omnium rerum à Deo pendentium collectione & congregatione omnimoda conſiſtit.

86. Contradicatur 3. Mundum eſſe univerſitatem rerum aut creatarum, aut creandarum, aut ſaltem creabilium. Cùm igitur plures res ſint creabiles, plures quoque mundos eſſe *poſſibiles*, utcunque *actualis*, res creatas continens, exiſtat unicus. Reſp. Quod in quæſtione verſatur, illud eſt, an plu-

plures mundi dari, h. e. ſimul & ſemel exiſtere poſſint. Si poſſunt exiſtere plures rerum exiſtent univerſitates (rerum inquam creatarum, non enim exiſtunt niſi creatæ fuerint, & quamdiu creabiles tantùm appellantur, ut dici nequeunt exiſtere, ita nec aliquæ, nec multæ, nec univerſæ nominari queunt) quod impoſſibile & contradictorium eſſe toties nunc evicimus. Neque hîc ullum argumentum produci, ſed id quod in principio quæſitum fuit dutaxat peti aut quod aliis verbis modò expreſſum fuerat repeti video.

87. Opponantur 4. Si ex ipſo nomine & notione Mundi tam eſt manifeſtum, non poſſe plures dari, quî fit igitur, quòd hoc adeo pauci videre hactenus potuerint, quòd Mundi unitatem ex naturæ lumine demonſtrare nequiverint, imò indemonſtrabilem plerique omnes crediderint, quod poſſibilem Mundorum pluralitatem tot tantique Theologi ac Philoſophi ſuſtinuerint? Adeóne evidentibus obſiſtere queant viri multum eruditi?

88. ℞. 1. Etiam quæ per ſe nota ſunt attendenti, in dubium revocari poſſunt ab iis qui minùs attendunt & leviùs rem conſiderant. Vir ſapiens facilè demonſtraverit attendenti ad id quod eſt ac dicitur *Deus* (nimirum ens ſummè perfectum) plures

eſſe Deos contradictionem involvere manifeſtiſſimam. Et tamen qui plures Deos eſſe putaverint & coluerint in cultiſſimis etiam nationibus fuerunt innumeri. Quid quòd inter ipſos Chriſtianos exſtiterunt (ſicuti de Ockamo, Gabriele, & Guilhelmo Var. accepimus) qui etſi conſenſerunt, unum tantùm eſſe Deum, exiſtimârunt tamen id non poſſe naturali ratione oſtendi, at ſolùm ex revelatione ſcripturarum cognoſci? cùm tamen revera non actualis modò Dei unitas, ſed plurium quoque impoſſibilitas, naturali rationis lumine queat demonſtrari. Vt tandem cum Boëtio fateri cogamur, *communes eſſe nonnullas animi conceptiones & per ſe notas apud ſapientes tantùm*. Profectò enim plurimæ veritates ſolâ attentione clariſſimè innoteſcunt diligenti indagatori, quæ ab aliis negligentioribus minuſque attentis nulla unquam ratiocinatione ſatis cognoſcuntur.

89. Reſp. 2. cur plures Mundos exiſtere poſſe, Viri etiam pii & docti ſibi perſuaſerint, cauſa præcipua eſt, quòd non ſatis attendentes ad vim, & notionem Mundi, quatenus verè univerſum à Deo conditum deſignat, in hac quæſtione ad terram potiſſimùm reſpexerint. Nam utcunq; etiam initio tractationis ſuæ veram Mundi definitionem attuliſſent, poſtea tamen de Mundi unitate



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

agentes, in vera Mundi notione immotâ mente non perſtiterunt, ſed ad vulgarem & ex præjudiciis ortam notionem potiùs animo inclinantes, plures dari Mundos poſſe pronunciârunt. Quòd hoc ita ſe habeat revera, neque à nobis ſit confictum, ſatis liquet ex prima Diſputatione Anti-Carteſiana (præter quam nullam hactenus mihi videre licuit) Herbornæ habita, de quæſtione: *an Deus poſſit plures uno Mundos condere.* Nam ibi Author primâ theſi probaturus, Deum omnipotentem plures mundos extra hunc Mundum poſſe efficere, apud Theologos & Philoſophos Chriſtianos in confeſſo eſſe, producit illum locum Paræi Comment. in Gen. cap. 2. pag. 72. *Epicuri illatio eſt fallacia à dicto ſecundùm quid. Quievit enim Deus ſecundùm quid, ut dictum eſt, non verò ſimpliciter. Non quievit dedens ſe otio, aut deſerens opus creatum, ut architectus deſerit navim vel domum conſtructam: non ludit otioſus cum angelis, aut circumambulat cardines Cœlorum negligens mundum: ſed non pergens creare alia nova opera, novos vel plures Mundos, ſicut Anaxagoras finxit infinitos Mundos,* (NB) *quod audiens ex eo Alexander Magnus illacrymâſſe fertur, quod cùm plures Mundi eſſent, ipſe nondum uno eſſet potitus.* Ex quibus verbis meridianâ luce clarius eſt, Vi-

rum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

rum illum ad Terram, cujus dominium appetebat Alexander, animum convertiſſe, non autem ad univerſum quà univerſum, quando ita pergit in ſequentibus: *Non plures verò creavit: non quòd non poſſet, ſed quia non voluit: unus hoc modo perfectus ſufficiebat gloriæ ipſius patefaciendæ, & hoc uno vult nos eſſe contentos, ut inſanæ cupiditates hominum frenentur.*

90. Quod autem huic Viro contigit, idem aliis accidit quàm plurimis. Iam enim in hiſce Notis diligentiſſimè inculcavi idque hanc ipſam ob cauſam, aſſiduè cogitandum eſſe, quàm tenaciter animis humanis hæreat, vulgaris illa hujus Terræ pro univerſo Mundo acceptio atque uſurpatio. Quod ipſum diſſertatione de Infantiæ præjudiciis prima generatim etiam de præjudiciis quibuscunque, illuſtribus exemplis ita declaravi, ut non putem addendum eſſe quicquam.

91. Et hactenus de argumento Platonico, quod impoſſibilem eſſe Mundorum pluralitatem evincit, ſive Mundi vocem in prima, ſive in ſecunda ſignificatione capias. Nunc ſequitur argumentum Carteſianum ex natura & notione Corporis deſumtum, quod ſolùm probat unitatem Mundi in ſecunda ſignificatione accepti, quoniam apud Phyſicos, de ſubſtantiis corporeis agentes,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

acceptio illa maximè trita & communis eſt. Ita cùm in Mundi definitione, quòd ſit *univerſitas Corporum*, duo habeantur 1. univerſitas, 2. corpus, & ex priori termino, generaliori & Metaphyſico, ductum argumentum ſatis, opinor, fuerit explanatum: ſupereſt ut ex altero etiam termino, ſpecialiori & Phyſico, rationem Carteſio duce arceſſamus.

## *Aſſertionis noſtræ probatio poſterior Phyſica, cum ſolutione objectionum eò pertinentium.*

92. Vim Carteſiani argumenti ut intelligas accuratiùs, paulò pleniore orationis forma, quàm in theſibus factum eſt, illud hoc loco exprimere atque interpretari conabor: Si plures Mundi dantur, illi vel diſtabunt à ſe invicem, vel non diſtabunt, ſed erunt contigui. At neutrum eſſe poteſt. Ergo nec plures Mundi poſſunt eſſe.

93. Nam ſi plures illi Mundi ſe contingunt, & non diſtant, certè unum tantùm, non plures component, ſecus enim terra cum aqua, aqua cum aëre, Sol cum cœlo Mundum unum conſtituere non poſſet, niſi contiguitas unitatem facere judicaretur. Quamobrem & ipſa noſtra de pluribus Mundis controverſia, non quærit, niſi de Mundis diſ-

cretis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

cretis, à ſe mutuò ſeparatis, disjunctis ac remotis, nempe an tales poſſint eſſe plures.

94. Si ergo diſtant plures illi Mundi à ſe invicem, debet inter illos aliquid interjacere, nam ſi nihil interjacet, ſi nihil interpoſitum eſt, quo ſeparentur ac dividantur à ſe mutuò, profectò intelligi nequit diſtantia. Quid enim notius eſt naturali lumine, quàm quod illa non diſtent, quæ inter nihil interjacet? Quare ſi diſtant plures illi Mundi, qui dicuntur, debet interjacere aliquid, ſecus enim non diſtabunt.

95. Illud aliquid quod interjacet, eritne corpus, an ſpiritus? Spiritus ſive mens eſſe non poteſt, ſive creatam ſive increatam dixeris, quoniam extenſionis ac dimenſionis omnis expers eſt, nec fieri proinde poteſt, ut ſubjectum ſit diſtantiæ, ut intervallum longitudinemque & latitudinem unius Mundi ad alterum determinet, quia longum & latum eſſe, remotum & propinquum eſſe, diſtare & contingere, affectiones ſunt rerum corporearum propriæ.

96. Illud igitur aliquid quod interjacet unumque Mundum ab altero dividere ac diſterminare dicitur, erit corpus, erit res extenſa, longa, lata & profunda, & continget ambos illos Mundos quos ſeparare dicitur, & utrumque contingendo, non duos,

ſed unum unicum efficiet, utrumque, verbo duplicem, re unum & ſimplicem coaleſcendo faciet. Tam diu enim & eò uſque Mundus unus eſt, quàm diu & quouſque res extenſæ ſe contingunt, ſibi cohærent, ſibi conjunguntur. Nec proinde plures Mundi eſſe poſſunt.

97. Nunc ad objectiones veniamus, quarum prior eſt, ex noſtra opinione ſequi, Deum non eſſe omnipotentem, hæc enim vulgaris eſt calumnia, huc etiam redeunt rationes quas Anti-Carteſianus habet ſuprà dictæ diſputationis theſi ſecunda, ubi Rat. 1. *Si apud Deum omnia ſunt poſſibilia, & ab eo omnia fieri poſſunt; ſequitur Deum plures Mundos ſimul efficere poſſe. At prius verum. E. & poſt.* Rat. 2. *Si Deus uno Mundo condito, plures condere non poteſt, ſequitur eum viribus defectum & defatigatum eſſe, ſeu ad creandos plures Mundos viribus defeciſſe. At falſum conſequens. E. & antecedens.* Rat. 4. *Quicquid non implicat contradictionem, id Deus poteſt efficere. Plures uno Mundos eſſe non implicat contradictionem: E. plures uno Mundos Deus poteſt efficere.*

98. Has quidem objectiunculas recitâſſe, refutâſſe eſt. Sed in tironum gratiam vitia earum indicemus. 1. petitur id quod in principio quæſitum fuit, evidentiſſimè enim demonſtratum fuerat diſp. 2. de præjud. quam lege-

legerat rationum author, plures uno Mundos eſſe contradictionem implicare: nunc ipſe aſſumit, non implicare contradictionem. 2. demonſtratum fuerat, & nunc ampliùs demonſtratum eſt, pluralitatem Mundorum à parte rei & in conceptu noſtro contradictionem involvere: nunc ipſe ſumit à parte Dei impotentiam & virium defectum argui ex eo quòd plures mundi non poſſint fieri h.e. quod univerſum non poſſit eſſe non univerſum, factum non poſſit eſſe infectum &c. 3. uti Deum pertendit plures poſſe Mundos facere, cùm tamen reâpſe non niſi unus eſſe queat: ita ipſe author rationes tanquam multas & varias proponit, quæ omnes ad unam recidunt, non dico rationem, ſed ad unam principii petitionem. Sed penè oblitus eram rationis 3. quæ talis eſt cum limitatione noſtra: *Quicquid eſt effectum vel objectum infinitæ potentiæ Dei, illud à Deo in infinitum multiplicari poteſt*, ſi nempe iſta multiplicatio contradictionem non implicet. *Mundus eſt effectum infinitæ potentiæ Dei. E. Mundus à Deo in infinitum multiplicari poteſt.*

99. Iam ſapientes compello, futuros judices atque arbitros, utra pars de potentia Dei ſentiat honeſtiùs ac magnificentiùs, nosnè, qui vacuum nullum agnoſcimus, omnia ſpatia imaginabilia materiâ à Deo re-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

repleta aſſerimus, jam in ſua plenitudine cuncta regi, conſervari, moveri ab eodem illo potentiſſimo rerum Conditore ſtatuimus? an verò adverſarii, qui immenſum extra Mundum volunt imaginari vacuum, ubi innumera corpora, infiniti Mundi non ſint, ſed eſſe poſſint, ubi ſe non ampliùs exſerat divina creatio, conſervatio, gubernatio, verùm exſerere tantùm poſſit? Si quis diceret, Vir ille non eſt doctus, quia jam cunctas artes perdidicit, nulla ſcientia eſt quam non penitùs imbiberit: eſſet doctior, ſi nondum didiciſſet omnia, ſi plurima adhuc reſtarent, quæ ubi & quando vellet, poſſet addiſcere; ſi quis, inquam, hæc diceret, rideretur, opinor, ab omnibus. Porrò ſi quis diceret, Rex ille non eſt ſatis potens, quia jam totum terrarum orbem ſibi ſubjecit, quia nullus in terra, nullus in mari locus eſt, ubi non dominetur: multò potentior foret, ſi multa regna, multas provincias nondum expugnâſſet, nondum occupâſſet, nondum imperio ſuo ſubjeciſſet, at poſſet adhuc expugnare, occupare, ſubjicere, ſi quis inquam talia proferret, infantibus eſſet ludibrio. Atqui idem planè de Deo dicunt noſtri adverſarii, & ingenti clamore dicunt, ut Carteſianis terrorem incutiant eoſque toti mundo inviſos reddant: ſcilicet ampliorem in eo Dei potentiam oſten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

oſtendi arguentes, quod nondum materiâ repleverit omnia, quæ nos imaginari & concipere mente valemus, ſed multa adhuc ſpatia vacua, & à nullo corpore occupata, reliquerit, ubi non creator, non rector, non conſervator exiſtat, ſed poſſit exiſtere. Pudet, ita me Deus amet omnipotens, dum video viros doctorum titulo inſignitos, adeò puerilis oſcitantiæ ſe malle reos agere, quàm ut cordatis deſinant maledicere.

100. Poſterior objectio eſt, quæ fortè rationis ſpeciem majorem præfert, ex noſtra de neceſſaria Mundi unitate ſententia ſequi, Mundum nullos habere limites ac terminos adeoque eſſe infinitum. Reſp. 1. Mens noſtra in ſe deprehendit, quòd non poſſit ad Mundi ſeu univerſi extenſi terminos aut fines ullos pervenire, nam uſque & uſque occurrunt ipſi ſpatia extenſa, nec poteſt ad eum locum pertingere cogitatio humana, ultra quem extenſa nulla collocari intelligantur. Sed inde perperam infertur, nullos revera mundi eſſe fines, nullos in eo terminos dari, quos angelus quiſpiam aut Deus ipſe cogitatione comprehendere valeat. Quæ enim iſta conſequentia? nulli fines à nobis agnoſcuntur. Ergo nulli reperiuntur, quaſi finitus noſter intellectus omnia quæ ſunt aut poſſet aut deberet



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

comprehendere. Mundi igitur fines non definimus, terminos non determinamus atque ea propter reſpectu noſtri indefinitum atque interminatum dicimus, revera infinitum in ſe eſſe non aſſeveramus.

101. ℞. 2. ſi diceremus Mundum eſſe infinitum, quid inde incommodi? Reſpondent: *Vnum tantùm eſt infinitum, Deus: ſic autem duo darentur infinita.* Vt nugari tandem & ineptire deſiſtant, ſcire debent, quo ſenſu Deus ſit ac dicatur infinitus, quo ſenſu Mundus diceretur, ſi tantus eſſet.

102. Vt hoc accuratè cognoſcatur, trium generum diſtinguenda ſunt attributa. Alia enim ſoli Deo conveniunt, Mundo autem corporeo nullo modo inſunt, qualia ſunt intellectus, voluntas, benignitas, juſtitia &c. Alia ſoli Mundo, Deo autem nequaquam competunt, cujus generis ſunt extenſio in longum, latum & profundum, figura, ſitus, motus, quies, raritas, denſitas &c. Alia denique Deo & Mundo communiter quodammodò attribuuntur, veluti duratio, unitas &c. & in genere perfectio.

103. Iam Deus quo ſenſu dicitur infinitus. ℞. Infinitus dicitur 1. ratione attributorum primi generis, quæ ipſius propria ſunt: ita infinita Dei eſt juſtitia, immenſa ſapientia, ſummè bonus eſt, ſummè verax &c. 2. ratione attributorum tertii generis, quæ gene-

generaliter ſpectata Mundo quodammodo communia ſunt: ſic ratione durationis infinitus eſt, unde æternus dicitur, perfectione infinitus eſt, quia eſt ens ſummè perfectum. Adeoque omnia quæ ſunt in Deo ſunt infinita, immenſa, ſumma, maxima, optima: & hoc eſt quod Theologi volunt, quando infinitatem Dei per cætera ejus attributa æqualiter fuſam eſſe ajunt. Verùm ratione attributorum ſecundi generis, Deus nullo modo dicitur infinitus, quoniam extenſionem, figuram, motum & quæ ſunt ejusmodi nullo pacto recipit divina eſſentia.

104. Quo autem ſenſu Mundus dicetur infinitus, ſi dicatur? ℞. 1. non ratione attributorum primi generis, utpote quæ nullo modo inſunt corporeo rerum univerſo, neque enim mundus intelligens eſt, aut volens, aut verax, aut ſapiens, multò minùs infinitæ intelligentiæ, ſummè ſapiens &c. Sunt namque ejus generis attributa rerum intellectualium propria. 2. non ratione attributorum tertii generis, non enim æternus eſt, non ſimpliciſſimus, non potentiſſimus, non perfectione ſumma præditus. Relinquitur ergo 3. ut Mundus dicatur infinitus ratione attributorum ſecundi generis, nempe ratione extenſionis infinitæ, longitudinis, latitudinis, profunditatis, id eſt,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

tali infinitate, qualis in Deum cadere nullo modo poteſt. Sicut enim Deus unus eſt tali unitate, cui par aut ſimilis non invenitur: ita infinitus èſt tali infinitate, cui par aut ſimilis dari nequit. Et vice verſa Mundus unus eſt tali unitate, qualem Deus non admittit, infinitus eſt (ſi eſt) tali infinitate, à qua divina natura eſt alieniſſima.

105. E quibus omnibus cùm apertiſſimè pateat, Deum non poſſe ullo modo dici infinitum, quo ſenſu Mundus dici poſſet, nec Mundum ulla ratione infinitum appellari, quo ſenſu Deus verè talis ac tantus prædicatur, ridiculus ſit, qui ampliùs objectionem de duobus infinitis moverit. Plato Materiam vocat Infinitum: Deus eſt infinitus: Ergo duo dantur infinita. Nugæ. Punctum eſt res ſimpliciſſima. Deus eſt res ſimpliciſſima. Ergo duo dantur ſimpliciſſima. Nugæ & logomachiæ meræ.

106. Abrumpendi fili tempus eſt. Tædium ſubit animum, quod de rebus quæ intelligenti Solis luce clariores ſunt, tam multa dicenda fuerint, propter eos tantùm qui calumniari malunt quàm diſcere, damnare quàm de non perſpectis judicium ſuſpendere. Hanc ipſam de Mundi unitate ſententiam toties docui, toties inculcavi, ut non potuerim hac vice ab animo meo impetrare, ut ornatiùs ea conſignaret calamus,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

mus, de quibus aliàs in Dialogo de Vno rerum Vniverſo diſſerere propoſueram. Itaque ex tempore hæc nunc ſimul omnia in chartam conjeci, nec tamen per præcipitantiam ita ſe habere judicavi, ſed diu multumque in animo volvi & ſæpius antè, quemadmodum dixi, externa voce protuli. Multa in hac ſecunda de Præjudiciis diſſertatione, multa in prima continentur, quæ non niſi longiori ſtudio & attentiori examine percipi, & pro certis, qualia ſunt, admitti poſſunt. Qui non vult aut non poteſt attendere, nec præjudicia deponere, nec ſapere cupit, ſed putare ſatis habet, & refutare mavult quàm intelligere, illi ego ſcripta hæc nolim. Deus illuminet cogitationes noſtras, adque pacem, concordiam & amicitiam flectat voluntates.

## CAP. XXXIV.

*De Præjudiciis Infantiæ Diſſertatio tertia, in qua errores aliquot in cognoſcendo & colendo Deo commiſſi, quatenus à præjudiciis procedunt, deteguntur ac refutantur.*

I. QVò melior eſt habitus, eò pejorem eſſe privationem, non minùs vero



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

conſonum, quàm veri ſtudioſis notum eſt effatum. Ex quo ſequitur, cùm ſcientia Dei & pietas duæ ſint virtutes perfectiſſimæ, illa intellectualis, hæc moralis, maxima eſſe vitia quæ illis opponuntur, quorum proinde originem imprimis debeat inveſtigare, qui cauſas imperfectionum & vitiorum eo fine ſcrutatur, ut quantum fieri poteſt ex animis humanis exſtirpentur. Vt igitur exſequamur quod nuperâ diſſertatione promiſſum fuit, errores aliquot in cognitione & cultu Dei, quatenus ab infantiæ præjudiciis originem ducunt, detegere ſimul ac refutare ſtat ſententia.

2. Dico errores quatenus ab infantiæ præjudiciis originem ducunt, ne quis hîc imprimis de Diabolo & peccato originis & ſimilibus agendum putet. Cùm enim errorum ſint cauſæ plurimæ, nos in hac philoſophica conſideratione eas duntaxat reſpicimus, quæ à parte ſunt hominis atque inſuper naturali rationis lumine inveniuntur, uti jam initio hujuſce tractationis indicavimus.

3. Hæretici exſtitêre (ut craſſiores illos primo loco ponam) qui, quòd corpoream & humanam Deo formam tribuerent, *Anthropomorphitæ* fuerunt appellati. Non conſiderârunt illi Deum, quoties in ſacris literis os, oculos, aures, manus ſibi adſcribit, non

non aliter quàm nutrices ſolent cum infantibus, nobiſcum quodammodo balbutire. Et hæc in conſiderantia hæreſios cauſa fuit non minima. Sed & multum veſano errori ex eo acceſſit virium, quòd infantiæ præjudiciis decepti, nihil eſſe exiſtimarent præter id quod corporeum, ſenſibile & imaginabile, & quale ipſi corpus habebant, tale etiam cuivis alii rei intellectuali convenire judicarent.

4. Excuſatur ex antiquis *Tertullianus*, quòd corpus Deum nuncupando non niſi veram & realem ſubſtantiam intellexerit. Verùm nec iſta ratione, in Philoſophia ſaltem, omnino abſolvitur, dum quod reale & ſubſiſtens eſt corporis nomine inſignivit. Quis enim non videt, hoc redolere illud præjudicium, quo id ſolum ſubſiſtere quod corporeum eſt à pueritia nobis perſuaſimus?

5. Multò autem magis culpæ ex præjudiciis infantiæ deſcendentis reus eſt Conradus *Vorſtius*, qui non corpus modò, ſed etiam viſibilitatem & alia ad res corporeas tantùm pertinentia Deo affinxit.

6. Ac parem omnino errorem errant, ſive ethnici ſint, ſive Chriſtiani, qui *imagines* Deo corporeas & viſibiles ponunt. Vnde enim hoc, niſi ex eo quòd ſemper imaginabile objectum expetunt, ubi aliquid intelle-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

tellectu eſt apprehendendum, ſicut prima de præjudiciis diſp. th. 49. diximus? Certè ex hoc fonte imagines omnes & idola ipſumque adeo idololatriæ nomen promanavit, quod homines nihil intelligere aſſueti niſi quod ſimul imaginentur, Deum, qui purâ mente cognoſcendus eſt, ut rem corpoream imaginari tentent. Vbi autem talis imaginatio ſemel cerebrum occupavit, manus illico promptam ſe præbet ad idolum fabricandum. Hinc Apoſtolus *Roman.* I. 23. mutârunt gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis hominis, & volucrium, & quadrupedum, & reptilium.

7. Non credebant *Iſraëlitæ* Deum ſibi adeſſe, niſi carnaliter ſe præſentem exhiberet. Ideo ad Aaronem congregati, age, inquiunt, fac nobis Deos, qui anteeant nobis, jam enim Moſe viro illo, qui eduxit nos è terra Ægypti, quid factum ſit ignoramus *Exod.* XXXII. 1. Deum quidem eſſe noverant (ut magni Theologi verbis utar) cujus experti virtutem erant in tot miraculis, ſed propinquum ſibi eſſe non confidebant, niſi oculis cernerent corporeum vultus ejus ſymbolum, quod ſibi teſtimonium eſſe gubernantis Dei. A præeunte ergo imagine volebant cognoſcere Deum itineris ſibi eſſe ducem.

8. Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

8. Et ſicut olim fuit, ita etiamnum plurimorum in Eccleſia errorum radix eſt, quòd homines rebus corporeis immerſi & craſſo de iis cogitandi modo à teneris addicti nequeant ſibi perſuadere, Deum piis adeſſe aut prodeſſe, niſi externis ſenſibus atque oculis carnalibus obverſetur. At profectò non debebant immaterialis atque immortalis Dei gratiam, in mentibus credentium efficacem, è rerum materialium ſenſus afficientium præſentia atque efficacia metiri.

9. Illi quoque propter infantiæ præjudicia conceptum corporis ad Deum accommodârunt, qui diviſibilitatem in divina eſſentia ſunt imaginati. Tale fuit *Manichæorum* delirium, quod ſuperiori ſeculo reducere tentavit *Servetus*, animam hominis traducem eſſe ſubſtantiæ Dei.

10. Adde *Stoïcos*, qui volebant animas non ſolùm à Deo eſſe, verùm etiam ex Deo, non quidem per imminutionem divinæ ſubſtantiæ, ſed per protenſionem ſive dilatationem quandam, quo pacto lux à Sole oritur (de qua opinione vide *Gerard. Ioh. Voſſium* lib. 1. de orig. & progreſſu idololatr. c. 10, è Philone Iudæo & ſuppoſiticio Hermete Triſmegiſto differentem.) Nam etſi hîc non exſertis adeo verbis diviſibilitatem eſſentiæ divinæ tribuere videantur, quia tamen exten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

extenſionem concipiunt, quæ diviſibilitatem pro comite habet indiviſibili, conceptum corporis ad eum qui planè incorporeus eſt graviſſimo errore traduxerunt. Quid? quòd iidem ipſum Deum propriè loquendo corpus ſpirituale atque igneum eſſe dixerunt.

11. Verùm non Stoïci modò aliique antè memorati corporeum Deum conceperunt, ſed univerſus penè terrarum orbis, paucis exceptis qui è puriori divinæ revelationis fonte biberunt, propter ſimilem adorandum Numen imaginandi modum fœdiſſima inundatus fuit idololatria.

12. Soliti erant mortales res tantùm corporeas contemplari earumque beneficia ſenſibus corporeis æſtimare, corporalia tranſcendere non poterant, neque credebant aliquid eſſe ultra naturam corporis ſenſibilem, Deum verum non videbant, pro Deo colere atque habere placuit quod viderent. Itaque Apoſtolus generatim de iis pronunciat *Rom.* I. 25. coluerunt res conditas & ſervierunt iis præterito conditore (ita *Beza* vertit illud: παρὰ τὸν κτίσαντα, *Eraſmus*, ſupra eum qui condidit.) Et *Cæſar* ſpeciatim de Germanis lib. 6. de bello Gall. Deorum numero eos ſolos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus apertè juvantur, Solem, & Vulcanum, & Lunam.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

Scio *Tacitum*, cujus ævo meliùs Romanis innotuerat Germania, plures illis Deos aſſignare. Verùm id ad rem præſentem parum intereſt. Sive enim naturales Deos colerent (v. g. Solem, Lunam) ſive animales (v.g. Herculem) non alios animo concipiebant quàm corporeos & ſenſibiles.

13. Porrò ſenſuum omnium nobiliſſimus eſt viſus interque viſibilia nihil pulchrius corporibus lucidis, nihil admirabilius cœleſtibus, nihil quod & oculorum & mentis aciem magis ad ſe trahat, adeo ut *Anaxagoras*, teſte *Laërtio* in ejus vita, rogatus cujus rei causâ natus eſſet, inſpiciendi cœli & ſolis & lunæ, reſponderit. Et ipſe etiam homo apud Græcos nomen ex eo adeptus putatur, quòd viſu ſurſum tendat (ἄνθρωπος quaſi ἀναθρῶν ὦπι) unde *Ovid.* 1. Met.

*Pronaque cum ſpectent animalia cætera*
*terram,*
*Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri*
*Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.*

14. Præſtantia & utilitas lucis cœleſtis quanta ſit vel ex oppoſito intelligitur, dummodò cogitemus, quàm miſera hominum futura eſſet conditio, ſi perpetuis in tenebris vita degenda foret. Quòd autem ſplendida iſta ſidera obſcurarentur interdum & quaſi benignum vultum mortalibus abſconderent, id mirabantur cauſarum ignari non



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ſolùm barbari, ſed etiam ingenia cultiora ſortiti, atque inde metus multorum in animis excitabatur.

15. Huc facit illud *Taciti* Annal. 1. Luna claro repente cœlo viſa langueſcere. Id miles rationis ignarus omen præſentium accepit, ac ſuis laboribus defectionem ſideris adſimilans, proſpereque ceſſura quæ pergerent, ſi fulgor & claritudo Deæ redderetur. Igitur æris ſono, tubarum cornuumque concentu ſtrepere: prout ſplendidior obſcuriorve, lætari aut mœrere. & poſtquam ortæ nubes offecere viſui, creditumque conditam tenebris; ut ſunt mobiles ad ſuperſtitionem perculſæ ſemel mentes, ſibi æternum laborem portendi, ſua facinora averſari Deos lamentantur. Hæc Tacitus. Alio tempore C. Sulpicius militibus Romanis Lunam defecturam prædixit, ne id pro portento acciperent, atque interim Macedonas deliquium illud ut triſte prodigium, occaſum regni perniciemque gentis portendens movit *&c.* ut eſt apud *Livium* lib. 44.

16. Huc etiam pertinet quod *Plutarchus* habet in Pericle, ubi quid ad Reipubl. commoda educato Viro profuerit naturalis Philoſophia, quam ab Anaxagora hauſerat, exponens, nec verò, inquit, hunc ſolum fructum tulit Pericli Anaxagoræ uſus, verùm omni etiam liberavit eum ſuperſtitione,

ne, quæ terrorem ex rebus æthereis imprimit ignorantibus earum cauſas, & iis qui rerum divinarum metu pavent percelluntur que rudes earum, quem eximens naturalis ratio, pro terrifica & æſtuante ſuperſtitione ſecuram inſerit cum bona ſpe religionem. Hæc ille ibi. Quomodo Solis eclipſi territi Thebani leges apud eundem *Plutarch.* in Pelopida.

17. Hanc cœleſtium corporum pulchritudinem atque utilitatem, quibus corporeos ſenſus afficiebant, nec non admirationem & metum, quibus animos percellebant, ſecuta fuit illico eorundem religioſa veneratio inter omnes nationes latiſſimè diffuſa, ut non ſine ratione corporum cœleſtium cultus idololatriæ omnis, aut certè illius, quæ in naturalium Deorum veneratione conſiſtit, principium eſſe credatur. Hujus enim antiquitatem cùm ex Scriptorum antiquiſſimo Moſe colligere licet *Deut.* IV. initio verſ. 19. tum maximè ex XXXI. 26. ſq. *Iobi*, quem Moſi æqualem vel eo priorem fuiſſe Viri docti cenſent, ita ut illi rerum linguâ arabicâ conſignationem, huic voluminis hebræi ex ea compoſitionem, addito procemio & clauſula, adſcribant.

18. Huc ſpectat etymon vocis Θεῦ quod ſub perſona Socratis *Plato* in Cratylo profert: videntur utique mihi Græcorum priſci

priſci Deos ſolos putaſſe eos, quos etiam his temporibus barbarorum plurimi arbitrantur, ſolem, lunam, terram, ſtellas, cœlum. Cùm ergo hæc omnia perpetuo in curſu eſſe conſpicerent, ab hac natura τοῦ θεῖν θεοὺς nominaſſe videntur, deinde & alios animadvertentes omnes eodem nomine nuncupaſſe.

19. In eundem ſenſum *Natalis Comes* Mytholog. lib. 1. cap. 7. in hoc unum omnium propè populorum ac gentium ſententiæ primùm convenerant, ut divina illa quæ videntur, ſuperna corpora, ſolem, lunam, reliquaque aſtra cùm perpetuo motu agitari conſpicerent, ab ea celeritate & Deos appellaverint & eſſe crediderint, ut Plato teſtatur in Cratylo. Neque ulla ferè gens inventa eſt, quæ aliud eſſe Deos, quàm ipſa cœleſtia corpora primùm crediderit. Hanc opinionem ſecutus videtur *Homerus*, cùm ſolem omnia audire omniaque videre inquiat. Hæc *Natalis Comes*. Adi etiam *Lambinum* ad illud *Horatii* l. 3. od. 23. Cœlo ſupinas ſi tuleris manus.

20. Et ne vulgares modò animas huic ſuperſtitioni implicitas fuiſſe putes, vide quid ſentiat ipſe, qui Philoſophorum princeps à multis jam ſeculis habetur, *Ariſtoteles* lib. 2. de Cœlo cap. 3. unumquodque eorum, quorum eſt opus, id eſt operis cauſa:

Dei

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

Dei verò operatio immortalitas eſt. Hoc autem eſt perpetua vita. Quare Deo perpetuum ineſſe motum, neceſſe eſt. Cum verò cœlum ſit tale (eſt enim corpus quoddam divinum) eo corpus habet rotundum, quod natura ſemper in orbem movetur. Vbi quòd ex ſua mente loquatur, contra Thomam & Conimbricenſes evidenter ſatis oſtendi poteſt.

21. Quoniam igitur cœleſtia corpora religioſo cultu proſequebantur gentiles, hinc heroas ſuos in ſidera referebant & eodem cum iis cultu colebant, hinc etiam montes & colles aſcendebant ſacrificaturi & in excelſis altaria exſtruebant, quò ſcilicet Diis ſuis propinquiores eſſent. Vide *Deut.* XII. 2. cum notis *Belgarum Interpret.* item *Eſa.*LVII.7. *Ezech.*VI.13. *Hoſ.*IV.13.

22. Dicat aliquis, Deum in cœlis habitare etiam ſacras literas aſſerere *Pſalm.* CXIII. 5. CXV. 3. & Servatorem docuiſſe, Patrem noſtrum qui eſt in cœlis quotidiana precatione compellare. Reſpondeo ex illo vulgari: finibus actiones eſſe diſtinguendas. Nam Chriſtiani Deum cœlo non circumſcribunt, verum ad ejus providentiam & majeſtatem animo repræſentandam ad cœlum oculos attollunt. Providentiam quidem, quia qui ſummo loco eſſe intelligitur, facilè omnia pervidet. Majeſtatem, ne quid terre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

terreni vel abjecti de Deo cogitetur. Conſtat igitur è ſuperioribus cur cœleſtia corpora prima & præcipua Ethnicorum fuerint Numina.

23. Iam autem nullius corporis cœleſtis, imò nullius creaturæ mirabilior vel illuſtrior vis eſt quàm Solis. Præterquam enim (verba ſunt *Calvini* Inſtit. lib. 1. c. 16.) quòd totum orbem illuminat ſuo fulgore, quantum iſtud eſt quòd animalia omnia ſuo calore fovet ac vegetat? terræ fœcunditatem ſuis radiis inſpirat? ſeminibus in ejus gremio tepefactis, herbeſcentem inde viriditatem elicit, quam novis alimentis ſuffultam auget ac confirmat, donec in culmos aſſurgat? quòd perpetuo vapore paſcit, donec in florem, & ex flore in frugem adoleſcat? quòd tunc etiam excoquendo ad maturitatem producit? quòd arbores ſimiliter & vites ab eo tepefactæ gemmant primùm ac frondeſcunt, deinde florem emittunt, & ex flore fructum generant?

24. Cùm igitur omnia ad utilitatem & voluptatem ſuam referrent homines (uti in diſput. prima de præjud. animadverſum) & nihil eſſet in cœlo ſole utilius, nihil radiis ejus jucundius, nullum corpus à quo plura & manifeſtiora ad omnes humanos uſus commoda manarent, uti jam dictum, ideo

alii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

alii quidem unicum, alii verò præcipuum cœli Numen *Solem* credidêre, ſideribus aliis, ob minorem utilitatem, honore inferiori cultis.

25. De *Perſis Iuſtinus* haud procul à fine libri primi: Solem Perſæ unum Deum eſſe credunt, & equos eidem Deo ſacratos ferunt. Quod de Perſarum antiquiſſimis intelligo, cùm poſtea etiam alios admiſerint, ut ex *Herodoto* conſtat, qui author de *Maſſagetis* in extremo libri primi: ex Diis unum Solem venerantur. Solem *Germani* colebant, ut ſuprà vidimus. *Rhodiis* ſumma in veneratione Sol erat, unde & ingenti eum Coloſſo honorârunt. Etiam *Iſraëlitæ* eo cultu ſe inquinârunt, unde Ioſias abolevit equos, quos poſuerant reges Iehudæ Soli, currus autem Solis combuſſit igni 2. *Reg.* XXIII. 11.

26. *Athenienſes* Anaxagoram Clazomenium capitis ferè damnâſſent, ideo quòd Solem quem pro Deo colebant dixiſſet μύδρον διάπυρον, candentem laminam, ſive potiùs (ut vertendum eſſe rectè cenſet *Caſaubon.* in notis ad Laërt.) globum igneum. Vide *Laërt.* in Anaxagora & *Plutarchum* in Pericle. Sed longum ſit nimis omnes recenſere, qui ſub diverſis appellationibus Solem divinis honoribus proſequuti fuerunt.

27. Sol nunc oritur, nunc occidit, ſed oriens maximè recreat mortales, ut ſæpe cum Poëta exclament: Phoſphore redde diem, quid gaudia noſtra moraris? Et aurora non ſolùm Muſis amica, ſed aliis quoque humanis actionibus ſalutaris, unde nonnullis dicta creditur quaſi aurea hora. Exorto Sole prodit homo ad opus ſuum & ad culturam ſuam *Pſalm.* CIV. 23. occaſum ordinariè ſequitur triſtitia, ſomnus & quies.

28. Itaque cùm omnia commodis & uſu ſuo metirentur homines, factum eſt, ut ***plures orientem Solem quàm occidentem adorarent***, quod inde in proverbium abiit, quo denotatur juveni magis adhæreri quàm ſeni. *Eraſmus* in Adag. Mos erat Antiquis adorare Solem, quem Deum exiſtimant, & à Perſis præcipuè colebatur nomine Mithræ. Idem apud Ægyptios Oſiridis, apud Græcos Apollinis, apud alios aliis atque aliis nominibus. Hunc orientem ſalutabant religionis causâ. Quem morem tradit Socrati fuiſſe Plato. Ferunt & ab elephantis adorari Solem in exortu. Salutabatur & occidens, ſed à paucioribus.

29. Hinc illa conſuetudo deſcendit, ut quocunque etiam tempore ad orientem converſi precarentur Deum, eaque de cauſa Iſraëlitæ accuſantur *Ezech.* VIII. 16. quorum

rum poſteriora obverſa erant verſus templum Iehovæ, facies autem orientem verſus & adoratio ipſorum orientem verſus ad Solem ferebatur. *Virgil.* XII. Æneid. verſ. 172.

*Illi ad ſurgentem converſi lumina Solem*
*Dant fruges manibus ſalſas, & tempora ferro*
*Summa notant pecudum, pateriſque altaria libant.*

Vbi *Servius* annotat: Non utique nunc Solem ſurgentem dixit, jamdudum enim dies erat, ſed diſciplinam cerimoniarum ſecutus eſt, ut orientem ſpectare diceret eum, qui eſſet precaturus.

30. Chriſtiani quoque veteres ad ortum matutinum conceperunt preces & templa orientem verſus exſtruxerunt. Sed hos alieno à Iudæis, verſus occidentem vulgò orantibus, animo fuiſſe, & non Solem corporeum; at Solem juſtitiæ Chriſtum ſpectâſſe par eſt exiſtimare. Quanquam ſanè de quibuſdam concedendum ſit, eos in hoc ritu, veluti in aliis nonnullis, paganos fuiſſe imitatos. Et hactenus quidem de origine ſolaris cultus.

31. Proximæ poſt Solem magnitudinis eſſe Lunam ſenſuum dictant præjudicia. Vnde *Horatius* (ut ſolent poëtæ infantiæ præjudicia ſequi) lib. 1. od. 12. reliquas ſtel-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

las comparatione Lunæ ignes minores vocat,& lib. epod. od. 15. minora ſidera. Porrò quod Sol diurno, idem ferè nocturno tempore præſtat Luna, unde ille ad præfecturam diei, hæc ad præfecturam noctis à Deo facta dicitur *Gen.* I. 16. Et *Apulejus* initio libri de Deo Socratis, Solem diei opificem, Lunamque Solis æmulam, noctis decus appellitat. Vt jam de variis Lunæ effectibus, de diverſis ejus phaſibus, quæ magnam ei apud gentes admirationem peperêre, nihil dicam.

32. Hinc poſt divinos Soli attributos honores, proximè *Luna* fuit in ſocietatem cultûs adſcita. Et nonnullæ quidem gentes duo illa ſola Numina, alii ſaltem præcipua habuêre, adeo ut in naturali Theologia (ſic dicta quatenus diſtinguitur à fabulari & civili, non prout ſupernaturali opponitur) potiſſimi Deorum ad Solem & Lunam referantur.

33. *Romani* etiam ſub Dianæ nomine Lunam venerabantur, unde *Varro* de L. L. lib. 4. Luna dicta Noctiluca in Palatio: nam ibi noctu lucet templum (id eſt, ut *Gothofredus* in notis explicat, noctu in ejus templo lampades lucebant) hanc, ut Solem Apollinem, quidam Dianam vocant Apollinis. De *Afris* ita ſcribit *Herodotus* lib. 4. circa finem: Solis omnium Deorum immolant

lant Soli & Lunæ, & his quidem univerſi Pœni ſacrificant. De *Ægyptiis* antiquiſſimis in ſpecie *Diodorus Siculus* lib.1. antiquiſſimos ajunt Ægypti incolas, ſuſpicientes in cœlum, & non ſine ſtupore naturam univerſi admiratos, exiſtimâſſe, duos eſſe Deos ſempiternos & primos, Solem & Lunam.

34. Vir literatiſſimus Ioh. *Schildius* de Caucis, nobiliſſimo Veteris Germaniæ populo, lib.2. cap.1. verbis Diodori jam citatis iſta ſubnectit: cum popularibus ſuis Caucos in ejuſdem cultus ſocietatem veniſſe, multa ſunt indicio, quæ fidem ſui ingeniis haut moroſis faciant. Sicut enim finitimi Cheruſci à Luna Luneburgum ſuum appellavêre: propterea quòd pleræque priſcarum gentium, æſtimio Deorum dedicatas frequentarent habitationes; ita noſtris ab eadem denominata Diva reperias Lunefluvium, & Lunebergen pagum: præterea Haſelune, ex Haſio flumine, cui adſitum, & Luna, combinatum: denique Luningen, Lunenti & Loenen, vicorum pagorumque nomina. Nam vici pagique, ut ab urbica conſluge ſunt immunes, ita plurimum ſubinde vetuſtiſſimæ retinent antiquitatis.

35. Iam pergere poſſemus oſtendendo, qua ratione in idololatria à Luna itum fuerit ad Planetas & propinquitate & errore ſuo magis notabiles & quo pacto



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

deinde reliquæ cœli militiæ, ac mox etiam totius cœli machinæ divinus honos obtigerit, poſtea quomodo idem elementis, tandemque toti rerum naturæ fuerit attributus. At ſatis eſto, quòd hactenus oſtenſum fuerit (τὸ ὅτι ſuppeditantibus authorum divinorum humanorumque teſtimoniis, τὸ διότι monſtrante doctrina de ſenſuum præjudiciis) cur Ethnici Deos corporeos & ſenſibiles imaginati fuerint, cur è rebus viſibilibus & ſenſibilibus cœleſtia corpora præcipuè religioſo cultu affecerint, cur ex his imprimis Solem, & quidem orientem potiùs quàm occidentem adorârint, ac denique cur Lunam proximè poſt Solem in divini honoris conſortium receperint.

36. Ad omnem iſtam idololatriam multipliceſque prius enarratos errores refutandos ſpeciatim hîc agi poſſet de Cœlo, Aſtris, Sole, Luna aliiſque corporibus, ut manifeſtum evaderet, naturam eorum non eſſe talem, ut pro Deo haberi ulla ratione poſſint. Sed nos hac vice duntaxat oſtendemus, quòd divinæ naturæ repugnet omnino extenſio, ſive (quod idem eſt) quòd corporis natura nequaquam poſſit Deo tribui: quod ipſum eadem opera de humana & angelica mente demonſtrabimus. Ita ſimul præjudicium quod ſuperioris diſputationis clauſula deſtructioni reſervabat, ſimul erro-

res

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

res quos præſens enarravit omnes evertemus.

37. Principium æternæ veritatis eſt, omne illud quod propriè extenſum eſt, ſeu quod longitudine, latitudine & profunditate præditum, eſſe naturâ ſuâ diviſibile, adeo ut quamvis negari non poſſit dari corpuſcula quæ nunquam actu dividantur, affirmari tamen etiam debeat, nullum eſſe quin habeat partes extra partes adeoque abſolutè loquendo dividi poſſit, hanc ſolam ob cauſam, quia eſt extenſum.

38. Et quidem omne extenſum ita eſſe diviſibile agnoſcimus, ut 1. varias in eo partes determinatæ magnitudinis & figuræ, quarum una nullo modo alia ſit, poſſimus imaginatione diſtinguere. 2. poſſimus etiam unas in locum aliarum imaginatione transferre. 3. at nunquam duas aut plures ſimul in uno & eodem loco imaginari. Examinet unuſquiſque cogitationes ſuas, annon clarè ac diſtinctè in omni re extenſa hæc percipiat, aut, an poſſit alium de ea conceptum ex mente ſua depromere.

39. Examinet inſuper, quid nomine DEI veniat, ſive quid omnes homines ad rem attendentes concipere ſoleant ac debeant quando Deum apprehendunt. Inveniet, id nihil aliud eſſe quàm ens ſummè perfectum, ſive quo majus ac melius cogi-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

cari nihil poteſt. Hæc notio Dei eſt,hoc nomine illius ſignificatur apud omnes.

40. E quibus evidentiſſima conſequentia deducitur, Deum extenſum & corporeum eſſe non poſſe. Nam ſi talis eſſet, utique foret in partes diviſibilis, in partes, inquam, diverſæ determinatæque magnitudinis ac figuræ. Sic autem dividi poſſe nihil minùs eſt quàm eſſe optimum, eſſe perfectiſſimum. Nempe multò melior ac perfectior eſt ſubſtantia ſimplex, quàm compoſita, impartibilis quàm partibilis, ut quivis intelligit. E partibus conſtare,in partes reſolvi poſſe, dependentiam à partibus arguit & mutabilitatem ſecundùm eas. At quod optimum eſt, quod maximum, quod perfectiſſimum,non aliunde dependet, nec mutabile eſt, ſed prorſus independens, prorſus immutabile.

41. Vnde vel tironi Philoſophiæ liquet, non poſſe Deo extenſionem adſcribi, niſi immutabili mutabilitas, independenti dependentia, ſimpliciſſimo compoſitio, perfectiſſimo imperfectio tribuatur, hoc eſt, niſi oppoſitum in appoſito ſtatuatur.

42. Digna ſunt verba *Philoſophi* quæ hîc legantur : nec ſanè poſſent ulli homines in iſta idea Dei rectè concipienda aberrare, ſi tantùm ad naturam entis ſummè perfecti vellent attendere : ſed quia aliqua alia ſimul

miſcent,

miſcent, ex hoc ipſo pugnantia loquuntur, & chimæricam Dei ideam effingentes non immeritò poſtea negant illum Deum, qui per talem ideam repræſentatur, exiſtere. (Nota, quòd *idea* idem deſignet, quod notio, conceptus.) Ita hîc dum loquimini de ente corporeo perfectiſſimo, ſi nomen perfectiſſimi abſolutè ſumatis, ut ſenſus ſit rem corpoream eſſe ens in quo omnes perfectiones reperiantur, pugnantia loquimini; quoniam ipſa natura corporis imperfectiones multas involvit, ut quòd corpus ſit diviſibile in partes, quòd unaquæque ejus pars non ſit alia, & ſimiles: eſt enim per ſe notum majorem perfectionem eſſe non dividi quàm dividi &c. Si verò intelligatis duntaxat quod perfectiſſimum eſt in ratione corporis, hoc non eſt Deus. Hæc *Renatus Carteſius* in reſp. ad ſecund. object. pag. 73. edit. tertiæ.

43. Adhæc facilè intelligimus, quòd & mens humana, & Deus, & ſimul plures angeli in uno & eodem loco, qui corpore plenus eſt, operando eſſe queant, ex quo concludere oportet, has res omnino eſſe incorporeas & ab extenſione dimenſionibuſque in longum, latum & profundum (quarum non datur penetratio) planè immunes ac ſolutas.

44. Præterea mens noſtra (ut ſigillatim de ea dicam) quoties attentè ſemet-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ipſam conſiderat, ſe arctiſſimè quidem conjunctam eſſe corpori ſeu rei extenſæ clarè ſatis animadvertit, ſed nihil tamen in ſe extenſionis aut corporeitatis invenit, quod ſufficit ut certa reddatur de natura ſua corporis experte.

45. Nempe agnoſcit ſe eſſe rem cogitantem, id eſt, intelligentem, affirmantem, negantem, dubitantem, volentem, nolentem, nihilque in ſe deprehendit quin poſſit ad hæc referri: quæ omnia talia ſunt, ut naturam corpoream conſequi, aut ad rei extenſæ conſtitutionem pertinere nequeant. Neque enim ulla affinitas inter extenſum & cogitans, inter figuratum & intelligens, inter longum, latum, profundum & volens, nolens, dubitans, ſed omnimoda diverſitas.

46. Mens non poteſt mediam ſui partem concipere, nec ullam ſui diviſibilitatem intelligere: at facilè poteſt corpus quodcunque in duas partes cogitatione dividere atque ex hoc ipſo intelligere illud revera eſſe diviſibile, & poteſt dimidiam corporis ſemel diviſi partem ſeorſim conſiderare eamque in duas iterum partiri.

47. Abſciſſo pede, vel brachio, vel digito, vel quavis alia corporis parte, corpus ſibi adjunctum imminutum eſſe cognoſcit, at nihil ideo de ſemetipſa ablatum eſſe percipit. Neque intelligendi aut volendi facul-

culta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

cultates ſui partes eſſe judicare poteſt, quia eadem ipſa eſt quæ intelligit, quæ vult, quæ omnes cogitandi actus elicit.

48. Satis itaque probatum eſt nec Deum, nec mentem ullam extenſam eſſe, & maximè deteſtandum eſſe conceptum, quo Deus ut corporeus apprehenditur. Tametſi verò evidenter illud probaverim, non tamen iccirco ex animis hominum conceptus ejuſmodi evulſero. Adeo familiares illi ſunt, & adeo uſitata iis ſuperſtructa præjudicia, ut nihil diſputatio ſemel habita, nihil demonſtratio ſemel percepta juvet: longa meditatione & ſerio Philoſophiæ ſtudio opus eſt, cui pauciſſimi mortalium animos ſuos conſecrare ſolent.

49. Quin etiam nonnulli inter eos qui eruditi habentur adeo ſunt ratione deſtituti, ut quæſtionem de Mentis & Corporis ſive rei cogitantis & extenſæ diſtinctione, tanquam omnium leviſſimam repudient nihilque momenti ad ſtabilienda Philoſophiæ principia, ad tollendum Atheiſmum *&c.* habere arbitrentur.

50. His talibus dico atque etiam edico, ut attendant graviſſimos in tota Philoſophia errores maximamque idololatriam ex eo promanare, quòd homines inter mentes & corpora non ſatis diſtinguentes Deum ut extenſum & corporeum imaginentur &



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

cum creatarum quoque mentium conceptu corporearum rerum imagines in phantaſia depictas ſemper miſceant & confundant. At miſeri ſint ſapientes, ſi rerum ignari libripendis judicio ſtandum aut cadendum ſit ipſis.

## COROLLARIA.

51. *Qui dicunt corpus æque ſimplex fore ac Deus, niſi ex materia & forma componatur, valde errant & refutantur ex th.* 37. *& ſeqq.*

52. *Nulla ſubſtantialis extenſio ſub cogitationem humanam cadit præter eam quæ in longitudine, latitudine & profunditate conſiſtit, ad th.* 36. 37.

53. *Ideo qui extenſionem divinæ eſſentiæ, aut humanæ menti, aut angelo tribuunt, è rebus ſpiritualibus maximo cum errore corporeas faciunt.*

54. *Nec minuitur error eo quòd humanas angelicaſve mentes ſubtilia corpora, videri & palpari neſcia, exiſtiment; ſed potiùs augetur, quatenus ſecundùm infantiæ præjudicia id cui ſubtile corpus tribuitur minus realitatis & ſubſtantiæ habere ſtatuitur, quàm id cui corpus craſſum aſſignatur.*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

55. *Res corporeas & incorporeas diſtinguere (quod maxima pars hominum facere negligit cùm in actu ſignato, tùm præcipuè in actu exercito) inter præcipua philoſophi officia eſt, ex th. ult.*

56. *Rerum immaterialium ſeu incorporearum poſitivus conceptus eſt, quo apprehenduntur, ut res cogitantes, intelligentes, volentes ex th. 45.*

57. *Qui mentem humanam ut corpoream ſive ut extenſam concipit, illius immortalitatem è naturæ lumine rectè demonſtrare nequit ex th. 40. 46. ſeq.*

58. *Qui mentis ſuæ naturam conſiderat longè rebus corporeis ſublimiorem & ad ſimilitudinem Dei conditam, in rebus corporeis & terrenis cogitationes figere, indignum homine reputabit.*

59. *Mentem humanam non adeſſe corpori ut nauta adeſt navigio ſive non eſſe corporis formam aſſiſtentem, ut quidam è philoſophis putarunt, ſed multò arctiùs illi adhærere, efficacibus argumentis poteſt demonſtrari, ad theſ. 44.*

60. *Et vix ullum datur efficacius quàm hoc: ſi mens non eſſet arctiùs conjuncta corpori, quàm nauta navigio jungitur, tum ſi corpus humanum læditur, vulneratur, ſcinditur, ipſa ideo*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*ideo non ſentiret dolorem, ſed puro intellectu læſionem iſtam perciperet, ut nauta viſu percipit ſi quid in nave frangitur: Item, cum propter aridas fauces corpus potu indiget, mens non haberet ejusmodi ſenſum ſitis, qualem nunc experitur, ſed expreſſè ſolùm intelligeret illam faucium ariditatem, ſicut nauta vela ſicca conſpicit: quamvis enim ex eo colligat humectanda eſſe, ut ventus navem velociùs propellat, nihil tamen quod analogiam cum ſenſu ſitis habeat in ſe animadvertit.*

## *Notæ ad* CAP. XXXIV.

61. Ad th. 1. *Ex quo ſequitur*) Majemonid. M. N. pag. 1. cap. 36. *Qui credit Rubenem ſtare quando ſedet, non tam longè declinat à veritate, ſicut is qui credit Elementum Ignis eſſe ſub Aëre, vel Elementum Aquæ eſſe infra Terram &c. & hic ſecundus non tantùm declinat à veritate, ſicut ille, qui credit Solem oriri ex Igne, vel ſphæram ſive cœlum dimidium tantùm eſſe globum, aut ſimile quid: hic autem tertius non tantopere deflectit à vero, quemadmodum is qui credit, Angelos comedere & bibere, vel tale quid agere: atque hic quartus non tam graviter*

*errat*

*errat ſicut is, qui credit alium colendum eſſe Deum. Quando enim ignorantia & incredulitas vel negatio dependet à re aliqua magna & excellente, longè habetur major & gravior, quàm ſi verſatur circa rem levem & ignobiliorem. Negationem voco, quando aliquid credimus aliter quàm ſe habet. Ignorantiam, ignorationem ſimplicem ejus rei, quæ ſciri poteſt. Sic ignorantia ejus qui ignorat, quæ ſit proportio coni ad cylindrum, vel qui ignorat Solem eſſe rotundum, non eſt tam craſſa, ſicut illius, qui ignorat num ſit Deus in Mundo, nec ne. Et negatio ejus, qui credit conum dimidiam eſſe partem cylindri, vel qui negat Solem eſſe rotundum, non eſt tanta, quanta illius, qui negat unum tantùm eſſe Deum.*

62. Ad th. 2. Vide theſin quartam Diſp. 1. de Præjud. cum Notis, Non ſolùm unius effectus, verùm etiam unius defectus cauſæ poſſunt eſſe plures.

63. Ad th. 3. Calv. Inſtit. lib. 1. cap. 13. ſect. 1. *Anthropomorphitæ etiam, qui Deum corporeum ex eo ſunt imaginati, quòd os, aures, oculos, manus & pedes Scriptura illi ſæpe aſcribit, facilè refutantur. Quis enim vel parum ingenioſus non intelligit Deum ita nobiſcum, ceu neutrices ſolent cum infantibus, quodammodo balbutire? Proinde tales loquendi formæ non tam ad liquidum expri-*

*primunt qualis ſit Deus, quàm ejus notitiam tenuitati noſtræ accommodant. quod ut fiat, longè infra ejus altitudinem deſcendere neceſſe eſt.* Maim. pag. 1. cap. 33. *Hæc quoque cauſa eſt, propter quam lex loquitur linguâ filiorum hominum, ſicut expoſuimus, quia hæc ratio commoda & facilis eſt, ut ab ea incipiant & diſcant pueri, mulieres & communis plebs, in quorum viribus non eſt, res ſecundùm veritatem ipſarum apprehendere.*

64. Maim. ibid. cap. 46. docet affectiones corporeas Deo ideo attribui, ut diſcat populus, in Deo omnium illarum perfectionem exiſtere. Ibidem explicat, cur Deo hæc potiùs membra, quàm illa adſcribantur, verbis: *ſic non attribuuntur ipſi* humeri, *quia communiter adhibentur, portandis oneribus & quia iis ſummopere homines defatigantur; multò minus organa illa, quæ cibis & alimentis capiendis inſerviunt. Nam illa etiam in principio cogitationis* (NB) *manifeſta ſunt imperfectionis indicia.* Et cap. 47 initio: *Multoties jam indicavimus, nihil eorum Deo à Prophetis attribui, quæ à vulgo pro imperfectionibus habentur* (NB) *vel quæ mente ſua non poſſunt concipere, qua ratione Deo competant, licèt eadem ſit illorum ratio, quæ eorum quibus eum nobis deſcribunt.* Et in fine cap. *Ex quo vides,*

*idem*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*idem obſervari in apprehenſionibus internis, quod in apprehenſionibus ſenſualibus externis, quòd nempe quædam Deo attribuantur, quædam verò non: idque totum* ſecundùm linguam filiorum hominum: *h.e. quod ipſi* (homines ſcil.) *habent pro perfectione, id attribuunt Deo* (Prophetæ;) *& quod ipſi habent pro imperfectione, id illi non attribuunt.*

65. Porrò cap. 65. *Quia homines non aſſequuntur in principio cogitationis* (NB) *quomodo res aliqua fieri poſſit per ſolam voluntatem, ſed neceſſe eſt, ut qui aliquid vult fieri, id vel ipſemet faciat, vel aliis faciendum præcipiat: ideo adſcribitur Deo, quod jubeat rem aliquam eſſe, quam eſſe vult.* Cap. 53. *Quia omnia corpora animata talia attributa habent, exiſtimârunt illa quoque Deo rectè attribui. At verò de omnibus tenendum eſt vulgare illud dictum*: loquitur lex ſecundùm linguam filiorum hominum.

66. Ad th. 3. *quale ipſi corpus habebant)* Maim. M. N. p. 1. cap. 1. *Exiſtimant vulgo homines Tzelem in Lingua Hebræa ſimilitudinem ac formam alicujus rei ſignificare, id quod ipſos induxit, ut crediderint Deum merè eſſe corporeum, quia dicit*, Faciamus hominem in imagine noſtra, ad ſimilitudinem noſtram, *arbitrantes, Deum eandem quam homines habere formam & figuram,* ne-

*neceſſariamque eſſe corporeitatem. Vnde firmiter ipſi crediderunt eam, & exiſtimârunt, ſi ab hac ſententia recederent, falſitatis crimen intentatum iri Scripturæ ſacræ; quin immò Deum ipſum negari putant, ſi ei adimatur corpus, facies, vultus, manus &c. eâ figurâ & formâ, quam ipſi habent.*

67. Sed imprimis theſin hanc tertiam, imò totam de Infantiæ Præjudiciis doctrinam illuſtrat Maim. pag. 1. cap. 26. cujus titulus: *cur Lex Anthropopathiis uſa ſit.* Non poſſum quin totum caput exſcribam: *Nota eſt generalis illa Regula, quæ inſervit ad explicationem omnium loquendi rationum, quæ in hoc negotio occurrunt:* Loquitur Lex ſecundùm linguam filiorum hominum. *Cujus ſenſus eſt: Quicquid homines ab initio cogitationis ſuæ intelligentiâ & imaginatione ſua poſſunt aſſequi, id in Scriptura attribuitur Creatori. Hinc deſcribitur per attributa & nomina corporea, ut doceatur ipſum eſſe Ens: vulgus enim hominum non apprehendunt ab initio cogitationis Entitatem vel Eſſentiam, niſi in rebus corporeis. Vnde quicquid non eſt corpus, vel res in corpore exiſtens, non creditur ab iis eſſe vel exiſtere* (Confer. diſp. 2. de præjud. th. 41. cum Notis.) *Sic etiam quicquid à nobis pro perfecto habetur, id quoque attribuitur Deo*

*Bene-*

*Benedicto, ad docendum, illum omnibus numeris & gradibus eſſe perfectiſſimum, nullumque in ipſo eſſe defectum vel privationem. E contrario autem nihil eorum Deo attribui legimus, in quibus vulgus hominum imperfectionem aliquam eſſe exiſtimat. Ideo non deſcribitur Deus, quod edat, bibat, dormiat, ægrotet &c. ſed per ea tantùm, quæ pro perfectionibus ab hominibus habentur, quæ, licèt noſtri reſpectu ſint perfectiſſima, ipſius tamen ratione ſunt in ſummo imperfectionis gradu. Sed exiſtimant, ſi humanæ illæ perfectiones à Creatore ſeparentur: magnam ipſius naturæ imperfectionem illatum iri. Sic nôſti Motum recenſeri inter perfectiones Animalium, atque etiam neceſſarium eſſe ad perfectionem illorum. Quemadmodum enim continuè opus habent cibo & potu, ad compenſationem ejus, quod quotidie illis decedit: ſic quoque opus habent Motu, ad id quod ipſis bonum eſt, vel cui aſſueti ſunt, perſequendum, & ad malum fugiendum. Vnde per ſe nihil intereſt, ſive cibum & potum, ſive motum Creatori attribuas: ſed tantùm* ſecundùm linguam filiorum hominum *h. e. ſecundùm imaginationem vulgi, apud quos Comedere & bibere imperfectiones ſunt, Motus verò minimè: cùm tamen & ipſe neceſſariò præſupponat imperfectionem. Demonſtratum enim eſt, quod quicquid movetur,*

*ſit*

*ſit corporeum & diviſibile. Deinceps verò declarabitur tibi, Deo, cùm ſit incorporeus, nec motum, nec quietem competere. Quies enim nulli rei competit, niſi ei, quæ moveri poteſt. Quare omnia iſta Nomina, quæ Motum animantium ſignificant, attribuuntur Creatori, eo modo, quo diximus: ut E. G. quando Vita ipſi attribuitur, vel quando dicitur vivere. Motus enim accidens proprium eſt animantium. Quando ergo à Deo removetur corporeitas, tum omnia quoque iſta ab ipſo removebuntur, videlicet Deſcendere, Aſcendere, Ambulare, Stare, Circumire, Sedere, Habitare, Egredi, Venire, Tranſire & ſimilia. Atque hæc paullò fuſiùs, prout nos fecimus, declarare, utile & neceſſarium eſt, non ſolùm propter vulgus, qui iſtiusmodi opinionibus imbuti ſunt, ſed & propter eos, qui ad perfectionem humanam contendunt, ut ab ipſis tollantur cogitationes iſtæ* (NB) *quæ cum ipſis adoleſcentiæ annis incipiunt.* Hæc ille. Ex quibus poſtremis verbis agnoſcis *Infantiæ Præjudicia* omnino deſignari atque eadem alibi apud hunc Authorem denotari, quando loquitur de *initio vel principio cogitationis noſtræ*; ſimul intelligis, tanquam utilem & neceſſariam commendari, pleniorem de Præjudiciis Infantiæ, qualem nos tribus hisce *Diſſertationibus inſtituimus, tractationem.*

68. Ad

68. Ad.th.4. *in Philoſophia ſaltem)* Nam in S. Scriptura interdum nomen *Corporis* pro veritate & realitate ſumitur Col. II. 9. *in eo in habitat omnis plenitudo Deitatis* σωματικῶς. Et commate 17. *lex umbra rerum futurarum, at corpus eſt Chriſti.* Sic apud Maim. pag. 1. cap. 68. *Veritas & ipſa quidditas Intellectus eſt ejus apprehenſio: proinde non eſt intellectus in actu res alia, quàm apprehenſio, nec apprehenſio aliud quid, quàm intellectus: ſed* corpus *h. e. ſubſtantia & veritas intellectus eſt apprehenſio, & quandocunque ponitur intellectus exiſtens in actu, nihil aliud eſt quàm apprehenſio ejus rei, quæ intelligitur.* Aliter autem Scripturam S. loqui, aliter loquendum Philoſopho, prætерquam quod ex ſuperioribus Notis liqueat, docet Carteſius Reſpp. ſecund. pag. 75. *Omnibus eſt nota diſtinctio inter modos loquendi de Deo ad vulgi ſenſum accommodatos, & veritatem quidem aliquam, ſed ut ad homines relatam, continentes, quibus ſacræ literæ uti ſolent; atque alios magis nudam veritatem, nec ad homines relatam exprimentes, quibus omnes inter Philoſophandum uti debent.* Hæc ille, quæ etiam applicabis ad ea quæ de vocibus *Terra, Mundus,* ſuperiori cap. diximus *id ſolum ſubſiſtere)* diſp. 1. de præjud. th. 41 paulò antè citatâ.

69. Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

69. Ad th. 5. Vorſtio oppones Maximum Tyrium ſerm. 1. *Deus neque oculis perſpici nec voce enunciari poteſt, nec corporeo tactu ſubjicitur, neque auribus poteſt audiri: in quem ſolus animus pulcherrimus, videl. nitidiſſimus, intelligentiſſimus atque expeditiſſimus oculus, propter ſimilitudinem intendit: eundem ipſum ejusdem animi propter affinitatem percipit auditus, ſed totus atque integer non niſi vacuæ atque in ſeipſam contractæ illabitur menti.* Quibus poſtremis ſimilia Cart. Med. ſexta pag. 36. fin. *Mens dum intelligit.* (ſcil. intellectione pura, non imaginando) *ſe ad ſeipſam quodammodo convertit, reſpicitque aliquam ex ideis, quæ illi ipſi inſunt.*

70. Pergit ibid. Tyrius: *Quemadmodum igitur fit ſemper, ut cùm quis cupiat Solem intueri, haud auditu ad ejus perveniat adſpectum: neque vocalis harmoniæ ſtudioſus, eam proſequatur oculis, ſed deſiderium oculorum in ipſis coloribus, aurium verò expleatur in ſonis. Ita etiam mens ipſa intelligibiles ſpecies appetendo, eas videt & audit.* Similiter Carteſius Medd. p. 72. *Quod verò hîc admiſcetis eam* (ideam Dei) *poſſe efformari ex prævia rerum corporalium inſpectione, non veriſimilius mihi videtur quàm ſi diceretis nullam nos audiendi habere facultatem, ſed ex ſola colorum viſione in ſonorum notitiam*

tiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*tiam devenire: plus enim analogiæ ſive paritatis fingi poteſt inter colores & ſonos, quàm inter res corporeas & Deum.*

71. Pergit Tyrius explicando quomodo mens debeat cognoſcere Deum: *aures adverſus ſenſibilia obſtruat, & ab his viſum reliquoſque ad ſeipſam abducat ſenſus.* Quibus ſimilia Carteſii illa initio Med. tertiæ, quæ eſt de Deo quòd exiſtat: *Claudam nunc oculos, aures obthurabo, avocabo omnes ſenſus, imagines etiam rerum corporalium omnes vel ex cogitatione mea delebo* &c.

72. Tandem Tyrius: *Fac in eo nec magnitudinem, nec colorem, nec figuram aliquam cogites, non aliud præterea quicquam quod materia pati conſuevit, verùm ut interdum formoſum corpus, ne conſpici poſſit, multis ac variis involucris obtegitur, cujus amator, ut expleatur aſpectu, ea opus habet amovere: ſic etiam neceſſe eſt, amictum hunc, qui tibi oculos impedit, ratione avertere.*

73. Ad th. 6. *imaginatio ſemel cerebrum occupavit*) Beza in Quæſt. & Reſp. Chriſtian. lib. p. 1. pag. 32. *idola parit manus, concipit inanis phantaſia. Itaque ſunt iſti quoque idololatræ, quorum idolum tanquam informis fœtus in phantaſiæ utero deliteſcit: nec ullum eſt tetrius idoli genus, utpote quod in ipſis animi penetralibus ſit collocatum.* Calvin. Inſt. lib. 1. cap. 11. ſect. 8. *Mens hominis ut*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*ut ſuperbia & temeritate eſt referta, Deum pro ſuo captu imaginari audet: ut hebetudine laborat, imò craſſiſſima ignorantia eſt obruta, pro Deo vanitatem & inane ſpectrum concipit. Ad hæc mala accedit nova improbitas, quòd homo qualem intus concepit Deum, exprimere opere tentat. Mens igitur idolum gignit: manus parit. Hanc eſſe idolatriæ originem, quod homines Deum ſibi adeſſe non credunt niſi carnaliter exhibeat ſe præſentem, prodit Iſraëlitarum exemplum.* Ad th. 7. *magni Theologi)* Calvini verba ſunt hoc loco ſequentia. 74. Ad th. 8. *homines rebus corporeis immerſi.)* Quales ſunt qui oralem manducationem in S. Cœna tueri ſatagunt, quaſi non poſſit eſſe ſpiritualis unio Chriſti cum animabus noſtris, niſi corporaliter ſit præſens. Orthodoxi Deum meliùs colunt quando nec imagines in templis tolerant, neque corporalem præſentiam expetunt &c. adorantes Deum in ſpiritu & veritate & ſpiritualem cum eo communionem habente. Bene Poëta:

*Si Deus eſt animus, nobis ut carmina dicunt;*
*Hic tibi præcipuè ſit* pura mente *colendus.*

75. Ad th. 12. Maim. p. 1. cap. 46. *Non videt imperita plebs, quomodo aliquid verè*

&

*& citra dubitationem poſſit exiſtere, niſi corpus. Et quicquid non eſt corpus, ſed affectio tantùm in corpore, juxta ipſos quidem exiſtit, & eſt ens, ſed imperfectius quàm corpus; quia ſcil. ad illius exiſtentiam corpus neceſſariò requiritur. Quod verò neque corpus eſt, neque affectio in corpore, id in principio formalitatis* (h. e. intellectûs) *hominis, maximè autem juxta imaginationem ejus, planè non exiſtit. Naturales Deos)* Gerh. Ioh. Voſſius de Orig. Idol. lib. 1. cap. 11. *Naturales appello, quando vel tota rerum natura, vel ejus pars, aut affectio invocatur. Cujuſmodi Dii ſunt, Mundus, Æther, Sol, Aër, Aqua, Tellus, Tempeſtas, Amor & ſimiles. Animales nuncupo animas à corpore ſolutas; uti illas Herculis Thebani, Caſtoris, Romuli, Iulii Cæſaris atque alias.*

76. Ad th. 13. *viſu ſurſum) Philoſophare cœlum intuens*, unum fuit è Pythagoræ Symbolis, de quo in Appendice Adag. Eraſmi titulo *Originis*. De etymo vocis ἄνθρωπος paullò aliter Voſſius de Orig. Idol. lib. 3. cap. 41. medio.

77. Ad th. 14. *Præſtantia & utilitas Lucis)* Iſmaël Bulliardus de Natura Lucis pag. 146. *Quid pulchri fuiſſet in Mundo ſi lucem Deus non produxiſſet? quis ornatus? quis ordo? fruſtra fuiſſent rerum ſeries,*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*figuræ, diſpoſitiones, & alia quorum grata & blanda pulchritudo in luce cernitur. Chaos indigeſtum luce creata Deus concinnavit, & hunc Mundum aſpectabilem fecit; cum luce diffuſa à medio ad extremas Mundi oras, calor genitabilis infuſus eſt rebus cunctis*, qui eis incuſſit blandum per pectora amorem & efficit ut cupidè generatim ſecla propagent. Lucret. lib. 1. *Lux facta eſt anima mundi rerum omnium ſuaviſſima, jucundiſſima & gratiſſima, ſine qua nihil pulchrum, nihil jucundum, aut ſuave; omnia etenim torpent, & deformia ſunt, ideo in tenebris oculis noſtris ſe ſubtrahunt deformitatis ſuæ conſcia. Age ſi hyemem æternam cogitas, nonne miſerrimum vitæ ſtatum putas, & quaſi horrore frigoris interceptus totus tremis, & ſenſim torpeſcis. Quid longas noctes ſæpe quereris, cum illo Comico Strepſiade*: eheu, eheu, Iupiter, ſpatium noctium quàm immenſum eſt, nunquamne dies exorietur, *Ariſtoph. in nebul.* (Confer. th. 27.) *moleſtiamque & tædium quod hominibus afferre ſolent? Si lux à Mundo abeſſet, quomodo longam illam & perpetuam noctem vitæ ſuſtinere poſſes? Non ita exiſtimo te credere, ſic quemquam Victurum; perpetuam quinimo mortem cogitas, dum tenebras æternas huic mundo circumfundis.*

*dis. Sine luce itaque nulla eſt vita, ſed perpetua mors.*

78. Ad th. 17. *& metum*) Huc fortè reſpexit Poëta dicens: *Primus in orbe Deos fecit timor.*

79. Ad th. 20. *oſtendi poteſt*) & oſtenſum eſt à Voſſio de Orig. Idol. lib. 2. cap. 40.

80. Ad th. 23. *illuſtrior vis*) Voſſ. de Orig. Idol. lib 3. cap. 1. *Quanquam & aëra, & exhalationem terreſtrem, quæ frigore fit ventus, Perſæ divino colerent honore; Deum tamen hunc Ventum, quàm Aëra, dicere maluerunt; quia quò quid vim habet majorem, eò divinius judicabant: quanta autem vis ſit venti præ aëre tranquillo, per ſe ſatis eſt manifeſtum*, &c. Confer. diſp. 1. de præjud. theſi 18.

81. Ad th. 24. *plura commoda*) per reliquas enim ſtellas perpetuam ageremus noctem. Vnde Sol Mundi oculus, de quo ſupra in Not. ad diſp. 2. de præjud. §. 67. fine.

82. Ad th. 30. Iſraëlitæ contra occidentem verſi, ubi ſanctuarium erat, preces Deo fundebant. Nam per portam orientalem ingreſſi tabernaculum vel templum, ad occidentem oraturi pergebant.

83. Ad th. 32. *naturali Theologia*) Triplex Ethnicorum Theologia fuit: *Naturalis*, ſeu Phyſica, ſeu Myſtica Philoſophorum, quæ hauriebatur ex naturæ myſteriis



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

& in Scholis obtinebat: *Civilis* ſeu Politica Sacerdotum, quæ ex legiſlatorum decretis deſumpta in Templis erat uſitata: *Fabularis* ſeu Poëtica, quæ Poëtarum figmentis conſtabat & in Theatris exercebatur.

84. Ad th. 37. Maim. Mor. Nev. p. 2. proleg. prop. 7. *Quicquid mutatur id dividitur; ideoque quicquid movetur, id dividitur & eſt corpus; & quicquid non dividitur, id quoque non movetur, ac proinde non poteſt eſſe corpus.* Ibid. in fin. cap. 2. *Omne corpus admittit diviſionem, dimenſiones*, &c.

85. Ad th. 39. *Ens ſummè perfectum*) Maim. M. N. p. 1. cap. 46. ut omnes eò dirigantur ac deducantur, ut credant Deum eſſe & *omnes habere perfectiones h. e. quod non ſimpliciter exiſtat, ſed quòd ſit ens vivum, ſapiens, omnipotens, agens, & reliqua quæ de ipſo credenda ſunt.*

86. Ad th. 43. Benè Dannhawer. Id. Boni Interp. p. 1. ſ. 3. art. 2. §. 56. *Si Deus ſpiritus non eſſet ſed corpus, vel nullus daretur motus localis, vel daretur penetratio dimenſionum, vel ſubinde divina eſſentia corporibus loco motis cedere deberet, & ſpatium aliquod ſui ac intervallum relinquere: quæ abſurda eſſe omnes intelligunt.*

87. Ad th. 48. *deteſtandum eſſe conceptum*) Maim. M. N. p. 1. cap. 36. *Certò perſua-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*perſuaſum habeas, ſi credas corporeïtatem, vel affectiones & qualitates corporis te longè graviùs Deum offendere, & ad iram ac Zelotypiam provocare, multò etiam truculentiorem te eſſe Dei Hoſtem, Inimicum & Oſorem, quam is eſt qui exercet Idololatriam. Neque exiſtimes eum, qui corporeïtatem credit, excuſari poſſe, ſi dicamus, illum in ea ſententia educatum eſſe, vel meliora neſcire, vel obtuſioris eſſe ingenii: ſic enim idololatra quoque excuſari poteſt, quòd id faciat vel ex ignorantia, vel ideo, quia in ea conſuetudine à parentibus ſuis educatus ſit. Non eſt etiam quod dicas, ſenſum legis literalem illos in hunc errorem conjeciſſe: nam & idololatra ad cultum ſuum moventur per falſas & inanes ſuas imaginationes. Quæ omnia cùm ita ſe nunc habeant, omni planè excuſatione carent ii, qui cùm ipſi ingenio non ſint idoneo ad harum rerum ſpeculationem, ab iis, qui veritatem ſolidè intelligunt, eam nolunt accipere.*

88. Iudaïcæ fidei articulus tertius eſt de Dei Incorporeïtate, ut Buxtorfius refert Synagogæ cap. 1. Majemonides ſtudiosè admodum explicat nomina quæ à rebus corporeis ad Deum tranſlata ſunt ne qua corporis affectio Deo tribuatur' Idem ſtudium in Onkelo laudat & commendat. Nam ita p. 1. cap. 27. *Onke-*

*los Proſelytus, Vir perfectiſſimus in lingua Hebræa & Chaldaïca, diligentiam & induſtriam ſuam inter cætera quoque in removenda corporeïtate à Deo gnaviter admodum comprobavit. Omnia enim Attributa vel Nomina, in Scriptura Deo attributa, quæ corporeïtatem inducere videntur, ipſe ſecundùm verum & genuinum illorum ſenſum expoſuit.* Idem de Onkel. teſtatur cap. ſq. ubi in medio: *Remotio corporeïtatis res eſt Demonſtrativa & ad fidem neceſſaria.* Et in fine ejuſd. cap. de ſe & Onkelo: *Generalis omnium* (h. e. tam Onkeli quàm mea) *intentio eſt, removere à Deo corporeïtatem, & apprehenſiones iſtas omnes conſtituere intellectuales, non verò ſenſuales* (h. e. referre ad intellectum, non ad ſenſum.)

89. Idem ejuſdem partis cap. 18. *Deus benedictus non eſt corpus (ut fusè in hoc libro demonſtratur) neque accedit vel appropinquat ad rem aliquam: neque etiam res alia appropinquare poteſt ad Ipſum* (ſcil. corporaliter) *quia ſublata corporeïtate, tollitur quoque Locus vel Localitas, omnis item appropinquatio, elongatio, contactus, conjunctio, ſeparatio, vicinitas* &c. paulò poſt: *ſive homo ſit in centro terræ, ſive in ſummitate ſphæræ nonæ (ſi fieri poſſet) neque illic longiùs diſtat à Deo; neque hîc propinquior ipſi eſt: ſed appropinquatio ad*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*Deum conſiſtit in Apprehenſione ejus : Elongatio verò in eo, quòd ipſum quis ignoret, vel non intelligat.* Cap. 35. *Quemadmodum ſummè neceſſarium eſt, ut hæc doctrina in vulgo diffundatur, & in ea pueri initientur, quòd ſcil. Deus ſit unus, quòd nullus alius ſit colendus præter ipſum: ſic quoque non minùs neceſſarium eſt, ut per Cabbalam ipſis tradatur, quòd Deus non ſit corporeus* &c.

90. Ad th. 49. *nonnulli inter eos* ) Revius Staterae p. 24. *Alteram* (ſc. quæſtionem) *de diſtinctione animæ à corpore, non inter graviſſimas, ſed omnium leviſſimas meritò rejicimus. quod enim momentum habet ad tollendam ſcepticiſmum* &c. *ſi anima ſit diſtincta à corpore? ſed aliud agebat Carteſius. Animæ immortalitatem demonſtrare, aliter quàm quiſquam hactenus feciſſet, aggreſſus, vadimonium deſeruit, & ſolam ejus à corpore diſtinctionem, de qua nemo admodum dubitabat, aſſeruit.* R. 1. In Revio deprehenditur craſſa illa ignorantia, de qua prope finem cap. 9. hujus Defenſionis, cùm perſpicuè hîc prodat ſe quæſtionem hanc non melius intelligere, quàm ruſticus illam de quadratura circuli. 2. immortalitas animæ, niſi diſtinctione ejus à corpore perſpecta, demonſtrari nequit, vide ſuprà §. 57. 3. Diſtinctionem multi ex operationibus

aſſeruere, at quis ita validè per omnia? 4. Hæc diſtinctio Carteſiana methodo cognita eſt inter præcipua fulcra ſolidarum demonſtrationum, adeoque ſcientiæ, quæ Scepticiſmum omnem ab ima radice revellit. 5. Videatur etiam inſignis hujus diſtinctionis uſus lib. de Paſſionibus Animæ art. 2. ſqq. 6. Etiam ab iis qui doctiſſimi habentur mentes & corpora confundi, nec diſtingui, patebit ex cap. 36. th. 5. 6. & Notis ad eas.

## CAP. XXXV.

### Diſſertatio de illo effato Philoſophico: *oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt*.

PHiloſophus noſter paſſim in philoſophando urget *attentionem*, tanquam proram & puppim omnis inveſtigationis & progreſsûs in ſcientiis: ſpeciatim inter alia requirit, ut propoſitiones per ſe notas, quas apud nos inveniemus, quales ſunt: *quod idem non poſſit ſimul eſſe & non eſſe*, *quod nihil nequeat eſſe cauſa ullius rei*, & ſimiles diligenter expendamus, ſub finem Reſpp. ſecundd. poſt. 3. Poſtquam igitur ſpecimina Carteſianæ Philoſophiæ in materia maximè ardua, de Infantiæ

Præ-

Præjudiciis & Errorum Cauſis, exhibui, placet nunc ad magis popularia deflectere, & in quibuſdam effatis philoſophicis oſtendere, quanti momenti ſit attentionis illud præceptum, & quantum inde fructum percipiamus, ſi ita ad communia axiomata attendendo philoſophemur. Habui jam pridem complures ea de re diſputationes, ex quibus tres breviores huic Defenſioni annectam, præſertim quia non paucis placuêre, quos diſputationes de Præjudiciis magis philoſophicæ & ſubtiles non ita affecerunt. Quod nunc præ oculis habemus enunciatum, exſtat apud Ariſtotelem 3. Rhet. 2. παράλληλα τὰ ἐναντία μάλιστα φαίνεται; & nuſpiam non auditur in Scholis Logicis & Philoſophicis. Sed nos de illo aliis etiam indicta dicere jam incipiamus.

1. Quemadmodum cum lucro negotiaturo opus eſt ut monetæ teneat valorem, illius imprimis quæ in manibus omnium mercaturam exercentium verſatur: ita cum fructu Philoſophaturo ſummoperè eſt neceſſarium, ut illarum regularum uſum nôrit ac valorem quæ in ore cunctorum ſunt philoſophantium. Et ſicut regionem novam ingreſſo precium maximè vulgaris atque uſitatæ monetæ diſcendi prima ferè cura eſſe conſuevit: Ita Sapientiæ

ſtudium aggreſſuris haud videtur diſſuadendum, ut univerſalium & paſſim occurrentium axiomatum vim atque efficaciam prægustent. Atqui hoc ipſum cum vel primoribus labris à paucis fieri conſpiciatur, vitio mihi nemo vertet, opinor, quòd quomodofaciendum ſit diſquiſitionibus aliquot publicis inveſtigem.

2. Hac autem vice aſſumam πολυθρύλλητον illud: *ἀντικείμενα παράλληλα μάλιστα φαίνεται, Oppoſita juxta ſe poſita magis elucesſcunt*, quid valeat, quem præbeat uſum examinaturus.

3. Quid valeat breviter ita declaro: *Oppoſita*, ſive ſint contradicentia, ſive privantia, ſive relatè oppoſita, ſive contraria, ſive quocunque modo diſparata: *juxta ſe poſita*, ita ut in potentia cognoſcente, vel etiam loco, tempore, ſubjecto aliâve ratione ſimul exiſtant & conjungantur: *magis eluceſcunt*, id eſt, clariùs ſe cognoſcenda præbent, evidentiora fiunt.

4. Vſum habet primò in rebus Theologicis inque ſacrarum literarum lectione. Etenim dum Scriptura ait, oportere eſſe hæreſes, ut qui puri atque orthodoxi ſunt innoteſcant; item oportere eſſe tyrannos & afflictiones, ut patientia ac virtus proborum cognoſcatur; quid aliud vult, quam oppoſita, Deo ordinante, ideo juxta ſe poni, ut eluce-

ſcant magis? Eadem de cauſa jubet, ut tuam opponas vitam, tuos mores, tuos affectus, illi vitæ illiſque moribus, quos lex divina requirit, quò comperias veritatem illius Apoſtolici: per legem eſt agnitio peccati.

5. Sed vide quàm jucúndum ſit, iſtam in ſacris rerum oppoſitionem atque inde naſcentem ſpeculari claritatem! In uno Chriſto cœleſtis Pater & juſtitiæ inviolatæ & miſericordiæ inexhauſtæ demonſtrationem dedit. In maximo hominum crimíne maximum hominibus bonum exhibuit. Peccatum illorum, quo enormius aliud cogitari nullum poteſt, fuit quòd Principem gloriæ crucifixerunt. Inde tamen, ſuprema Sapientia directrice, ſummum ad homines beneficium, redemtio à peccatis, & æternæ præparatio vitæ, redundavit. Vt magis eluceſceret admirabilis providentia Dei, eodem tempore è ſterili anu naſci voluit baptiſtam Iohannem, quo ex intemerata virgine Chriſtum ſervatorem noſtrum.

6. Hic Servator in celebrioribus ſuis miraculis noſtram, de oppoſitis juxta ſe ponendis, viſus eſt obſervâſſe regulam, quoties enim illis Deum ſe eſſe demonſtravit, toties antecedente quadam infirmitatum ſignificatione verum etiam ſe hominem eſſe comprobavit. Iratos Maris fluctus componit ex profundo ſomno excitatus Matth.

VIII. 23. & ſeqq. Reddit auditum ſurdo ſuſpiriis priùs ex imo pectore ductis Marc. VII. 33. & ſeqq. Facit ut ficus exareſcat dum fame ipſe premitur Matth. XXI. 19. Lazarum à mortuis reſuſcitat emiſſis antè lacrymis Ioh. XI. 35. & ſeqq. Denique dum terram tremere, findi petras, aperiri ſepulcra facit, prius ipſe moritur Matth. XXVII. 50. ſeqq. Viden' ut Dominus noſter cum glorioſiſſimis Divinitatis ſuæ demonſtrationibus junxerit illas quæ Humanitatem arguebant! ut tantò evidentiùs utramque agnoſceres naturam, & indiſſolubili copulatas unione crederes.

7. Quî factum quòd poſterioris Hieroſolymitani templi adſpectus tanta alios lætitia complevit ut exſultarent, aliis verò ætate provectis lacrymas excuſſit Eſdr. III. 12. Nimirum qui non viderant priùs templum, non poterant comparationem inſtituere: at ſenes quoniam utrumque conſpexerant, oppoſitis juxta ſe poſitis, quanto illud intervallo hoc poſt ſe relinqueret perſpiciebant, & perſpicientes voce magna flebant. Similem ob cauſam Pſal. 137. ad flumina Babyloniæ ſedentes tum lacrymas effundebant amariſſimas, cùm Sionis recordarentur.

8. Ita valet axioma noſtrum in Scripturæ meditatione, inquiramus porrò, num

quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

quid utilitatis ferat naturam contemplanti. Eccur Deus ſic deerrare nonnunquam ſinit naturam, ut monſtra & deformitates producat? ut rectius dignoſcantur bene nata & formoſitates eorum eluceſcant. Terram nudat hyberno tempore, quam gramine & herbis veſtit æſtate. Si ſemper ita veſtita eſſet, nec triſtem aliquando monſtraret faciem, minus conſpicua foret iſta amœnitas. Tenebras immittit hemiſphærio noſtro, ut eò magis lucis intelligatur ac delectet pulchritudo. Denique in toto rerum naturalium ambitu contrariis, adverſis, pugnantibus juxta ſe invicem collocatis nihil magis obvium eſſe deprehenditur. Charta purè alba parvam contemplantibus voluptatem adfert; at variis atque oppoſitis imaginibus aut literis picta & recreat oculos intuentis & eximium ſcriptoris indicat artificium. Noluit rerum Conditor hoc Vniverſum partibus conſtare homogeneis ac ſimilaribus, ſed heterogeneis atque diverſis, ut chartæ nobis & libri vicem præſtaret, in quo æternæ veſtigia ſapientiæ legeremus.

9. Convertamus deinceps oculos ad morales diſciplinas, ut ex protrito iſto de Oppoſitis effato & mores emendari & politicorum aliquando detegi inſtituta cognoſcamus. *Aſperius nihil eſt humili cum ſurgit in altum*, nempe dum immemor eſt conditio-

nis priſtinæ, nec ſatis animo volvit quis fuerit antè. At ſi ductu regulæ noſtræ contrariam, quam prius expertus fuit, ſortem expendet ſedulò, eamque præſenti fortunæ opponet, tum verò modeſtiùs ſeſe geret, & illius Siculorum tyranni, hac quidem in parte laudandi, factum imitabitur, de quo ad rem præſentem apprimè facientes exſtant Auſonii verſus:

*Fama eſt fictilibus cœnâſſe Agathoclea regem,*
*Atque Abacum Samio ſæpe oneraſſe luto:*
*Fercula gemmatis cum poneret aurea vaſis,*
*Et miſceret opes pauperiemque ſimul.*
*Quærenti cauſam reſpondit: Rex ego qui ſum*
*Sicaniæ, figulo ſum genitore ſatus.*
*Fortunam reverenter habe quicunque repente*
*Dives ab exili progrediere loco.*

10. Huc etiam pertinet, quod curru quo triumphator apud Romanos vehebatur, etiam ſervus vehebatur quidam, ut ille moneretur, conditionem ſuam vel in abjectiſſimam poſſe mutari, ut Tertullianus loquitur.

11. In vita Tiberii Suetonius refert, tradidiſſe aliquos, Auguſtum ambitione tractum adoptâſſe Tiberium, ut tali ſucceſſore deſiderabilior ipſe quandoque fieret. Quod

Quod ſi ita eſt, quid aliud egit Auguſtus, niſi ut virtutes ſuas commendaret poſteritati atque illuſtriores redderet contrariorum in Tiberio vitiorum oppoſitione? Novimus interim aliud de Auguſto, digniuſque Principe tanto, hiſtorici eſſe judicium.

12. Verùm ut ut alia fuerit mens Auguſti, axioma certè noſtrum obtinuiſſe locum eventus docuit; ut generatim Plautus bene dixerit: tum demum omnes noſtra intelligimus bona, cùm quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus. Et Boëtius: infeliciſſimum genus infortunii fuiſſe felicem. Et Seneca: lætiores fortuna relinquit quos nunquam reſpexit; quàm quos deſeruit. Et Cicero: bona valetudo jucundior eſt iis qui è gravi morbo recreati ſunt, quàm qui nunquam ægro corpore fuerunt. Et Theophilus Inſtit. lib. 2. tit. 9. cauſam reddens conſtitutionis alicujus: non tam moleſtum eſt, nihil acquiſiviſſe, quàm cum acquiſiveris, id tibi auferri. Omnia hæc ideo, quia ſi bona & mala ſunt experti homines, tum demum ea comparare inter ſe, & opponere poſſunt, quod dum faciunt, clariùs ab intellectu percipiuntur, majorique animum lætitiâ vel dolore afficiunt. Hinc multi neſciunt quales fuerint, niſi tales eſſe deſierint; neque nôrunt bona ſua, niſi aliam fuerint experti ſortem, neque commoda patriæ

agno-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

agnoſcunt, niſi exteras inviſerint regiones; ut vel hoc nomine peregrinationes ſint commendandæ. Hinc quos præſentes parvi ſæpe facimus amicos, eos abſentes avidè deſideramus, ſimilique ratione alibi ex privationis incommodo habitûs dignitatem æſtimamus, ac vice verſa. Hæc talia conſideranda ſociis proponit Æneas, quando his eos verbis ſolatur Æneid. 1.

*O ſocii (neque enim ignari ſumus ante malorum)*
*O paſſi graviora, dabit Deus his quoque finem:*
*Vos & Scyllæam rabiem penituſque ſonantes*
*Accêſtis ſcopulos, vos & Cyclopea ſaxa*
*Experti, revocate animos mœſtumque timorem*
*Mittite: forſan & hæc olim meminiſſe juvabit.* &c.

13. Multi viri, de quibus hiſtoriæ loquuntur, nunquam ita virtutibus inclaruiſſent, niſi vitiis alii eodem ferè tempore fuiſſent inſignes. Nec adeo eſſent doctrina celebres alii, niſi barbaro ſeculo aut inter indoctos vixiſſent. Scitum eſt Arabum proverbium: (Adagium eſt ſexageſimum in iis quæ Grammaticæ Thom. Erpenii adjecta) niſi deſiperet ſtultus, non cognoſceretur prudentia ſapientis. Livius in fine libri 24. refert, centuriones Romanos ad Syphacem

Nu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

Numidarum regem tres legatos miſiſſe, qui cum eo amicitiam ſocietatemque facerent. Et mox ſubjungit: grata ea legatio barbaro fuit: collocutuſque cum legatis de ratione belli gerendi, ut veterum militum verba audivit, quàm multarum rerum ipſe ignarus eſſet ex comparatione tam ordinatæ militiæ animadvertit. Hactenus ille.

14. Pergamus ad alia exempla axiomatis noſtri. Quò purius & candidius eſt linteum eò citiùs evidentiuſque macula, ſi quam fortè contrahat, in eo apparet. Ita quò viri ſunt excellentiores, eò vitia eorum manifeſtiora redduntur:

*Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe*
*Crimen habet, quantò qui peccat major habetur.*

15. In Rhetoricis quid oratione illuſtrius quæ contraria jungit? Hinc παραδιαστολή: non ſapiens, ſed aſtutus; non fortis, ſed audax. Hinc ἀντίθετον: Caligulâ neque melior unquam ſervus neque deterior dominus fuit. Hinc ἀντιμετάθεσις: edere oportet ut vivas, non vivere ut edas. Hinc ὀξύμωρον: quiſquis ubique habitat, maximè nuſquam habitat.

16. Et mercatores norunt uſum regulæ noſtræ, quando candidiſſimo linteo nigrum pannum ſupponunt. Et nos eadem de cauſa colore ad ſcribendum utimur atro & charta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

charta alba. Et ideo diſputamus in ſcholis, ut antitheſes theſibus opponendo vera inveniatur aut inventa illuſtretur ſententia. Et ideo in conſiliis capiendis contraria rerum initia, contrarios eventus ac ſucceſſus conſideramus, perſonas, caſus, loca ac tempora diverſa inter ſe conferimus, nova cum antiquis, præſentia cum præteritis, ideam Platonis cum fæce Romuli, quæ fieri debent cum iis quæ fieri ſolent comparamus, ut oppoſitis juxta ſe poſitis prudentiæ habitum acquiramus. Atque in eo & axiomatis noſtri praxin & uſum hiſtoriæ non minimum poſitum eſſe judicamus.

17. Adderemus etiam, ab omnium artium ac diſciplinarum doctoribus noſtram obſervari regulam, quatenus v. g. Ethicus ut virtutum meliorem ſibi comparet intelligentiam, de oppoſitis etiam vitiis tractat; & Metaphyſicus ut Entis cognitionem accuratiorem adipiſcatur, oppoſitum non ens conſiderat. Hæc & ſimilia adderemus, niſi hujus generis exempla propè ſola eſſent, quæ vulgò ad explicationem regulæ illius adferri conſueverunt.

18. Iam Philoſophi eſſet, ex natura tum rerum intellectarum, tum mentis intelligentis eruere rationes, cur oppoſitorum juxta ſe poſitio vim tantam habeat res illuſtrandi. Sed id operis acroamaticis reſervo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ſervo lectionibus. Hactenus poſita exoterica ſunto.

## *Alia exempla.*

19. Cart. Med. tert. p. 21. *Qua ratione intelligerem me dubitare, me cupere, hoc eſt aliquid mihi deeſſe, & me non eſſe omnino perfectum, ſi nulla idea entis perfectioris in me eſſet, ex cujus comparatione defectus meos agnoſcerem?* Confer cum th. 4. *tuam opponas vitam* &c.

20. Vt clariùs nobis eluceat exiſtentia Dei, per ideam Dei quæ in nobis eſt demonſtrata, vult ut hanc ideam opponentes aliarum omnium rerum ideis attendamus, *nullius alterius rei ideam apud nos inveniri, in qua eodem modo neceſſariam exiſtentiam contineri animadvertamus.* P. I. 15.

21. Dum procedit à cognitione Dei ad rerum ab eo creatarum explicationem, cautelam maximè neceſſariam proponit, ex oppoſitione Dei & Noſtri deſumtam, *ut ſemper quàm maximè recordemur, & Deum autorem rerum eſſe infinitum, & nos omnino finitos.* P. I. 24. Atque inde porrò utiliſſimas in philoſophando regulas elicit articulis ſeqq.

22. Vt clarè cognita ab iis in quibus falli poſſumus accuratè diſcernamus, vult ut opponamus perceptionem magnitudinis, figuræ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

guræ &c. perceptioni coloris, doloris &c. P. I. 69. & generatim diſtinctè per Philoſophiæ principia cognita opponamus *iis quæ confuſiùs antea cogitabamus* P. I. 75.

23. Med. quarta pag. 30. ait ſe *non poſſe negare quin major quodammodo perfectio ſit in tota rerum univerſitate, quòd quædam ejus partes ab erroribus immunes non ſint, aliæ verò ſint, quàm ſi omnes planè ſimiles eſſent.* Ad hæc illuſtranda Reſpp. quint. ad Med. quart. §. 2. inſtituit comparationem *inter eum qui vellet totum humanum corpus oculis tegi, ut elegantior appareret, quia nulla ejus pars oculo pulchrior videtur, & eum qui putat nullas creaturas in mundo errori obnoxias, hoc eſt non planè perfectas eſſe debuiſſe*, Confer hæc cum th. 8. *deerrare nonnunquam ſinit naturam* &c.

24. Ad eandem theſin octavam refer illum Platonis locum initio Phædonis: *Quàm mira videtur, ô viri, hæc res eſſe, quàm nominant homines voluptatem, quamque miro naturaliter ſe habet modo ad dolorem ipſum, qui ejus contrarius eſſe videtur. Quippe cum ſimul homini adeſſe nolint. Attamen ſi quis proſequitur capitque alterum, ſemper ferme alterum quoque accipere cogitur, quaſi ex eodem vertice ſint ambo connexa. Arbitror equidem Æſopum*

*ſi hæc*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*ſi hæc animadvertiſſet, fabulam fuiſſe facturum: videlicet Deum ipſum cùm ipſa inter ſe pugnantia vellet conciliare, neque id facere poſſet, in unum ſaltem eorum apices conjunxiſſe, propterea que cuicunque adſit alterum, eidem mox alterum quoque adeſſe. quod quidem mihi accidit in præſentia. Siquidem modo crus propter vincula afficiebatur dolore, ſed huic ſuccedere voluptas jam videtur.* Verba ſunt Socratis in carcere philoſophantis.

25. Cauſam hujus rei quam admirabatur Socrates (ut hoc obiter adjiciam) Carteſius docuit P. IV. 191. his verbis: *cùm iſti nervi ſolito vehementiùs agitantur, ſed ita tamen, ut nulla læſio in corpore inde ſequatur, hinc fit ſenſus titillationis, menti naturaliter gratus, quia vires corporis, cui arctè conjuncta eſt, ei teſtatur; ſi verò aliqua læſio inde ſequatur, fit ſenſus doloris. Atque hinc patet, cur corporea voluptas & dolor tam parum diſtent ab invicem in objecto, quamvis in ſenſu contrarii ſint.*

26. Ad th. 12. *ex privationis incommodo habitus dignitatem)* Piccolomin. Philoſoph. Mor. grad. ſept in fine cap. 21. *Hoc experimur; quod, dum amici conſuetudine, per dies aliquot privamur, mox dulciùs eâ fruimur; privatio enim id eſt, per quod poſſeſſio rerum nobis redditur dulcior & jucundior:*

*dior: Inſuper vera quoque eſt ſententia illa relata & approbata ab Ariſt. in 7. de repub. cap. 7.* Fratrum & amicorum diſſenſiones eſſe graviſſimas, nec injuriâ profectò: *nam à quibus juvari ſe beneficio oportere exiſtimant, quoſque judicant teneri id efficere, ab eis tum lædi, tum beneficio privari ſummoperè ægrè ferunt: & maximè quidem indignantur, dum ipſi vehementer amant, & vice verſa ſe amari non percipiunt. Inde quoque ortum ducere putandum eſt, quod, qui valdè amant, mox valdè odio proſequuntur; nam vehementer indignantur, & oppoſita in eodem nata ſunt fieri.* Vides hæc omnia ex oppoſitorum juxta ſe poſitione contingere.

27. Ad eandem th. ſpectat illud Horatii Carmin. lib. 3. od. 24. *Virtutem incolumem odimus, ſublatam ex oculis quærimus invidi.* Et illud Cæſaris 1. de Bello Gallico: *Conſuêſſe Deos immortales, quò graviùs homines ex commutatione rerum doleant, quos pro ſcelere eorum ulciſci velint, his ſecundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere.* Refer. ad illa: *multi neſciunt quales fuerint* &c.

28. Ex oppoſitionis conſideratione etiam evenit, quòd viri parvæ ſtaturæ à longurionibus contemnantur, de quo Cæſar de Bello Gall. lib. 2. *pleriſque hominibus Gal-*

*lis*

*lis præ magnitudine corporum ſuorum, brevitas noſtra contemtui eſt.* Plinius in Panegyr. *Corpora qualibet ardua & excelſa procerioribus admota decreſcunt.* Ita viri in tenui municipio illuſtres, ubi ad metropolim venerint, turbæ ferè immiſcentur. Vide proverbium: *Purpura juxta purpuram dijudicanda*, in Adag. Eraſmi tit. Iudicandi rectè, ſecus.

29. Ad th. 14. *omne animi vitium tantò conſpectius)* Hinc Iſaacus Caſaubonus illud fuit ſolitus uſurpare: *Tanto piu manifeſtaſi il peccato, quanto piu il peccatore è in alto ſtato*; referente Chriſtophoro Dalby ex ſuo hodœporico.

30. Ad th. 16. In præceptorum divinorum doctrina explicatur ſimul, & quid Deus mandet, & quid prohibeat. Controverſiæ traduntur per theſin & antitheſin. Apud Herodotum in Polymnia gravis occurrit Artabani ſententia: *Rex, niſi diverſæ inter ſe ſententiæ dicantur, non poteſt quis eligere meliorem, ſed neceſſe habet ea quæ dicta eſt uti. At cùm plures dictæ ſunt, licet tanquam aurum purum deligere: quod per ſe diſcerni cum nequeat, comparatum cum altero diſcerni poteſt.* Vide reliquum ibi egregium ſermonem; & prudentis Viri è præteritis conjecturam ſagaciſſimam.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

## CAP. XXXVI.

### *De illo*: Omnis natura eſt conſervatrix ſui, *ſeu, nihil tendit ad ſui ipſius deſtructionem.*

1. AXioma capiti huic præſcriptum Cicero variis in locis uſurpat, ut 5. de Finib. *Omnis natura eſt conſervatrix ſui*, 4. de Finib. *Omnis natura vult eſſe conſervatrix ſui, & ut ſalva ſit, & in genere conſervetur ſuo.* Quamvis autem ipſe ſæpe illud ad hominem & animalia applicare deprchendatur, verb. grat. 3. de Finib. *ſeipſos omnes naturâ diligunt.* 4. de Finib. *Omne animal ſimul atque eſt ortum, applicatur ad ſe diligendum, eſtque in ſe conſervando occupatum*, item: *omne animal ipſum ſibi commendatum eſt, ut ſe & ſalvum in ſuo genere, incolumeque eſſe velit.* item: *Omne animal ſeipſum diligit: ac ſimul ut ortum eſt, ita agit, ſe ut conſervet* &c. Si tamen conſideremus elogia quibus Philoſophi *naturam* nobis deſcribunt (*quod ſedula, vigilantiſſima, continenter operi intenta ſit, quòd nihil fruſtra agat, intendat id quod eſt perfectiſſimum, ſemper eodem modo agat & retineat jura*

*ſua nec ea mutet* &c.) nihil prohibebit, quò minùs effatum illud ad omnes naturas creatas extendamus; & ſi quidem noſtimus illud affirmativè cum Cicerone efferre *conſervandi* vocabulo, poterimus minori cum erroris confuſioniſve periculo negativè cum Carteſio P. I I. 37. *nihil ad ſuum contrarium ſeu ad deſtructionem ſui ipſius ex propria natura ferri poteſt*, aut cum Platone in Phædon. *contrarium ſibimet contrarium fieri nunquam.* Neque ad creatas duntaxat naturas, verùm ad ipſam etiam increatam hoc effatum licebit accommodare, quando & Philoſophus noſter de Deo loquens ait, *ipſum eſſe qui ſe revera conſervet* Reſpp. 1. pag. 57. & alibi: quanquam diligenter monet, *non intelligi conſervationem quæ fiat per poſitivum ullum cauſæ efficientis influxum, ſed tantùm quòd Dei eſſentia ſit talis, ut non poſſit non ſemper exiſtere.* Nam de rebus Metaphyſicis planiùs mentem ſuam expreſſuris multa neceſſitate extorqueri vocabula (ut, quando ens definiunt, quod *habet* eſſentiam, quando Deus *dicitur* habere naturam divinam &c.) quæ tranſcendentaliter, ut loquuntur, & ſine omni imperfectionis notatione accipienda eſſe omnes earum non penitus ignari ſciunt, ut mirum ſit quod Carteſianam phraſin tole-

rare nequeant. Itaque latiſſimo communiſſimoque ſenſu propoſitum axioma interpretabimur proque Metaphyſico ac tranſcendentali habebimus uti jam fecimus ante aliquot annos Element. Ontoſophiæ aph. 74.

2. *Omnis natura*, ſive ſit cognitionis & intellectus expers, ut rerum merè corporearum, ſive intellectualis ſit, ut hominis. Eſt conſervatrix *ſui*, id eſt, omnium ſuarum affectionum, perfectionum, attributorum. Quo verò modo *conſervatrix eſſe* dicatur, diſtinctè exponendum eſt de re corporea intellectus experte, ac de eâ quæ eſt intellectus particeps.

3. Et de corporea quidem natura non alio ſenſu id accipi volumus, quàm quatenus unaquæque res, ut ſimplex eſt & indiviſa, quantum in ſe eſt, in eodem ſemper magnitudinis, figuræ, ſitus, motus, quietis ſtatu permanet, neque mutatur unquam niſi à cauſis externis. Cart. P. II. 37. Manere rem dico, in quantum ſimpliciter in tali ſtatu, in quali eſt, perſiſtit ac durat, non autem quòd cum notitia & voluptate aut voluntate aliqua conetur ſic perſiſtere. Talia enim in rebus corporeis, quarum eſſentia tota poſita eſt in extenſione in longum, latum & profundum, concipere non licet.

4. Vn-

4. Vnde liquet, impropriè hic uſurpari ſervandi aut conſervandi vocabulum, quippe quod in rebus cogitatione & appetitu donatis propriè adhibetur. Sed vulgo, res plus quam toto cœlo diſtantes confundere ac de rebus extenſis perinde ac de cogitantibus & ſentire & loqui aſſueto, condonandæ ſunt ejuſmodi loquendi formulæ.

5. Illis verò qui aliis ad ſapientiam prælucere aut accurati præ reliquis videri ſtudebant, ut loqui fortè eodem modo licuerit, ſentire certè idem non licebat. Talis fuit ex innumeris Vir celeberrimus Daniel Sennertus Hypomn. Phyſ. 1. cap. 5. ita ſcribens: cùm res quælibet ſui conſervationem poſtulet; eam conſequitur cum fuga contrariorum, tum motu ad ſimilia, & ſimilium attractione. Hinc ignis igni unitur, aquam vero, ut contrarium, fugit, & contrà. Hinc aqua in aërem vel pulverem effuſa vel ſparſa ſeſe in guttulas globoſas cogit, ut ſe à terra & aëre tueatur. Hinc parva flamma à majore velociſſimè attrahitur, aut minor ad majorem movetur. Idem fit in aëre. Hinc bullæ illæ, quæ in aquâ fiunt, una ad aliam appellit, & eò velociùs, quò propior fuerit. Et poſt pauca: ut appetitus quidam naturalis, quem vulgò inſtinctum naturalem vocant, datur: ita etiam datur

cognitio aliqua naturalis, à ſenſu & intellectu diſtincta. Nihil enim poteſt aliquid appetere, ut gratum, vel fugere, ut ingratum, niſi cognitione aliqua naturali illud gratum & ſibi conveniens, hoc ingratum, & ſibi non conveniens eſſe cognoſcat. Nihil enim appetitur, niſi quod prius agnoſcitur. Hâc cognitione plantæ alimentum ſibi conveniens agnoſcunt, appetunt, & ad ſe trahunt; quod verò ſibi conveniens non eſt, relinquunt, aliud in corticem, aliud in fructum convertunt.

6. Pulchra hæc multis videbuntur axiomatis noſtri ſive exempla ſive teſtimonia, ut viſa nobis olim ſunt pulcherrima, cùm res extenſas & cogitantes non diſtingueremus. Sed jam rejicere cogimur, ſi non aliâ de causâ, certè ideò, quòd rebus, quarum tota eſſentia eſt, extenſum eſſe, cogitationem & appetitum affingunt, neque cogitationem tantùm, ſed intuitivam quaſi cognitionem quandam: quæ ſi rebus iſtis ineſt, multò perfectiores ipſo fuerint homine: Neque enim huic datum eſt, ut res omnes ſibi convenientes aut diſconvenientes ſimplici mentis intuitu contempletur.

7. At juxta ſenſum tertiâ theſi expoſitum, axioma noſtrum inſignem habet in univerſa *Phyſica* uſum, atque ex eo tollitur gran-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

grande illud hominum præjudicium, quòd omnia vel ſaltem pleraque quæ moventur, ad quietem tendant & ſua ſponte moveri deſiſtant. Nam cùm res in eodem ſemper ſtatu maneat, in quo ſemel eſt poſita, nemo debet arbitrari, rem quæ movetur, motum ſuum unquam intermiſſuram, niſi ab alio impediatur, & concludendum potiùs inde eſt, id quod movetur, quantum in ſe eſt, ſemper moveri Cart. P. II. 37.

8. At quia hîc verſamur circa terram, cujus conſtitutio talis eſt, ut motus omnes qui prope illam fiunt, brevi ſiſtantur, & ſæpè ob cauſas quæ ſenſus noſtros latent, ideo ab ineunte ætate ſæpe judicavimus eos motus, qui ſic à cauſis nobis ignotis ſiſtebantur, ſua ſponte deſinere: Iamque proclives ſumus ad illud de omnibus exiſtimandum, quod videmur in multis eſſe experti, nempe illos ex natura ſua ceſſare ſeu tendere ad quietem: Quod profectò regulæ, quam impræſentiarum tractamus, quàm maximè adverſatur. Quies enim motui eſt contraria, nihilque ad ſuum contrarium ſeu ad deſtructionem ſui ipſius ex propria natura ferri poteſt. Cart. ibid.

9. Sed videamus deinceps, quam habeat efficaciam axioma noſtrum in rebus intellectu & ratione præditis, de quibus propriè dicere poſſumus, quod ſui ſint conſerva-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

trices. Ita aſſerimus, omni homini (pro quo Cicero lib. 1. off. generi animantium omni) à natura attributum eſſe, ut ſe, vitam corpuſque tueatur, declinet ea, quæ nocitura videntur, omniaque quæ ſint ad vivendum neceſſaria, acquirat & paret.

10. Hinc ergo hortos & agros colere, pecudes curare, victum inde & amictum ſibi comparare, domos ſtruere didicere mortales, ut vitam conſervarent, & ab injuriis cœli, à beſtiarum incurſu ſe tutos præſtarent. Vnde *artes veſtiariæ*, *ædificatoriæ & aliæ innumeræ* originem ſuam accepêre. Cumque non ferret omnis omnia tellus, nec uni cuncta data eſſent homini, quibus indigebat, *mercatura* & rerum permutatio eſt introducta & *navigandi ars* reperta &c.

11. Ejuſdem axiomatis veritas *Medicinam* nobis peperit, quæ præſentem ſanitatem conſervare & amiſſam docet reſtituere.

12. Verum ut minùs crebrò in manus Medicorum incidas, *Ethica* ex noſtro axiomate te hortatur ad ſobrietatem & temperantiam, ut conſervandæ mentis ac ſanitatis medium ſaluberrimum. Dehortatur eadem ex eodem principio ab αὐτοχειρίᾳ & voluntaria corporis mutilatione aut duriore vexatione, cujus merito Flagellantes in Papato cœlum ſibi ſpondent. Dehortatur à prodigalitate & luxu & monet cum Catone,

ut

ut rem tuam cuſtodias. Hortatur ad ſinceros amicos conquirendos, qui præſidio nobis ſint, auxilio & ſolatio.

13. Neque verò ex illius veritatis dictamine ſocium modò, ſed ſociam quoque vitæ ſibi adſciſcit homo, & adeo ad ſui conſervationem & perpetuitatem adſpirat, ut quam in individuo ſive in ſe obtinere nequit, in ſpeciei propagatione & in filiis quæſitum eat. Quin & ſervos ſibi atque ancillas legit, ad ſui & ſuorum conſervationem eò commodiùs procurandam. Et ſic videre licet, quomodo ductu regulæ noſtræ ortæ fuerint ſocietates domeſticæ, conjugalis, paterna & herilis, de quibus agitur in *OEconomicis*.

14. Iam cur à domeſticis ad civiles inſuper ſocietates ſe converterunt homines, cur ad urbes muris atque aggeribus muniendos concurrerunt, niſi conſervandi ſui ſtudio? Et cur bellum (quo ſæpè lites dirimunt) in jure naturæ fundatum eſſe *Politica* docet, niſi quod eadem natura ſui & ſuorum defenſionem probat? Hinc Thomas Hobbes in Elementis Philoſophicis de Cive cap. I. §. 7. Inter tot pericula, inquit, quæ quotidie à cupiditate hominum naturali unicuique eorum intenduntur cavere ſibi adeo vituperandum non eſt, ut aliter velle facere non poſſimus. Fertur enim unuſquiſ-

que ad appetitionem ejus quod ſibi bonum, & ad fugam ejus quod ſibi malum eſt, maximè autem maximi malorum naturalium, quæ eſt mors; idque neceſſitate quadam naturæ non minore, quàm qua fertur lapis deorſum. Non igitur abſurdum neque reprehendendum, neque contra rectam rationem eſt, ſi quis omnem operam det, ut à morte & doloribus proprium corpus & membra defendat, conſervetque. Quod autem contra rectam rationem non eſt, id juſtè & jure factum omnes dicunt. Neque enim juris nomine aliud ſignificatur, quàm libertas, quam quiſque habet facultatibus naturalibus ſecundùm rectam rationem utendi. Itaque juris naturalis fundamentum primum eſt, ut quiſque vitam & membra ſua quantum poteſt tueatur. Quoniam autem (ſic pergit §. 8.) Ius ad finem fruſtra habet, cui jus ad media neceſſaria denegatur, conſequens eſt, cùm unuſquiſque ſe conſervandi jus habeat, ut unuſquiſque jus etiam habeat utendi omnibus mediis, & agendi omnem actionem, ſine qua conſervare ſe non poteſt.

16. Vis ut eadem tibi ulteriùs *Iuriſprudentia* confirmet, inſpice l. 3. de juſt. & jure: Iure hoc evenit, ut quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, jure fe-

ciſſe

ciſſe exiſtimetur. l. 4. in fine pr. ad L. Aquil. adverſus periculum naturalis ratio permittit ſe defendere. l. 6. de pignorib. In hypothecâ generali veſtis debitori eſt relinquenda, quia non eſt veriſimile debitorem hanc ſpecialiter obligaturum. Rationem adferes illius veriſimilitudinis ex noſtro axiomate, nempe quod quiſque ſuum ipſius corpus foveat ac tueatur, adeoque non præſumatur illud frigore vel injuriâ cœli enervari voluiſſe: Sed videatur omninò Weſenbecius Comment. in Dig. lib. XXII. ad tit. 3. de probat. & præſumpt. ubi agens de materia præſumptionum ex jure probat, quod præſumatur quodlibet accidens in eodem, in quo ſemel fuit, ſtatu perſiſtere, niſi contrà probetur mutatio, ut durare patriam poteſtatem, vide cætera, & conſidera quàm hæc congruant cum iis quæ theſi tertia & ſeptima ex Phyſicis dicebamus.

16. Tandem ſi *Theologiam* adeas, elegantem cernes SS. literarum cum ſuperiùs dictis harmoniam. Paulus ait Epheſ. v. 29. Nullus unquam ſuam ipſius carnem odio habuit, ſed nutrit ac fovet eam. Idem 1. Timoth. v. 8. Quod ſi quis ſuis & maximè domeſticis non providet, fidem abnegavit, & eſt infideli deterior (ſcilicet quia & hunc natura docet ſui & ſuorum conſervationi eſſe

invigilandum) & verſ. 27. monet Timotheum, ne amplius ſit abſtemius, ſed vino pauculo utatur, propter ſtomachum ſuum & crebras ſuas infirmitates. Non ovum ovo ſimilius eſt quàm hæc ſunt conformia præcedentibus, neque veſtigia magis plantam pedis referunt, quàm iſta univerſa regulam noſtram exprimunt.

17. Vidimus utilitatem axiomatis in artibus ac diſciplinis, quas vel procreavit vel quarum dogmata confirmat aut illuſtrat: conſideremus eandem veritatem in diverſis hominum ætatibus. In *prima ætate* mens noſtra non aliis cogitationibus vacat, quàm iis quæ ad corporis commodum aut incommodum faciunt & ad hujus utilitatem & conſervationem omnia refert. Vnde parentes qui nutriunt & nutrimentum ipſum primò nominare ſueſcit infans, ut, licet dentes nondum habeat, labia tamen contorqueat ad voces papa, mamma pap/ mām/ & ſimiles efformandas.

18. *Maturioribus annis* qui capiſtro maritali collum non alligant, nec liberorum procreatione ſuorum, aut alienorum adoptione, perennitatem ſibi conciliare ſtudent, diverſis tamen aliis viis rationibuſque, alii per opera manuum, alii per opera ingenii & eruditionis, alii fundatione Scholarum, Templorum, Collegiorum,

rum, Monaſteriorum, Pyramidibus, ſtatuis, imaginibus, aliiſve monumentis immortalem nominis famam, atque in ea ſui quandam conſervationem aſſequi laborant. Ipſi illi Philoſophi, etiam illis libellis, quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt, & in eo ipſo, in quo prædicationem nobilitatemque deſpiciunt, prædicari de ſe ac nominari volunt, Cic. pro Archia. Qui verò filios procreant, ut ſemet ipſos eò magis in illis conſervent, nomen ſuum iis indunt, (etiam adoptati adoptantium nomina apud Romanos aſſumebant.) ſuccedere eos in paterno imperio, officio, vitæ genere optant, lætantur denique, ſi mores ſuos in illis renaſci conſpiciant.

19. Quando jam gravi *ſenectute* premitur ac debilitatur exhauſtum corpus & variis cum morbis ac miſeriis luctatur, adhuc ſui conſervandi ſtudio tenetur homo. Audi enim quid fabula memoret: Senex olim inciſa à ſe ligna ferens, multam ibat viam, nimioque præ labore, depoſito in loco quodam onere, Mortem invocabat. Verùm Mors cùm accederet, cauſamque ob quam vocaret ſe, exquireret, timore ſubito correptus ſenex, ut meum onus, inquit, tollas. Solet etiam ad avaritiam ſenum denotandam crebrò illud uſurpari,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

quòd eò plus viatici ſemper petant, quò itineris termino ſunt propinquiores: ex quo diſcitur, noſtri conſervandi conatum non niſi cum vita ipſa deſinere.

20. Et nos, utilitate axiomatis & efficacia in omnibus diſciplinis atque ætatibus hominum indicata, hîc deſinamus, objectiones ſilentii ſupparo tantiſper involventes, dum ab oppoſituris retegantur. Summa rerum faſtigia delibavimus, demonſtrationem axiomatis Metaphyſicam omiſimus, iterumque hîc, ut antè alibi, ad exemplum boni imperatoris, veteranis miſcuimus recens lectos milites. Diſcernet eos ſapiens, & condonabit facilis, veniam petentibus nobis occupationis noſtræ, & ſcientes & neſcientes quod peccavimus.

## *Notæ ad* CAP. XXXVI.

21. Ad th. 3. *ſtatu permanet*) Quomodo hanc regulam ex immutabilitate Dei probet Carteſius videbimus in Defenſione Principiorum: nunc ſolùm annotabo quod Majemonid. M. N. p. 1. cap. 67. ad illud Gen. 2. *quievit die ſeptimo*, obſervat: *Reliquit die ſeptimo omnia Entia in eo loco & ſtatu, in quo tum erant, & in quo nunc ſunt, ut ſenſus ſit; unoquoque die è ſex præ-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*præcedentibus, innovata & creata eſſe quædam Entia hujus rerum univerſitatis, quam oculis noſtris conſpicimus: die verò ſeptimo omnia relicta eſſe in hoc ſtatu, quo nunc apparent.*

22. Ad th. 4. Quia plurimum intereſt res cogitantes & extenſas rectè diſtinguere, & quia rectiùs diſtinctionem illam percipimus, ſi quomodo res illæ tantoperè differentes ab aliis confundi ſoleant attendamus, ideo plura hîc exempla proponam, quibus oſtendatur, rebus extenſis cogitationem affingi, etiam à viris doctis, quemadmodum in ſuperioribus exempla protulimus, quibus oſtenſum fuit, extenſionem rebus cogitantibus affingi. Ita oppoſita juxta ſe poſita magis elucebunt, ex canone ſuperiori capite tractato, & hujus diſſertationis axioma à ſiniſtro intellectu & perverſa applicatione liberabitur.

23. Ad th. 5. *ex innumeris*) Aliquos propter rationem jam dictam enumerabo. Valerius de Valeriis in Art. Lullii, titulo de Sapientia vel cognitione: *Non eſt in dubium revocandum, an entia omnia verè cognoſcant, quoniam eſt Sole clarius, hæc tantùm tria verè cognoſcere, Deum ſcil. Angelum, & Rationalem Animam. Sed ſi de quacunque cognitione fiat quæſtio, pars affirmativa procul*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*dubio debet defendi, quia entibus omnibus aliquæ operationes non repugnant, quæ ſemper cognitionem præſupponunt aliquam. Nec aliquod ens poteſt inveniri, quod omni careat appetitu, cùm ſaltem finis appetitum habeat, & appetitus cognitionem præſupponat. Omnia igitur entia cognitionem quandam habent, quæ aptè Naturalis vocatur.* Idem Author. tit. ſeq. de Voluntate vel Appetitu: *Et naturalis eſt* (ſcil. appetitus) *quia naturalem præſupponit cognitionem, quæ longè meliùs Dirigentis cognitio poteſt nominari, Dei ſcilicet benedicti, omnia in ſuos fines producentis.*

24. Sebaſtian. Baſſon. Philoſoph. Natural. lib. 1. intent. 2. art. 1. *Ergo quod volebam, forma tali appeditu fertur in ſui corruptionem cui univerſa rerum natura reclamat, in qua nihil videas quod pro ſui conſervatione non laboret. Si catulus fame preſſus in aquam deturbetur, adverſus fluctuum vim ad extremum ſpiritum decertat. Guttulæ aquæ ſe in orbem cogunt, ut adverſus aërem ſe tueantur. Ignis in unum ſe recipit, contra vim frigoris certaturus. Quæ igitur iſthæc Philoſophia, quæ res ipſas in proprium exitium proprio appetitu ferri docet?*

25. Iul. Cæſ. Scaliger Exercit. de Subtil. V. ſect. 8. *Si ſuper ſolidiorem tabulam olei aliquantulum ponas: idque ubi paulu-*
*lum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*lum fuſum fuerit, prunam in medio impo-nas, mira celeritate videbis illud fuga dif-fundi ac dilatari, ut ne ab hoſte conſumatur.* Item exerc. IX. in fine: *Vnicuique enti in-ſita eſt appetitio infinitatis atque æternita-tis* &c. *Itaque illud valdè abhorret à veri-tate, Ipſum* (ignem) *ſeſe ſponte corrumpere* &c. *Appetit verò non ſolùm eſſe, verùm et-iam ſupereſſe.*

26. Bacon de Verulam. de Augm. ſcient. lib. 4. cap. 3. pro fin. *Differentiam inter* Perceptionem & ſenſum *bene enucleatam debuerunt Philoſophi Tractatibus ſuis de* Senſu &c. Senſibili *præmittere, ut rem ma-ximè fundamentalem. Videmus enim quaſi omnibus Corporibus Naturalibus, ineſſe vim manifeſtam* Percipiendi; *etiam electionem quandam amica amplectendi, inimica & a-liena fugiendi. Neque nos de ſubtilioribus* Perceptionibus *tantùm loquimur; veluti cùm magnes ferrum allicit; flamma ad naph-tham aſſilit, bulla bullæ approximata coït, radiatio ab objecto albo diſſilit, corpus ani-malis utilia aſſimilat, inutilia excernit, ſpon-gia pars (etiam ſuper aquam elevata) aquam attrahit, aërem expellit, & hujuſmodi, et-enim quid attinet talia enumerare? Nullum ſiquidem corpus ad aliud admotum, illud immutat, aut ab illo immutatur, niſi ope-rationem præcedat* Perceptio *reciproca.* Per-

cipit

cipit *corpus meatus quibus ſe inſinuat*, percipit *impetum alterius corporis cui cedit*, percipit *amotionem alterius corporis à quo detinebatur*, *cùm ſe recipit*, percipit *divulſionem ſui continui*, *cui ad tempus reſiſtit*, *ubique denique eſt* Perceptio. *Aër verò calidum & frigidum tam acutè* percipit, *ut ejus* perceptio *ſit longè ſubtilior quàm tactûs humani*, *qui tamen pro calidi & frigidi norma habetur. Duplex igitur deprehenditur circa hanc Doctrinam Hominum culpa; alia quòd eam intactam & intractatam* (*cùm tamen ſit res nobiliſſima*) *plerumque reliquerunt*: *alia, quòd qui huic contemplationi fortè animum adjecerunt*, *longiùs quàm par eſt provecti ſunt*: *&* Senſum *corporibus omnibus tribuerunt*: *ut piaculum ferè ſit ramum arboris avellere*, *ne fortè inſtar Polydori ingemiſcat. At debuerunt illi* Differentiam Perceptionis *&* Senſus, *non tantùm in comparatione ſenſibilium ad inſenſibilia*, *ſecundùm corpus integrum explorare* (*veluti plantarum & animalium*) *verùm etiam in corpore ipſo ſenſibili animadvertere* &c. *Deniq;* Differentiam *inter* Perceptionem *ſimplicem &* Senſum *nullo modo noſſe videntur*; *nec quatenus fieri poſſit* Perceptio *abſque* Senſu. *Neque enim hæc verborum tantùm controverſia eſt*, *ſed de re magni prorſus momenti. De hac igitur doctrina*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

(*ut imprimis utili & ad plurima ſpectante*) *meliùs inquiratur. Quandoquidem etiam circa hanc rem inſcitia tantum apud nonnullos ex antiquis Philoſophis potuerit, ut omnibus ſine diſcrimine corporibus Animam infundi putaverint: Neque enim videbant, quomodo Motus cum diſcretione fieri potuerit abſque* Senſu, *aut* Senſus *adeſſe abſque* Anima.

27. Georg. Ritſchel Contemplat. Metaph. p. 1. cap. 2. §. 6. *Natura eſt talis rei habitudo qua poteſt, ſcit, vult, illud eſſe & agere, ad quod à Deo deſtinata eſt, ut natura piſcis hominis, angeli.* §. 8. *Tria ergo hæc ipſam Naturam conſtituunt, quia divinæ eſſentiæ exiſtunt characteres, quibus ſui ſive Veſtigia ſive imaginem creatis impreſſit. nam ut ipſe nihil eſt aliud, quàm Potentia, Scientia, Voluntas: ita neceſſe eſt, ut, quæ producit, Poſſint, Sciant, Velint aliquid; quando effectus omnis à ſua cauſa qualemcunque ſimilitudinem trahat. Sola enim hæc tria activa ſunt* &c. *Nimirum in tribus illis divina Vita conſiſtit: quare fieri non poteſt, ut creet aliquid, quod omnis motus ſit exſors.* §. 9. *Hinc non tantùm unuſquiſque proprio ſenſu illos divinitatis characteriſmos deprehendit: ſed & animadvertit experimento in aliis. Ecce enim terræ pulviſculum, quem inter inertiſſima rerum referre ſolemus, annon*

*annon poteſt aliquid? nimirum nititur deorſum atque cum ſuæ naturæ cognato ſociari vult, humiditatem imbibit ac temperat: quæ activitatem in ipſo neceſſario præſupponunt. hæc verò activitas ſua inclinatione fertur: ergo vult ferri, quia inclinari velle eſt. Et ſimul ita agere & velle agere deprehenditur, ut rectè agat. ergo ſcit agere; quia poſſe rectè agere, ſcire eſt.* §. 10. *Quare cùm commodiora vocabula non habeantur, quibus quid ſit natura in genere explicari poteſt, tria illa omnibus tribuo. non quòd exiſtimem in Metallo aut Terra cogitationem vel elicitum voluntatis actum eſſe: ſed cùm creatorem omnia ſuis finibus deſtinâſſe videam, dico eum debitas cuique tribuiſſe vires, quas cum conſtanti actionum tenore exerant, non poſſum non cogitare divino artificio potentiam ita comparatam eſſe, ut ſemper idem agat & ſic agendo rectè atque ordine agat. quod quia in ratione præditis ad ſcientiam refertur; hinc dico in ipſo poſſe, Creatoris inſtituto, latere directricem vim, qua ſuos actus moderatur. Inclinationes autem rerum tam manifeſta ſunt, ut rationem ejuraverit, qui eas audeat negare. Haſce autem ſub voluntatis vocabulo concipio, nulla ſuperſtitione aut novitatis cupiditate afflatus* &c. §. 12. *Sicut autem quodvis ſuo peculiari inſtinctu fertur: ita ſunt generales quidam rebus omnibus commu-*

*communes, quales ſunt:* unumquodque vult ſe tale eſſe & taliter operari, quale eſt: vult ſuum ſtatum conſervare: vult naturæ cognatis ſe applicare: vult omnia talia eſſe, quale ipſum eſt: ab interitu abhorret: fugit ab hoſte; ei obſiſtit.

28. Idem Author. ibid. cap. 11. §. 3. *Quicquid agit in aliud, illud quodam impetu percutit, à quo ſi movetur percuſſum, fieri non poteſt, quin ſe jam aliter habeat ac antea. Hoc verò perceptionem percuſſionis in percuſſo indicat; quia ipſo aſpectu deprehendimus, ut cucumis ſeſe ad appoſitam aquam exporrigat & in longum creſcat, avertatur autem ab appoſito oleo & in rugas torqueatur; quod non fieret niſi illam actionum diverſitatem perciperet. non quaſi cucumis expreſſam illorum motuum vi imaginante hauriat imaginem, uti in animalibus fit: ſed quia ne concipere quidem poſſumus, quomodo aliquid actionem ut convenientem ſibi admittat, & aliam ut alienam reſpuat, niſi vim earum diſcretricem naturalem haberet. Diſcernere autem percipere eſt* &c. Hæc ille. Adi Campanellam de Senſu Rerum & alios. Hæc nunc ſufficiunt.

29. Hîc quædam ab Authoribus bene dicuntur: Videlicet 1. axioma ad Diſſertationem præſentem pertinens omnes probant nihilque ad ſui deſtructionem naturâ

ſuâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ſuâ ferri rectè contendunt. 2. Senſum & intellectum propriè dictum rebus merè corporeis dum aſſignare nolunt meliùs faciunt, quàm qui rebus omnibus ſenſum, aut beſtiis etiam rationem adſcribunt. Sed in eo graviſſimum & fundamentalem errorem committunt, quod novam aliquam cognitionem fingunt, aliam perceptionem atque appetitum, quàm in homine vel animali reperiatur, excogitant. Hunc igitur errorem paucis refellam.

30. Ad th. 6. Primò, quali argumento nonnulli utuntur ad probandum cœleſtia corpora non habere vitam vel animam, quòd nempe vita vel anima illa nec vegetativa, nec ſenſitiva, nec rationalis eſſe queat, & non liceat quartam aliquam vitam & novam comminiſci, niſi lubeat entia ſine cauſa & neceſſitate multiplicare; tali & nos in hac materia uti poſſumus: nimirum in confeſſo eſt apud nos & adverſarios, cognitionem intellectualem & ſenſualem dari, ſi jam ipſi aſſerant, dari præterea aliquam tertii generis, diſtinctam ab utraque, regerimus ipſos ſine ulla neceſſitate, ſine ulla cauſa evidente nova in rerum naturam entia introducere, quod nulla unquam permiſit Philoſophia.

31. Secundò, non poſſunt ullo modo explicare, quæ & qualis illa ſit cognitio ſi-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ve perceptio, ſi & ſit, & ab intellectu ſenſuque diverſa ſit, adeoque judicant illud eſſe in rebus corporeis, quod nulla ratione percipiunt quale ſit, & tamen dicunt eſſe tale, ut ſit cognitio & perceptio, non intellectus, non ſenſus, verba quædam proferentes, mente nihil rei concipientes. Sic autem agentes peccant contra principem omnis ſani judicii regulam, quæ ſeverè mandat, ne quid in rebus philoſophicis judicemus, quin priùs clarè diſtinctéque perceperimus.

32. Tertiò, cognitio illa eſt vel cum diſcurſu, vel ſine diſcurſu. Si diſcurſiva eſt, ergo & ſyllogiſmos faciunt lapides, & ſophiſmata nectunt plantæ, niſi fortè perfectiùs homine ratiocinentur & à paralogiſmis immunes exiſtant. Si non eſt diſcurſiva h. e. ſi res corporeæ non cognoſcunt intermedio aliquo notiore ad notum perveniendo, ſequitur quòd cognoſcant immediata perceptione objecti cognoſcendi, h. e. intuitiva cognitione. Hoc ſanè Authores indicare videntur, quando ajunt aquam ſurſum ferri propter fugam vacui; lapidem deorſum tendere, in ſuo naturali loco ut quieſcat; aquam in rotundas ſe guttulas cogere, ut ſe ab hoſte tueatur; plantas alimentum ſibi conveniens agnoſcere &c. Si autem magnes, plantæ, aqua &c. cognoſcunt non ratiocinando, at ſimpliciter intuendo, ſequitur

res

res merè corporeas divinâ quadam cognoſcendi vi præditas, cui ſimilis ne quidem in homines cadit, niſi ſapientiſſimos. Hi enim plurima ſimplici mentis intuitu vident, quæ ab aliis multa demum ratiocinatione colliguntur. Hinc Ariſtoteles (verba ſunt Ioh. Neldel. Inſt. de Vſ. Org. pag. 232) *non abſque ſingulari conſilio definitionem theſi differentem poſtpoſuit demonſtrationi* τοῦ διότι, *quia ipſa ultimus & ſummus fructus eſt, adeoque* θριγκὸς *ſeu apex omnis demonſtrationis ac perfectæ ſcientiæ, ſiquidem proximè accedit ad cognitionem intelligentium naturarum quæ ſine diſcurſu rationis omnia*(malim dicere, pleraque) *intelligunt.*

33. Quartò, dum adverſarii judicium rebus corporeis tribuunt (dicunt enim plantas alimentum ſibi conveniens ſecernere à noxio, vide fin. th. 5. aſſignant rebus motum cum *diſcretione*, in fin. th. 26. *vim diſcretricem naturalem* j fin. th. 28. &c.) talibus ſe involvunt difficultatibus, unde ſe extricare non poſſunt. Quæro enim an diſcretionis illud judicium, in plantis v. g. ſit immune ſemper ab omni hæſitatione, an verò interdum cum dubitatione, vel etiam errore conjunctum? Si dubitant quandoque plantæ & ambigunt, ſitne alimentum utile, nec ne, poterunt judicium aliquantiſper ſuſpendere, & habebunt indifferentiæ liber-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

ıtem, cùm hactenus creditum fuerit omni-
us, entia ejuſmodi ex naturæ tantùm age-
e neceſſitate, nec aliter poſſe agere quàm
gunt. Si nunquam dubitant, nunquam de-
beratione opus habent, perfectiores ite-
um erunt homine. Homo enim ſæpiſſime
ubitat ſitne ſalutare quod offertur alimen-
um, an potiùs noxium venenum, medicum
onſulit, crebrò de cibo & potu aſſumendo
atiocinatur ac deliberat, & tamen aberrat
requentiſſimè. Infans candelam in os in
gerit & carbones quandoque pro alimento
leglutit. Plantæ verò prudentiores infante
nunquam ea attrahunt quæ adeo ſunt inepta
ad alendum, imò, ſi placet adverſariis, pru-
dentiores Viris adultis, Viris peritis, qui in
alimentis deligendis atque aſſumendis quo-
tidie variis modis delinquunt.

34. Scaliger exerc. 138. De plantarum ſenſu Cardani opinionem refellens hæc inter alia profert: *Hoſtilitas verò illa, quanam alia contingat ratione, quàm cùm ignis aquam fugit? Sentitne ignis? terra cùm deſcendit, ſentitne centrum, quod non vidit? Nam quæ ſimpliciore natura conſtant, non niſi unum id, cui deſtinata ſunt, agunt. Ignis non poteſt non calefacere: Terra non deſcendere: Formica non parere annonam: Apes non mellificare: Fucus ponere operam. Quòd ſi Camelus novit, limpidioris aquæ potum,*

*potum, aut inteſtinorum dolorem excitaturum, aut propter ſimplicitatem, minùs alimenti collaturum, atq; iccirco pede priùs obturbatam bibat: longè ſit Camelus homine ſapientior, qui quæ nunquam expertus ſit, ſciat Catus vel Medicus, vel Philoſophus. Cæterùm in his ea neutiquã à ratiocinatione diriguntur.*

35. Quintò, res illæ quibus adſcribitur naturalis cognitio, naturalis quædam diſcernendi vis, ſunt vel tantùm corporeæ, vel tantùm cognoſcentes, vel compoſitæ ex re corporea & cognoſcente. Merè cognoſcentes ſi ſunt, erunt intelligentiæ vel mentes ſeparatæ. Compoſitæ ſi ſunt, erunt homines, a ut certè erunt animalia, quoniam animam & corpus habebunt. Si tantùm ſunt corporeæ, non poſſunt eſſe cognitione præditæ, quia corporeïtas & cognitio ſive cognoſcendi vis, tanquam unius rei attributa, jungi non poſſunt. Notandum quippe eſt, quæ ſunt unius ejuſdemque rei attributa, nexum, affinitatem & cognitionem inter ſe habere: v. g. quia nihil poteſt intelligere, quin idem velle poſſit, & vice verſa, hinc agnoſcitur, voluntatem & intellectum eſſe attributa unius rei. Quia nulla res poteſt eſſe extenſa & figurata, niſi poſſit & moveri ſeu ex vicinia unius corporis in viciniam alterius transferri, & viciſſim, quia omne mobile eſt figurabile, omne figurabile exten-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

tenſum, inde cognoſcitur, attributa hæc ad unam pertinere ſubſtantiam. At quæ, quæſo, eſt affinitas, quis nexus, quæ cognatio inter corporeïtatem & cognitionem, h. e. inter longitudinem, latitudinem, profunditatem, figuram, ſitum &c. ex una parte, & cognitionem, perceptionem, judicium ex altera? Neque poteſt cognitio aut perceptio fluere à natura corporea, quia nobilius & excellentius ab ignobiliori & indigniori produci nequit.

36. Sextò, ex doctrina de præjudiciis infantiæ erroris cauſa manifeſta eſt. Nempe quia homines ab ineunte ætate in ſe deprehenderunt cognitionem cum corpore junctam, ita ut, quoties membra ſe movent (ut loquar cum illis) aut aliunde moventur, toties ferè perceptionem & cogitationem in ſe experiantur homines, hinc dum in aliis rebus ſimiles quoſdam motus ſeu operationes conſpiciunt, putant ſimiliter iis connexam aliquam perceptionem. Ita ferè res in univerſo omnes tanquam ex corpore & mente compoſitas ſibi repræſentant. Eſtque hoc ipſum fundamentum (quod velim ut multum diuque Philoſophi attendant) plurimorum graviſſimorumque errorum & confuſionum.

37. Opponunt adverſarii 1. in rebus merè corporeis datur appetitus naturalis à voluntate ſeu appetitu rationali & ſenſitivo ſeu



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

animali diſtinctus. Ergo datur etiam cognitio à ratione & ſenſu diverſa, ubi enim eſt appetitus, ibi & cognitio, quia ignoti nulla cupido. ℞. 1. Do Sennerto th. 5. Valerio th. 23. aliiſque hanc conſequentiam, ſive hunc nexum appetitûs & cognitionis, neque hanc ſine illo, neque illum ſine hac reperiri poſſe ſtatuo. Sed 2. nego appetitum naturalem iiſdem argumentis, quibus everto cognitionem naturalem, & dico ab illis uno errore alterum ſtabiliri & ex uno abſurdo dato inferri aliud.

38. Ob. 2. non poteſt res ad ſui conſervationem tendere, neque eam procurare, niſi cognoſcendo & appetendo media conſervationi inſervientia. ℞. Quomodo res tantùm corporeæ ſe conſervare aut potiùs conſervari dicantur abſque ulla cognitione & appetitu ſatis eſt oſtenſum th. 3. 7. hujus diſputationis.

39. Ob. 3. multa exempla attractionis, conſenſûs, diſſenſûs &c. cognitionem & appetitum demonſtrant rebus ejuſmodi ineſſe. ℞. Quomodo alantur & creſcant ſtirpes ſine ulla attractione, colligere poſſis ex diſp. de Fontibus cap. 31. Quæſt. 8. Quomodo gutta rotunda fiat, quomodo magnes ad ferrum moveatur ſine ulla attractione, cognitione, appetitu Carteſiana Phyſica clariſſimè docet, quæ hanc Mundi

machi-

machinam, verè machinam mechanicè deſcribit, cuncta referens ad corporeos motus, quietem, figuram, magnitudinem & ſimilia cognitionis atque appetitionis expertia. Quin imò tam ſollicitè ubique cavet Carteſius, ne ea quæ mentis ſunt corpori tribuat, ut vix in Phyſicis admittat vocabula cogitationem aliquam in communi loquendi uſu involventia ſine accurata explicatione: e. g. P. III. 56. Cùm dico globulos ſecundi elementi recedere *conari* à centris circa quæ vertuntur, non putandum eſt idcirco me illis aliquam cogitationem affingere, ex qua procedat iſte conatus, ſed tantùm ipſos ita eſſe ſitos, & ad motum incitatos, ut revera ſint eò verſus ituri, ſi à nulla alia cauſa impediantur.

40. Ritſchelius 4. urget, ſimilitudinem eſſe debere inter effectus, id eſt creaturas corporeas & cauſam, id eſt, Deum. ℞. 1. eſt ſimilitudo quædam in aliis, nimir. uti Deus exiſtit, uti unus eſt & verus & bonus, durat &c. ita res quælibet corporea ſuam habet exiſtentiam, ſuam unitatem, veritatem, bonitatem, durationem. 2. at ſimilitudo Dei & rerum corporearum in ſcientia & voluntate nequaquam conſiſtit, qua enim ratione homo ad imaginem Dei conditus diceretur, ſi & reliqua entia merè corporea de illis attributis participarent,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

in quibus imago Dei præcipuè collocatur? Adeo ut hoc argumentum adverſariorum opinionem planè infirmet, noſtram confirmet evidentiſſimè. 3. nec debet ulla inter res creatas, imprimis corporeas, & Creatorem admitti ſimilitudo, niſi cum majori, imò longè maxima diſſimilitudine conjuncta intelligatur. 4. ſi cum Arabibus Philoſophis aſſerimus, opus naturæ eſſe opus intelligentiæ, non niſi Deum intelligentiſſimum indigitamus, & cum Valerio (vide fin. th. 23.) cognitionem illam, quam vocat naturalem, non modò dicimus dirigentis Dei cognitionem *melius* nominari, verùm Dei *ſolius* nominari omnino oportere aſſeveramus. Res enim omnes materiales à Deo ſupremo moderatore ad ſuos fines diriguntur, quos minimè cognoſcunt, minimè appetunt, non ſecus ac ſagitta à jaciente ad ſcopum dirigitur, quem ipſa neque cognoſcit, neque appetit, niſi fortè motum ipſum localem appetitum lubeat nominare, qualem equidem nulli rei corporeæ derogamus.

41. Ritſchel. 5. inſtat. non poſſe nos aliter concipere operationes rerum corporearum, niſi admittamus in illis cognitionem aut perceptionem aliquam. Vide th. 28. ℞. non mirum eſt nos quàm diu infantiæ tantùm cogitationibus & præjudiciis inhæ-

inhæremus, non aliter res illas poſſe concipere, at poſſumus, ubi Phyſicam didicimus. Non enim Carteſianæ Philoſophiæ gnaro negotium faceſſere queunt illa experimenta, quibus alii ad cognitionem & appetitum rebus corporeis tribuendum permoventur. Sed hæc hactenus, non tam ad hanc, quàm ad ſuperiores de Præjudiciis diſputationes ſpectantia. Nam, ut hoc addam exempli causâ, permultum illud gentium idololatriam promovit, quòd rebus naturalibus primò quidem cognitionem aliquam, paulatim deinde majorem, ac tandem planè divinam aſſignârunt. Confer. cap. 34. th. 15. 16.

42. Ad th. 12. Morale etiam exemplum eſt, quòd ex noſtro axiomate precum originem arceſſit Marbachius in dedicat. precationum Avenarii: *Nemo eſt*, inquit, *qui non in ærumnis & calamitatibus, ex quibus ſe expedire non poteſt, vel epitulatorem cujus virtute liberetur: vel patronum; cujus deprecatione liberationem conſequatur, quærat & expetat. Facit enim amor nobis à natura ingenitus: quo ad noſtri conſervationem proni & proclives ſumus: ut quando nos ipſos juvare non valemus, ad alios quàm primùm recurramus.*

43. Ad th. 18. *opera ingenii*) Huc facit Horat. lib. 3. Carmin. od. ultima:

*Exegi monimentum ære perennius,*
*Regaliq́ ſitu Pyramidum altius: (potens*
*Quod non imber edax, non Aquilo im-*
*Poſſit diruere, aut innumerabilis*
*Annorum ſeries, & fuga temporum.*
*Non omnis moriar, multaque pars mei*
*Vitabit Libitinam uſque ego poſtera*
*Creſcam laude recens* &c.

## CAP. XXXVII.

### *De illo :* plura requiruntur ad eſſe quàm ad non eſſe, *ſeu plura deſiderantur ad rei conſtitutionem, quàm ad deſtructionem.*

8. ESSE & NON-ESSE duo ſunt quaſi poli, circa quos omnis omnium hominum oratio ac ratiocinatio verſatur, ut bene Poëta cecinerit:

Eſt & Non *monoſyllaba nota frequentant,*
*His demtis, nihil eſt hominum quod ſermo volutet.* (*negoci*
*Omnia in his, & ab his ſunt omnia: ſive*
*Sive oci quicquam eſt, ſeu turba, ſive quietis.*

2. Hæc duo, *Eſſe* & *Non eſſe*, generatim contemplans & inter ſe comparans primus Philoſophus, varia format axiomata, cujuſmodi ſunt: *quodlibet eſt aut non eſt; impoſſibile eſt ut idem ſimul ſit & non ſit;* *non-*

*non-entis nulla eſſentia , nullum accidens ; quod non eſt , cauſa eſſe nequit illius quod eſt ; plura requiruntur ut aliquid ſit, quàm ut non ſit* &c. è quibus poſtremum hac vice examinare ſuoſque ad uſus referre lubet.

3. *Senſus* eſt : plura deſiderari ad rei conſtitutionem , quàm ad deſtructionem ; ad compoſitionem & productionem potiora requiri , quàm ad diſſolutionem & corruptionem ; tollere, auferre, perdere non tantæ artis eſſe , quantæ eſt ponere , dare, conſervare ; majoris eſſe potentiæ perficere , quàm deficere , promovere , quàm impedire &c.

4. *Cauſa* : Non enim entis cùm nulla ſit eſſentia , nulla ſint accidentia , è contrario ens habeat eſſentiam & realibus præditum ſit attributis, hinc fit, ad hujus conſtitutionem ut reales requirantur perfectiones , ad illius autem nullæ , cùm ne quidem conſtituatur ulla re, verùm deſtituatur omnibus. Vnde omnis quæ ad eſſe tendit actio, majorem ſupponit aut arguit virtutem in agente , quàm ea quæ fertur ad non-eſſe , atque hæc ceſſatio ſæpiùs ab agendo aut defectio, quàm actio vel effectio dici meretur.

5. *Exempla* : Ioh. Cluverus in Hiſtoriarum totius Mundi epitome ex Curtio narrans , quòd Alexander temulentus , ſuaſu Thaïdis meretricis Atticæ, Perſepolin totius



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

Orientis regiam incenderit, ſubjungit iſta: *ita per ludum inſaniæ momento conſumtum eſt, quod tanti Reges multorum annorum labore maximiſque impenſis ſtruxerant*. Quibus conſonat verſiculus: *Perditur in puncto, quod non reparatur in anno.*

6. Laërtius in vita Diogenis Cynici & Cicero 5. Tuſc. Quæſt. referunt, Diogenem Alexandro roganti, ut diceret, ſi quid ei opus eſſet, reſpondiſſe: *nunc quidem paululum à Sole abſis:* officiebat videlicet apricanti. Certè, Philoſophus nihil petens, niſi ut ne auferret Alexander quod dare nequiret, & ſibi ſatis eſſe, & plura ad eſſe, quàm ad non-eſſe deſiderari inſinuavit. Quantacunque enim claritate fulgeret Regum feliciſſimus, lucem cum vitali calore impertientes radios, quos impedire poterat, dare non poterat.

7. Et ita Phyſica oſtendit, vim cogitandi & lumen rationis à corpore impediri & obſcurari poſſe, ut in infantibus, amentibus, ebriis accidit; produci verò atque effici ab iis non poſſe. Vnde Philoſophus Reſpp. quart. p.125. *Nec ex eo quòd vis cogitandi ſit in infantibus ſopita, in amentibus non quidem exſtincta, ſed perturbata, putandum eſt illam organis corporeis ita eſſe affixam, ut abſque iis exiſtere non poſſit: ex eo enim quòd experiamur ſæpe ab ipſis eam impediri, nullo modo ſequitur ab iiſdem produci; neque hoc ullæ*

*ullæ vel minimæ ratione probari poteſt.*

8. Pictoribus quoque obſervatum eſſe axioma noſtrum deprehendimus. Sic Zeuxis Agatharcho, de pingendi celeritate ſe jactanti, cum ipſe diutiùs immoraretur operi; ſcitè reſpondit: *Diu pingo, quia pingo æternitati.* Intelligebat excellens pictor, plus requiri induſtriæ ac laboris ad opus perfectum & duraturum, quàm ad imperfectius minuſque durabile faciendum. Cicero 2. de Orator. *Non poteſt in eo eſſe ſuccus diuturnus, quod nimis celeriter eſt maturitatem aſſecutum.*

9. Et utinam malè feriati illi, qui in ſcientiis de rebus & controverſiis quibuſcunque pronunciare ſententiam adeo properant, ut ſibi ne tantillum quidem temporis ad rationes in utramque partem ventilandas ſumant, ſimile aliquando cogitarent! Ita nunquam tam imperfectis & confuſis rerum picturis mentes haberent infectas, neque tam deformes præcipitis ingenii imagines publicæ luci exponerent.

10. Verùm de præcepto hoc Logico preſſiùs alibi actum fuit. Morale eſt, quòd ex eodem axiomatis fonte haurimus, feſtinationem eſſe novercam prudentiæ, ideoque feſtinandum eſſe lentè, ac deliberandum diu, quod ſtatuendum eſt ſemel.

11. Porrò dum Apollodorus, pictor præ-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

clarus, operi ſuo adſcripſit: *μωμήσεταί τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται, culpabit aliquis, hoc magis, quàm imitabitur*, nihil aliud dixit, quàm quod dicit axioma noſtrum, eſſe ſcilicet proclivius, carpere res egregias aliorumque operibus detrahere, quàm meliora aut ſimilia facere: quod & Teutonicorum Poëtarum princeps Opitius hunc ad modum expreſſit:

Es muß ein jeglich ding der menſchen urtheil leiden/
Vnd mancher denckt/was er nicht kan/das muß er neiden.

12. Quin etiam Arithmetica, ut ſubtiliora adducamus, docere potis eſt, facilius eſſe vitioſum quid arguere, quàm probum demonſtrare. Solent quidam, num additio rectè ſit facta, explorare per continuam novenarii abjectionem, primò quidem ex omnibus addendorum figuris, ſine locorum reſpectu conſideratis, deinde ſimiliter ex omnibus figuris ſummæ. Nôrunt autem Arithmeticæ periti, examen hoc vitioſam quidem oſtendere additionem; ſi reſidua ſint inæqualia: attamen non illico rectam demonſtrare, eò quòd reſidua fuerint æqualia. Refutare igitur facilius eſt quàm confirmare, quia illud deſignat non eſſe, hoc verò eſſe quoddam ſtabilit.

13. Sed idem longè dilucidiùs generaliuſque

liuſque

iuſque diſcitur ex Logicis, ubi modi affirmantes in tribus Syllogiſmorum figuris tantùm ſunt quinque: *Barbara, Darii, Darapti, Diſamis, Datiſi*. At negantium ſunt novem: *Celarent, Ferio, Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, Felapton, Bocardo, Feriſon*. Itaque concluſio negans, quia tollit, faciliùs inferri poteſt, quàm affirmans, quæ ponit. Et hoc teneatur ratione modorum, quibus aliquid ſyllogiſticè probatur aut refutatur.

14. Ratione hominum probantium aut refutantium, nota ſunt vulgaria dicta: Unus ſtultus plus poteſt negare, quàm decem ſapientes probare. Lapidem ſtolidus jacit in puteum quem multi ſapientes nequeunt extrahere. Scalig. ex. 297. ſ. 1. *Sapientum ſententias oppugnare paratius eſt unicuique, quàm ſuam tutò alienis committere judiciis.* Carteſ. Med. 147. *vel indoctiſſimi plures unâ horâ quæſtiones proponere poſſunt, quàm doctiſſimi totius vitæ ſpatio ſolvere.*

15. Simile eſt, quòd, ex ejuſdem effati noſtri veritate, unus homuncio uno die centum viros poteſt interficere, qui tamen forſitan ne unum quidem hominem toto vitæ ſuæ tempore poterit procreare. Adde quòd ad generationem hominis duo debeant concurrere maturæ ætatis individua, mortem ei inferre vel puer unus & puſillus valeat. Et ſicut multi ſunt in ſyllogiſmis negandi mo-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

di, pauci affirmandi: ita, dicente alicubi Seneca, ſed alio fine: *unus ad vitam introitus datus eſt, exitus multi*, nempe morbo alius, alius fame extinguitur, alius in acie coram hoſte cadit, alius in mari ſubmergitur, alius in aëre ſtrangulatur, alius decollatur &c. ſed cuncti primùm ex utero matris in lucem prodiere. Vnde Poëta: *Mille modis morimur, mortales, naſcimur uno.*

16. Verùm ad Logicam revertamur. Vnica inſtantia labefactare poteſt concluſionem univerſalem, quam ſexcentæ præmiſſæ non poterant ſtabilire, ut ex doctrina de Inductione patet. Et univerſalis affirmans probatu eſt difficillima, nam in unico modo *Barbara* concludi ſolùm poteſt: at refutatu facillima, quia novem illis modis negantibus, tertiâ decimâ theſi recenſitis, infirmatur atque infringitur.

17. Traditur quoque in Logicis, contrarias enunciationes ambas eſſe falſas poſſe: v. g. *omnis filius imitatur patrem: nullus filius imitatur patrem*; in nullo autem caſu eſſe ſimul veras: item copulatam enunciationem eſſe veram, cujus partes omnes ſunt veræ; falſam, cujus vel una pars eſt falſa. Ex quo conſtat, falſum citiùs ac faciliùs multiplicari quàm verum, & naſci verum effatum ex integra omnium partium veritate, falſum autem vel ex unius partis falſitate cenſeri.

Vnde

Unde Gellius Noct. Att. lib. 16. cap. 8. *In omni conjuncto* (ſeu copulato) *ſi unum eſt mendacium, etiamſi cætera vera ſunt, totum eſſe mendacium dicitur. Nam ſi ad ea omnia, quæ de Scipione illo vera dixi* (P. Scipio Pauli filius, & bis cos. fuit, & triumphavit, & cenſura functus eſt, & collega in cenſura L. Mummii fuit) *addidero*, & Annibalem in Africa ſuperavit, *quod eſt falſum: univerſa quoque illa, quæ conjunctè dicta ſunt, propter hoc unum, quod falſum acceſſerit, quia ſimul dicentur, vera non erunt.*

18. Quod ita in vero & falſo Logico, idem in bono & malo Morali evenit, nempe ut omne bonum ex integra cauſa naſcatur, malum etiam ex ſingulis defectibus, unde vitia multiplicia ſunt, una tantùm exiſtente virtute, quemadmodum etiam de vero dicitur:

*Eſt verum ſimplex, errorum mille figuræ:* v. g. ſi hoc temporis puncto me dicam in Muſæo ſedentem ſcribere, hoc unicum eâ in re verum eſt; ſin dicam me in agro deambulare, vel in longinquo itinere verſari, vel in lecto jacere, vel menſæ accumbere prandendi gratiâ, vel ſtare attentum in concione, vel genibus flexis adorare idolum, aut alia innumera, falſum dico & mentior. Weſenbecius in Cod. Tit. 19. §. 3. *Preces* (ſupplicationes, libelli ſupplices)



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*aut veræ ſunt aut falſæ. Verarum unum eſt genus, ſicut una & ſimplex eſt veritas. Falſæ in multas abeunt ſpecies; ut, non veras, fraudulentas, mendaces & hæ in ſubreptitias & obreptitias.* &c.

19. Qualis autem veritatis & falſitatis, talis etiam eſt ratio reliquarum virtutum ac vitiorum. Vna virtus eſt Liberalitatis, vitia ei oppoſita duo ſunt, prodigalitas in exceſſu, & avaritia in defectu, & hujus iterum variæ ſpecies. Vna manſuetudinis virtus eſt, vitia ei oppoſita duo, lenitas & iracundia, & hæc vel excandeſcentia, vel amarulentia, vel crudelitas. *Malum namque multiplex: at boni unica eſt ratio. Quemadmodum ſanitas quidem ſimplex, ſed multiformis morbus* (v. g. febris, peſtis, epilepſia, icterus, phreneſis &c.) *Itidem virtus ſimplex, cum ſit vitium tamen multiforme.* Ariſt. Magnor. Moral. lib. 1. cap. 25. Idem 2. Ethic. Nic. cap. 5. in fine: *Peccare multis modis poſſumus* (*Malum enim ut Pythagorei conjectura quadam conſequebantur, eſt infiniti atque interminati: bonum finiti & terminati.*) *At rectè facere uno modo* &c. *Vno namque boni, cunctimodiſque mali.*

20. Ex quo porrò cognoſcitur, cur ſummæ difficultatis ſit, in actionibus atque affectibus medium conſequi, contrà, in exceſſu vel defectu peccari poſſit facillimè.

Ni-

Nimirum quia in uno eodemque actu innumeris modis aberrare, uno tantùm rectè agere poſſumus, ideo ad vitia tramites homini aperiuntur plurimi & inventu faciles; verùm ad virtutem una tantùm via eſt & ardua. Horat. Carm. lib. 3. od. 2.

*Virtus, recludens immeritis mori,*
*Cœlum, negatâ tentat iter via.*

Neque abludere valde videtur illud Servatoris Matt. VII. 13. 14. *Lata eſt porta & ſpatioſa via, quæ abducit in exitium, multique ſunt qui introeunt per eam. Anguſta eſt porta & ſtricta via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam.*

21. Sed cùm illud (*rectum, verum, bonum eſſe unum & ſimplex; obliquum verò, falſum, malum eſſe multiplex*) imprimis pertineat ad axioma propoſitum, doceatque faciliùs ad non eſſe quàm ad eſſe perveniri poſſe; rem illuſtrare amplius ex aliis diſciplinis operæ pretium fuerit:

22. In *Arithmetica* ſi vel ſemel erres v. g. in addendis, ſubtrahendis, multiplicandis, dividendis numeris, tota operatio vitioſa eſt & reiteranda, nec niſi uno modo recta, at variis modis erronea judicatur.

23. In *Geometria* linea recta in ſua ſpecie unica eſt & ſimpliciſſima: at curvarum ſpecies numero comprehendi nequeunt. Et angulus rectus unicus eſt: at obliquus eſt obtu-

obtuſus vel acutus, & uterque vel magis vel minùs talis, variis modis.

24. In *Phyſicis*, ut recta fiat ſenſio, neceſſarium eſt, ut & organum bene ſit conſtitutum, & medium convenienter diſpoſitum, & objectum in debita diſtantia & quantitate. Si vel uni ex his quicquam deſit, error in ſenſu committitur.

25. In *Theologia* actio vitioſa & mala eſt, quæ privatur rectitudine atque ordine, qui ſecundùm legem Dei in ea requiritur, ſive ſpectet ad ſubſtantiam & materiam actus, ſive ad modum quo is actus à lege præcipitur, id eſt, ad principium actus, ad finem & ad circumſtantias alias medias. Actio, inquam, vitioſa ex defectu vel unius iſtarum conditionum oritur; at bona non niſi ex omnium illarum conjunctione naſcitur. Synopſ. Theolog. Leidenſ. Diſp. 16. th. 11. ſqq. 18.

26. In *Medicina*, ut quis valetudinem recuperet, non ſatis eſt, medicum ſuum feciſſe officium, niſi ſuum quoque ægrotus, ſuum adſtantes faciant, ſintque externa ritè comparata. Hippoc. Aph. 1. At facile continget, ut ægrotet aut moriatur qui vel unum ipſe negligit, vel in uno horum ab alio negligitur.

27. Simili ratione *Didactica* oſtendit, non ſufficere docentem ſuum facere offi-

cium

cium, niſi ſuum quoque diſcens faciat, omnia media neceſſaria adhibendo debitaſque circa ſingula actiones exercendo. Quarum rerum ſi vel una omittatur, non eſt cur quis ex ignorantiæ atque erroris luto pedes unquam facilè ſe poſiturum ſperet.

28. In *Muſica*, ſi vel una vox diſſonet, ingrata exiſtit ſymphonia. Doctiſſ. Merſennus in Præludiis Harmoniæ Vniverſalis Quæſt. 7. *il ne faut qu'une ſeule corde diſſonante pour gaſter un concert entier.* Atqui apta demum vocum omnium chordarumque vocalium conſonantia gratam parit harmoniam. Max. Tyr. ſermon. 23. *Muſicen conſidera, videbiſque optimam conſonantiæ rationem unicam eſſe* &c. *Quod verò ab optima conſonantia diſcrepat, multitudinem eſſe, varias cauſas diſſonantiæ habere, ac penitus diviſam eſſe. Quamobrem chorus uniſono conſenſu unus exiſtit: diſſentiens verò ſcinditur, diffunditur, diſtrahitur, ac multitudinem parit.*

29. Ex quibus omnibus apertiſſimè, idque congruenter axiomati noſtro, concluditur, id, quod duodevigeſimâ theſi proponebamus, bonum omne ex integra cauſa naſci, malum etiam, à ſingulis defectibus provenire. Opponat verò quiſpiam politicum canonem: *non defectus unius aut alterius virtutis continuo ex legitimo rege facit tyrannum.*

30. Re-

30. Reſpondemus, non quidem tyrannum illico judicari qui vitiis quibuſdam eſt deditus, quia tyrannis illa demum æſtimatur, in qua vitia ſunt omnium peſſima publicamque utilitatem planè ſubvertentia; negari interim non poſſe, quin rex ejuſmodi ſit vel intemperantiæ, vel prodigalitatis, vel alio vitio notandus. Perinde ut, etſi *tota Solis ſuperficies, partibus circumpolaribus exceptis, materia ex qua* Solis quæ dicuntur Maculæ *componuntur tegi ſolet*; attamen *Maculæ tantùm eſſe dicuntur, ubi materia illa eſt tam denſa & ſtipata, ut vim luminis à Sole venientis notabiliter obtundat.* P. III. 96. Eodem modo Theologus non ſtatim hæreticam pronunciat eccleſiam quæ in uno aliquo articulo errat, cum hæreſis fundamentalis & capitalis in doctrina fidei error ſit; at erroneam tamen eſſe non negat.

31. Pergamus ad exempla alia. Philoſophus ait Med. 3. pag. 19. *Lumine naturali mihi eſt perſpicuum, ideas in me eſſe veluti quaſdam imagines, quæ poſſunt quidem facilè deficere à perfectione rerum à quibus ſunt deſumptæ, non autem quicquam majus aut perfectius continere.* Planè ſicut in Logicis, concluſio nunquam plus continere poteſt quàm fuit in præmiſſis, ſed partem earum debiliorem deterioremque perpetuo ſequitur, atque interdum etiam à præmiſſa defi-

deficit utraque, ut in modo *Darapti*. Et generatim effectus quidem deterior eſſe poteſt ſuâ cauſâ, melior nunquam, quoniam facilius licet ad defectum & non eſſe, quàm ad perfectionem atque eſſe pervenire.

32. Porrò cum labore aliquid memoriæ mandamus atque addiſcimus: ſine labore eorum quæ didicimus, obliviſcimur, quoniam hoc ad non eſſe, illud ad eſſe vergit. Sed quid dicemus de Themiſtocle, ſummo Athenienſium viro, qui oblivionis artem quàm memoriæ maluit, cùm meminiſſe ſe diceret eorum quæ nollet, obliviſci non poſſe quæ vellet? Primò quidem cum Cicerone ex 2. de Oratore reſpondebimus, non tanto quoſvis eſſe ingenio, nos loqui de eo quod ordinariè & plerumque accidit. Deinde, non eſſe mirum ſi illa quæ valde nos afficiunt ac movent, difficiliùs è memoria elabantur, quia fortiter impreſſa ſunt. Adhæc, quanto enixiùs laboramus, ut quid ex animo ejiciamus, tantò altiùs illud imprimi ſolere. Denique, non inſtitutam fuiſſe à Themiſtocle comparationem inter ejuſdem rei diſcendæ facilitatem & obliviſcendæ difficultatem; ſed potiùs abſolutè indicatum, quòd rerum aliquarum non poſſet obliviſci.

33. Si quis etiam contrà dicat, facilè addiſci, vix unquam dediſci vitia; docere facilius eſſe quàm dedocere, quodque Timo-

theus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

theus Muſicus ideo à diſcipulis malè priùs arti adſuetis duplex minerval exegerit, & ſimilia, cùm tamen dediſcere ac dedocere ad non eſſe tendant, diſcere verò ac docere, ad eſſe, multa ſunt quæ reſponderi poſſint.

34. Inprimis enim, hic firmatur potiùs axioma noſtrum, quàm infringitur. Quæ eſt enim cauſa, cur tam facilè addiſcantur vitia & falſa; vera autem & bona difficulter? cur item malè docere & plures poſſint & faciliùs, bene verò docere pauciores queant ac difficiliùs? niſi quod proclivius ſit incidere in aliquid eorum, quæ multa ſunt, quàm invenire id quod unicum eſt, quemadmodum viceſimâ theſi argumento axiomatis noſtri oſtendebamus. Majemonid. p. 1. More Nevoch. cap. 34. *Dum homo ſtudet, quàm plurima ipſi ſubinde naſcuntur dubia, citiùs etiam addiſcit contraria alicujus ſententiæ, & quæ eam refellunt, quàm ejus confirmationem, quemadmodum facilius eſt domum aliquam deſtruere, quàm exſtruere.*

35. Dedocendi verò ac dediſcendi actus cum non tollere modò quod malè poſitum eſt, ſed reponere ac ſubſtituere melius debeant, non mirum eſt, quòd majorem requirant operam, quàm ſimplices docendi diſcendique labores. Et velim, horum illuſtrandorum cauſa, in memoriam nobis re-

revocemus ex theſi tertiâ decimâ, inter omnes propoſitiones debiliſſimam, hoc eſt, eam quæ particulariter negat, probatu eſſe facillimam: concluditur namque in *Ferio*, *Feſtino*, *Baroco*, *Felapton*, *Bocardo*, *Feriſon*, id eſt, dimidia ferè modorum parte, & in figuris omnibus. Atqui refelli non poteſt niſi in uno tantùm primæ figuræ modo, *Barbara*. Nempe quia non tolli ſolùm debet propoſitio, ſed affirmans in negans ejus locum ſurrogari. Dices, eadem ratione ſi affirmans refutatur concluſio, reponi negatum. At nihil dicis, quia negationem, quatenus verè negatio eſt, non ponere aliquid, at ſolùm id quod poſitivum ſeu affirmativum eſt evertere, manifeſtum eſt philoſophantibus.

36. Sed plures aliæ, tam ex Theologia, quàm ex doctrina de Infantiæ præjudiciis, reddi poſſent rationes, cur homini vitioſo & naturâ ad omne malum propenſo longè facilius perſuadeantur falſa & mala & arctius hæreant, quàm vera & bona, niſi jam iis quæ dicta fuere axioma noſtrum à contradictione ſatis vindicatum eſſet.

37. Videamus tandem, annon eximium adhuc aliquem in Theologia uſum nobis præſtet axioma, cùm contra videatur, ratione Dei non valere illud, quòd plura requirantur ad eſſe & majus facere, quàm ad

non

non eſſe aut minus efficere. Neque enim dubitari poteſt, quin ſummo jure Deo conveniat quod de Natura Iul. Cæſ. Scaliger ex. 1. habet: *una*, inquit, *eſt Natura, non multa: velut hominum ingenia. Quin illa vis ipſa Dei eſt: quæ non plus operæ poſuit in hac univerſi coagmentatione, quàm in abjectiſſimi ligni confectione. Neque ſubtiliorem ſeſe profeſſa eſt, ubi effecit, uti ſuo beneficio lapis Herculeus haberet cauſſas in ſeipſis cohibentes efficientiam attractionis, quàm cùm materiæ primæ formam indidit aëris ob aſcenſionem. In illius igitur operis cum ſit æqualitas; ſubtilitatis attributione metita eſt eas à ſe ipſa imbecillitas humana.*

38. Reſpondemus, licèt ſimpliciſſima omnipotentia Dei ſufficiat maximis æquè ac minimis tum faciendis, tum conſervandis; nos tamen majorem ex eo Dei potentiam arguimus, ſive, clariùs illam cognoſcimus, dum maxima & valdè magnifica illius opera adſpicimus, quàm ſi minora duntaxat & imperfectiora contemplemur, idque ſecundùm ea quæ de axiomate noſtro in fine th. quartæ dicebamus. Et ideo Deus in Scriptura potentiæ ac virtutis ſuæ magnitudinem deſcripturus maximorum plerumque operum mentionem facit, veluti cœlorum Pſalm. 19. elephantis & balænæ Iob. 40. &c.

aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

aut minorum quidem, ſed in quibus ſingulare elucet artificium.

39. Ad hæc vis noſtri axiomatis, etiam ratione Dei, in eo oſtenditur maximè, quod ad res creandas & conſervandas divina opus ſit omnipotentia efficaciter agente; ut verò deſtruantur ſeu in nihilum recidant, ſola contingat influxus divini ceſſatione. Nam qui poſitivam hic Dei actionem requiri putant, parum admodum, ne quid gravius dicam, ſunt Metaphyſici.

40. Præterea, ut modò allata minùs accommodata forent axiomatis propoſiti exempla, quod tamen dici nequit, ſunt tamen alia in Theologia quàm plurima, in quibus uſum præbet manifeſtiſſimum. Orthodoxorum dogma eſt, Chriſtum non omnibus & ſingulis hominibus reconciliationem cum Deo & vitam æternam impetrâſſe. Occurrunt univerſalioris gratiæ patroni: *ſi plures Adamus perdiderit, quàm inſtauravit Chriſtus, ſequi, Adamum Chriſto potentiorem fuiſſe.* Reſpondent verò illi, plus Chriſtum effeciſſe, quòd unum redemit ex mortuis, quàm Adamus, quòd mille perdidit, quia vel paucis mortuis vitam dare eoſque ſervare majoris eſt potentiæ, quàm vivos innumeros internecioni tradere. Cernis, opinor, plura ad eſſe quàm ad non eſſe requiri, & addere poſſis illud Poëtæ:

—*Fa-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*—Facilis deſcenſus Averni:*
*At revocare gradum ſuperaſque evadere ad auras,*
*Hoc opus, hic labor eſt.*

41. Sanior doctrina eſt, impios id ſolùm quod in rebus ſpiritualibus malum eſt perpetuò moliri, pios verò non ſemper id quod planè bonum eſt ſectari: ſed labi quandoque, nec unquam nævis omnibus carere. Obtendunt adverſarii, hinc ſequi, efficaciùs Diabolum agere in impiis, quàm Deus operetur in piis. Negant id ſequi orthodoxi, cùm longe majoris ſit efficaciæ lapſum erigere & ſuſcitare hominem in peccatis mortuum, quam ſponte ſua in omne nefas ruentem impellere. Vides iterum, plura ad eſſe, quam ad non eſſe requiri.

32. Orthodoxorum ſententia eſt, malis quidem operibus mortem promereri infideles, non tamen bonis operibus vitam mereri fideles, cùm quælibet divinæ legis tranſgreſſio maledictioni ſubjiciat hominem; in operibus autem æternæ vitæ meritoriis perfectio exigatur omnimoda: ut ita ſumma ratio petatur ex illo: plura ad rei conſtitutionem, quàm ad deſtructionem deſiderari.

43. Sed termini axiomatis tam ſunt generales & adeò latè patentes, ut cùm exemplorum terminum reperiamus nullum, ſcribendi

dendi finem, propter jam poſitorum copiam, hîc facere liceat. Non feret indignè cordatus lector, quòd vulgaria & ex trivio deſumta aliis, è ſubtiliori rerum ſpeculatione nobiliorumque perveſtigatione ſcientiarum depromtis, juncta conſpiciat, ubi rationem cognoſcere voluerit conſilii noſtri. Mens fuit oſtendere, quomodo idem generale principium in aliis adeò apertè ſe prodat, ut quilibet è vulgo non poſſit non advertere, in aliis verò tam ſit opertum ac tectum, ut non niſi à ſcientiarum filiis, propiùs inſpicientibus, aperiri poſſit ac detegi. Hæc eſt naturæ indoles, ut neceſſitatibus ac deſideriis omnium ſatisfaciens valdè conſpicuam & facilem ſe præbeat in nonnullis; in aliis verò, ad inquirendi ſtudium ſublimiora pelliciens ingenia, ſubtilitate ſe reddat admirabilem, eoque admirabiliorem, quòd & illa obvia & hæc recondita ſecundùm communes & eaſdem leges immutabili quadam & ſibi ſemper ſimili ratione moderetur. Cujus rei ſeria ac ſtudioſa contemplatio mentes noſtras ad Deum elevat, Deum illum, cujus immutabilem providentiam & conſtantem in factis dictiſque omnibus tenorem non Scripturæ ſolùm eloquia, ſed & Naturæ voces ubique ſonant.

## *Notæ ad cap.* XXXVII.

44. Ad th. 12. *attamen non illico*) E. G. Si vera ſumma colligenda fuerit 436. Tu verò errando collegeris 841. Subtrahe 9. ex utriuſque numeri figuris, videbis utrobique relinqui 4. Et tamen uterque numerus ex eorundem numerorum additione colligi nequit.

45. Ad th. 20. *ſummæ difficultatis*) Hinc Ariſt. 2. Eth. Nic. cap. 5. verbis modò citatis addit: *Itaque etiam hoc* (rectè facere) *difficile eſt, illud verò* (peccare) *facile: à ſcopo ſcilicet aberrare, facile eſt, ſcopum ferire, difficile. uno tantùm rectè*) Scalig. ex. 249. ſect. 3. *in unaquaque actione unum tantùm rectum eſt, idque à Recto, id eſt à ſummo Recto, Deo ipſo conſtitutum.*

46. Ad th. 21. Pauci ſapientes, ſtultorum plena ſunt omnia. Rari boni, malorum ingens numerus. In genere, omne præclarum rarum. Notatu dignum eſt, quòd ferè uſu veniat, ut in diviſione generis ſpecies ignobilior plura & magis varia ſub ſe contineat inferiora, quàm ſpecies dignior ac nobilior. Exempli causâ: Ens dividitur in Deum & Creaturas, (non quidem ut genus in ſpecies, attamen ut communius in magis particularia) Deus unicus eſt: rerum

crea-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

creatarum ſpecies infinitæ. Item Ens diſtribuitur in Subſtantiam & Accidens: ſubſtantiæ genus unicum eſt, Accidentium genera novem recenſentur. Animal dividitur in Hominem & Beſtiam: humana ſpecies unica, beſtiarum innumeræ.

47. Ad th. 39. *ſola contingat influxus divini ceſſatione*) Occurrit M. Fridericus Wendelinus Theologiæ Chriſtianæ lib. 1. cap. 6. in explic. th. 6. *Dicunt nonnulli, ſolam divinæ conſervationis ceſſationem, ſine ulla alia operatione, redigere ſtatim rem quamlibet in nihilum: Quod an ſatis commodè ſtatuatur, dubito. Nam ut productio entis ex nihilo, ita ejuſdem in nihilum redactio eſt opus omnipotentiæ divinæ. An verò opus omnipotentiæ dici poſſit, quod à ſola ejus ſit ceſſatione, & ut ita loquar, quiete, nulla prorſus interveniente actione, docti viderint.*

48. R. Redactio entis in nihilum (ſi contingat) eſt conſequens omnipotentiæ Dei ab actu ceſſantis, non vero effectus potentiæ ſeſe exſerentis. Nam ſicut ens rationis (humanæ) habet eſſe objectivum, per actionem intellectus, in mente noſtra, idque tantiſper retinet, dum intellectus de eo cogitat: ut autem perdat eſſe ſuum objectivum, non opus eſt actione intellectus, ſufficit de eo ut cogitare deſinat: ita res omnes crea-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

tæ, quæ ſunt entia rationis divinæ, in eſſendo, in fiendo, in operando (liceat ita loqui philoſopho) pendent à Deo creante, conſervante, movente: ut non ſint, non fiant, non operentur, non requiritur ulla ex parte Dei actio aut actionis continuatio; ſed nuda ab agendo ceſſatio. Ita res omnes ſunt in manu Dei, ut ab illa ſola ſuſtententur, eâ verò ſubtractâ, ſine ulla vi impellente, illico coilabantur.

49. Occurrit vir doctus Tilmannus Platzovius: *cùm nulli naturali potentiæ in nihilum reducere rem ſit poſſibile, neceſſario requiritur ad hoc potentia naturali major. Addo quod falſum ſit rei omnimodam deſtructionem, non eſſe actionem poſitivam. Qua enim ratione minus quid actio poſitiva eſſe poteſt, ad quod univerſa natura non ſufficit. Imò in Deo nihil eſt privativi, cùm privatio ſit quædam infirmitas aut imperfectio, quæ in Deum nequaquam cadit.*

50. R. Cujus ſolius eſt dare τὸ eſſe, ejus ſolius eſt tollere (nempe ſi tollere velit.) At Dei ſolius eſt dare τὸ eſſe. E. Dei ſolius erit tollere. Tollit autem, non dando, at ſubtrahendo concurſum, non operando, ſed ab operatione deſiſtendo, uti declaratum eſt. Quamvis autem ſolius Dei ſit rem ad nihilum redigere, & verbum hoc *redigendi* in Grammaticis actionem denotet, in Philoſo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

loſophia tamen hæc redactio poſitiva Dei actio cenſeri nequit. Equidem, quod ſola Dei manus ſervat, id cadere nequit, niſi illâ non ſervante. Nec opus ut impellatur à manu Dei ad caſum (quòd actionis eſſet poſitivæ) cadet enim dummodo ipſa tenere deſierit. Summum ens poſitiva actione in nonens ferri non poteſt. Quando dicitur in Deo nihil eſſe privativi, ſi hoc ita capiatur, nullam in Deo perfectionis abſentiam intelligi, dicitur id quod per ſe notum eſt, cùm Deus ens ſit ſummè perfectum.

51. Sin hæc ſit ſententia, à Deo non poſſe totalem ullius eſſentiæ deſtructionem proficiſci, idem aſſeritur quod Thomas Anglus Inſtit. Perip. lib. 5. lect. 16. his verbis exprimit: 1. *Eâdem operâ accipitur Deum non eſſe cauſam ullius imperfectionis & non eſſe, ſeu mali, quod in rebus creatis vel actione earum exiſtit. Cum enim actio Dei ſit tantummodo infundere eſſe, & hoc quantum creatura eſt capax, palam eſt, quod eſt de eſſe, Deo tribuendum eſſe, quod autem de eſſe deeſt in incapacitatem ſubjecti refundendum eſſe. 2. Et cum defectus actionis procedat ex defectu principii, id eſt, ex aliquo non eſſe in principio, eodem modo defectus in agendo ſimiliter in defectum aliquem in eſſendo creaturæ, & non in Deum tanquam cauſam reducendus eſt. Quare Deus omnis*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*boni author eſt, quoniam omne bonum ex eſſe eſt, nullius autem mali, cùm malum ex non eſſe ſit.* 3. *Patet conſequenter Deum non poſſe quicquam annihilare, vel ſubtrahere concurſum ſuum ab actione alicujus creaturæ: poſſe enim annihilare eſt poſſe facere non ens, & ſubtrahere concurſum ſuum, & non præbere eſſe rebus creatis, utrumque autem non niſi ex defectu bonitatis & quaſi exundantiæ entis in Deo contingere poteſt.* Hæc ille de quibus ego hac vice ἐπέχειν, quàm quicquam definire malo.

52. Inſtat Platzovius: *In iis quæ de rerum deſtructione philoſopharis, partim tibi aſſentior, partim diſſentio. Aſſentior, quòd ſufficiat Deum manum ſuam, quâ creaturas ſuſtentat, & concurſum ſuum ſubtrahere: diſſentio, quòd hanc poſitivam eſſe actionem neges, ſubtrahere enim manum ſuſtentantem, & ſiſtere concurſum ſunt actiones poſitivæ, & non minus actio poſitiva eſt retrogradi, quàm progredi, manum removere, quàm applicare, currere contra aliquem, quàm concurrere cum aliquo. Adjicio quòd ad ſimplicem corruptionem (ad quam ſæpe viliſſimæ cauſæ ſufficiunt) requiratur poſitiva Dei actio, neceſſariò enim concurrere debet cum cauſis corrumpentibus. E. multò magis ad omnimodam deſtructionem ſeu annihilationem, ad quam teipſo teſte univerſæ*

*naturæ*

*natura non eſt ſufficiens. Quare peridè fateris, in Deo nihil eſſe privativum. E. nec privativa, ſed poſitiva in Deo potentia erit, quâ res annihilet.*

53. ℞. Tandem igitur in re conſenſus eſſe propemodum videtur, ut mihi vix aliud agendum reſtet, quàm quid ſit actio poſitiva, quid non ſit, explanare. Iam autem inter eos qui accuratiùs hac de re philoſophantur conſtat, quòd omnis actio ſit in patiente atque intimè terminum ſuum afficiat adeò, ut nihil aliud ſit quàm fluxus termini ab agente & receptio ejus in patiente adeoque ipſe quodammodo terminus, quatenus ſit ac producitur. Vnde porrò deducunt, quòd omnis actio à termino ad quem tendit denominationem ſuam ac diſtinctionem omnem mutuetur, quemadmodum calefactio dicitur, quæ ad calorem terminatur, frigefactio, quæ ad frigus &c. Ex quo ſequitur, actionem illam poſitivam eſſe, quæ tendit ad terminum poſitivum, cujuſmodi eſt creatio, conſervatio: actionem verò privativam ſeu negativam eſſe, quæ tendit ad terminum privativum, qualis eſt deſtructio, annihilatio.

54. Adhæc, retrogradi, manum removere, currere contra aliquem in rebus quidem corporeis æquè ſunt poſitivæ actiones, ac progredi, manum applicare, concurrere



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

cum aliquo, quia utrobique eſt localis motus: ſed cùm in Deo planè incorporeo nihil tale concipere liceat, patet creationem & annihilationem tali ratione cum affectionibus corporis non rectè conferri, ſed potiùs cum actionibus mentis, quas in exemplum adduximus theſi quadrageſimâ octavâ.

55. Inſuper in corruptione ſimplici res nulla deſtruitur, ſed tantùm deſinit eſſe res talis, qualis fuit antea, h..e. cùm priùs hoc modo ſe haberet, jam ſe alio modo habet, & ſic ex communi & vero axiomate: unius corruptio eſt alterius generatio. Et tam generatio quàm corruptio in rebus corporeis fit motu locali ſecundùm veram Philoſophiam. Itaque mirum non eſt Deum poſitiva actione concurrere ad corruptiones, nimirum quia eædem illæ ſimul ſunt generationes, per quas aliquid ponitur in rerum natura, & in communi ſunt motus locales & reales mutationes. Atqui annihilatio non eſt ſimul creatio, nec localis motus eſt, nec ponit aliquid in rerum natura, ſed omnino tollit, nec in variatione quadam rei exiſtentis, ſed in omnimoda abolitione ejus conſiſtit.

56. Poſtremò, in Deo nihil eſſe privativi hac mente faſſus ſum, quòd nulla ei deſit perfectio. Ergo & potentia quæ in Deo eſt,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

maximè poſitiva eſt, maximè perfecta, & verè omnipotentia. Hinc verò perperam infertur, potentiæ illius divinæ à conſervando ceſſationem, quâ res antè conſervata abit in nihilum, actionem potentiæ eſſe poſitivam, id quod è ſuperioribus luce clariùs innoteſcit. Actiones, de quibus agimus, non ſunt in Deo: ergo, ſive privativæ, ſive poſitivæ ſint ac dicantur, privatio ideo in Deo ipſo nulla ſtatuetur. Vno verbo, poſitiva Dei potentia eſt, cujus exercitio res ponitur, cujus ceſſatione res tollitur. Hæc ad defenſionem theſeos trigeſimæ nonæ.

57. Ad th. 43. *in aliis adeò apertè ſe prodat* &c. Confer Carteſii locum circa finem Medit. quintæ: *Ex iis quæ ita* (clarè & diſtinctè) *percipio etſi nonnulla unicuique obvia ſint, alia verò non niſi ab iis qui propiùs inſpiciunt, & diligenter inveſtigant, deteguntur; poſtquam tamen detecta ſunt, hæc non minùs certa quàm illa exiſtimantur. Vt quamvis non tam facilè appareat in triangulo rectangulo quadratum baſis æquale eſſe quadratis laterum, quam ipſam baſim maximo ejus angulo ſubtendi, non tamen minus creditur poſtquam ſemel eſt perſpectum.*

58. *conſtantem in factis dictiſque omnibus tenorem*) Hinc Carteſius P. II. 36. *Intelligimus etiam perfectionem eſſe in Deo,*

*non*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

*non ſolùm quòd in ſeipſo ſit immutabilis, ſed etiam quod modo quàm maximè conſtanti & immutabili operetur* &c. Vide quomodo inde porrò deducat aureas regulas ſive leges naturæ, quæ ſunt cauſæ ſecundariæ ac particulares diverſorum motuum, quos in ſingulis corporibus advertimus &c.

59. Ex eadem Dei conſtantia atque immutabilitate dependent *æternæ veritatis axiomata*, de quibus Carteſius Reſpp. quint. de iis quæ in quint. Med. ab initio: *Quòd verò ais tibi durum videri ſtatuere aliquid immutabile & æternum præter Deum, meritò ſic videretur, ſi de re exiſtente quæſtio eſſet, vel tantùm ſi quid immutabile ſtatuerem, ut ejus immutabilitas à Deo non penderet. Sed quemadmodum Poëtæ fingunt à Iove quidem fata fuiſſe condita, ſed poſtquam condita fuere, ipſum ſe iis ſervandis obſtrinxiſſe: ita ego non puto eſſentias rerum, mathematicaſque illas veritates quæ de ipſis cognoſci poſſunt, eſſe independentes à Deo; ſed puto nihilominus, quia Deus ſic voluit, quia ſic diſpoſuit, ipſas eſſe immutabiles & æternas.* Confer etiam Reſpp. ſext. §. 8. cujus hæc eſt clauſula: *Nec proinde putandum eſt æternas veritates pendere ab humano intellectu, vel ab aliis rebus exiſtentibus, ſed à Solo Deo, qui ipſas ab æterno, ut ſummus legiſlator, inſtituit.*

60. Pla-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

60. Placet hoc caput totumque adeo opus concludere verſibus Clariſſ. D. Lud. Crocii in Praxin Catholicam Clariſſ. D. Conradi Bergii, ſolis poſtremis verbis, ob ſcopum noſtrum, parum immutatis:

*Parce* PATER. *ſi quæ ſunt dicta ſuperflua nobis:*
*Et ſi quæ deſunt commoda, parce* PATER.
*Quod rectum eſt, nullo curvetur judice: quicquid*
*Obliquum eſt, nullus pingere curet amor.*
*Adferat errati veram confeſſio laudem:*
*Et veram luxent dogmata nulla fidem.*

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
235 B 23